






SPERMATOLOGIA
Historico-Medica,
h. e.

SEMINIS HUMANI CONSIDERATIO
PHYSICO-MEDICO-LEGALIS,
qva
EJUS NATURA ET USUS,
insimulqve
OPUS GENERATIONIS ET VARIA DE COITU
aliaqve huc pertinentia,
v. g.
DE CASTRATIONE, HERNIOTOMIA, PHIMOSI, CIRCUMCISIONE, RECUTITIONE, & INFIBULATIONE,
item
DE HERMAPHRODITIS
& Sexum mutantibus,
Raris & selectis Observationibus,
annexo Indice locupletissimo, traduntur,
à

D. MARTINO SCHURIGIO,
Physico Dresdensi.



Francofurti ad Mœnum,
Sumptibus JOHANNIS BECKII,
MDCCXX.



PRÆFATIO.



A plerumqve hujus Seculi Doctorum est conditio, ut fingendo Hypotheses Systemata doctrinarum struant, qvare non mirum, si tot novarum inter Eruditos sectarum conditores videas, qvot docentes in Cathedris coruscant. Qvivis enim ingenii sui viribus indulgens fidensqve doctrinarum compagem

Diruit, ædificat, mutat, qvadrata rotundis,

rationes rationibus superstruit, eoqve tale plerumqve Enunciatum edit, qvod omnem rationem transcendit, nec nisi ab eo capi pot-

est, qvi mentem suam Magistris his poliendam & fingendam concessit. Non divagabor per singula Eruditionis capita, sed ne falcem in alienam messem mittere videar, intra cancellos Studii mei & ordinis me tenebo. Missis Facultatibus & Potentiis, qvibus Veteres Physicam proposuerunt, moderni Archeos, Principium Hylarchicum, Microcosmetorem, Cardimelechum, Vim insitam & dynamicam, Conatus seu Pressuras corporum, Spiritus incorporatos, Ideas, Vermes aliaqve mirum qvid sonantia, introduxerunt. Imò si ad Principia rerum deveniamus, ita sensu distractos illos videbis, ut Chao primævo implicitos esse putares. Nunc sublimi sidera feriunt vertice & ex illis influentias derivando, undis cœlestibus innatant: nunc in barathrum & abyssum lapsu ideali ruunt, & in centro umbilicoqve terræ focum & officinam Vulcano parant. Tantum verò abest, ut Scientia Physico-Medica

ca lucem fœneretur, ut potius ab ejusmodi hypothesium glaucomate obnubiletur & obscuretur; unde non immeritò cum Palingenio in Zodiac. Taur. v. 60. qverendum:

O Dii, qvàm magna est penuria mentis ubiqve!

In nugas qvam prona via est!

Eò processit novissimorum Physicorum methodus, qvi ratione omnia naturæ momenta emetiri cupiunt.


Videntes hoc sinceri veritatis æstimatores, aliam calcandam sibi esse viam duxerunt, qvam nempe usus & experientia monstrant, rati cum Serapione Empirico: unam experientiam centum rationibus plus valere. Hinc Societates inierunt, in qvibus conjunctis viribus rem aggrederentur, & Collectione Observationum & Experimentorum Physicam imprimis & Medicinam re & operâ, non verò opinione juvarent, spem nobis sug-

gerentes, fore, ut ex largâ Observationum atqve Phænomenorum, quorum veritas conspicua est, quantitate aliquando Systema enascatur, cùm Physicæ Systematicæ ædificium exstruere non liceat, nisi príus Physica experimentalis, quantum materiei ad id suffecerit, suppeditaverit, ex mente Editoris Historiæ Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis, Anno 1699. in Præfatione.

Hoc me eò adduxit, ut Observationes Physico-Medicas, quæ passim prostant atque in Praxi *obvenerunt, colligerem & horis subcisivis usibus meis aptarem adeoque in ordinem quendam redigerem. Ex iis, instinctu amicorum, offero Tibi, Lector Benevole, jam eas, quæ Generationis negotium, ratione Maris concernunt. Hæ si Tibi arriserint, ad reliqvas edendas me movebunt. Secutus verò sum in hoc negotio Physiologiam, seu doctrinam de Natura Hominis, & ejus ductu Partium Corporis nostri*

essen-

essentiam & usum explicui, ac imprimis id, quod insolitum occurrit, & in Forum cadit, notavi & perpendi, unde Consideratio Partium Corporis nostri Physico-Historico-Medico-Legalis enata est. Orditur Spermatologia, quæ Seminium Hominis exponens, de futuro Operis nostri fœtu testabitur, in quo, dum ipsis Autorum verbis utor, Styli inæqualitatem benevole excusato, & me Collectanea Tibi tantùm suppeditari scito. Quod restat, non bilem aut lasciviam moveat Tibi Sermo Medicus, quandoque extra Verecundiæ limites, ad lascivorum opinionem, progrediens; argumentum enim rei talia verba requirebat, quæ rigido tantum Censori fœda & obscœna videbuntur, Puris autem pura erunt omnia.



Caspa-

Casparus a Reies *Elyſ. Jucund. Quæſt. Camp.*
Qv. 38. p. m. 461.


ILlud imprimis monendum duximus, ſi aliqvid in hac venereorum tractatione minus pudicum legatur, qvod legentis caſtiſſimas aures offendere poſſit, nobis obſecro condonandum, cum in hujusmodi materiâ aliter fieri non poſſe nemo non videat.

&

Gabriel Clauderus *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. An. 3.*
Obſ. 75. p. 170.

IGnoſcant mihi caſti Oculi, caſtæ Aures; Egomet caſtus Medicus hæc caſtis Lectoribus ſcribo, ſi qvis Genius protervus ſcandalum inde accipiat, ſibi ipſi habeat.

SPER-



SPERMATOLOGIÆ

CAPUT I.

De Seminis Virilis Essentiâ & Materiâ.

§. I.



Uplex eqvidem ad Prolis productionem reqviritur Semen, masculinum scilicet ac fœmineum, qvorum hoc, juxta Johann. Bohnii *Circul. Physiolog. anatom. Progymnasm. I. pag. m. 2. 6. seq.* materiæ potissimùm, illud efficientis rationem habet. Id qvod etiam jamdudum Avicenna confirmavit: Paucum, inqviens, Viri Semen sufficit ad generationem, qvòd in ipsô posita est vis formatrix, & pro materiâ & generandis membris postmodum prostat ipsum Semen muliebre. vid. Hieron. Mercurial. *de Morb. Mulier. Lib. 4. cap. 14.* in Israel. Spacch. *Gynæc. fol. m. 287.* Et secundum verba Severini Pinæi. *de Not. Virginitat. Lib. I. cap. 9. Problem. 2. pag. 74.* In coitu mulieres materiam, viri verò formam ad Embryonem & puerum conficiendum naturæ ministrant. Vid. etiam Laurentii Straussii *Epist. ad Antonium Deusingium de Fœtu Mussipont.* in Joh. Benedict. Sinibald. *Geneanthrop. Append. p. m. 57. seq.* Nobis

Ad generationem duplex Semen reqviritur.

A verò

verò in hoc Tractatu non de utroqve, sed, sepositô muliebri, de virili tantummodò Semine agere libet.

§. 2.

Differentia inter Genituram & Semen.

Solent etiam nonnulli Autores cum Aristotele inter Genituram & inter Semen distingvere, ita, ut genitura abusivè Semen dicatur, & sit illud, qvod uterqve sexus confert; Semen autem sit utriusqve Genituræ miscela, vid. Michael. Ettmüller. *Oper. med. Tom. I. fol. m. 15. & 158. item. Tom. II. fol. 981.* sive juxta Thom. Cornel. Consentin. *Progymn. 5. p. m. 172.* Genitura sit illud excrementum, qvod suô sexus alteruter genitali subministrat: Semen autem Conceptus ex utroqve parente procedens. Imò Joachimus Targirus *Medicin. compendiar. cap. 13. p. m. 262. seq.* scribit: Si qvis animum advertit, neqve maris, neqve fœminæ Semen separatim fœcundum esse, sed tum demum firmum procreationis initium conceptumqve fieri, postqvam utrumqve Semen coitu mistum est: facile intelligere potest, liqvorem, qvi maribus in vesiculis seminariis congregatur, & fœminis in Ovariô continetur, non convenienter Semen appellari; cùm ex neutrô vera generatio secutura sit. Conceptus verò, cùm utriusqve sexus vim & facultatem contineat, ex qvô homo procreatur, rectius Semen vocari videtur, &c. vid. etiam Joh. Barthol. Adam. Beringer. *Ideæ Institut. medic. Thes. 15. p. m. 36.* & Cæs. Cremonin. *de Semin. Dictat. I. p. m. 133.* Item, Johannes Conradus Peyerus Seminis nomen ad plantarum partes restringendo Semen virile liqvorem genitalem vocat, *Exercit. 19. p. m. 96.* Nos tamen cum aliis Autoribus, vocabulum Seminis in sensu vulgari retinebimus. vid. Joh. Conr. Barckusen *Histor. Medicin. Dialog. IV. p. m. 63.*

§. 3.

§. 3.

Est autem Semen Virile humanum liqvor albus, spissus, subviscidus & spirituosus, ex sangvine arterioso in Maris testiculis aliisqve vasis spermaticis ad alius hominis generationem elaboratus. *Seminis definitio.*

§. 4.

Qvoad materiam Seminis ejusqve præparationem Autores, tam veteres, qvam recentiores, varias fovent sententias; dum alii veterum materiam, è qvâ Semen generatur, ex Cerebro, Corde & Hepate, alii ex succô qvodam è Cerebrô & spinali medullâ deciduô, derivant; alii Renibus vim σπερματοποιητικὴν tribuunt, de qva materia vid. Joh. Henr. Meibom. *de Usu Flagror. in Re vener. p. m. 79. seq.* alii Semen pro mixturâ atqve temperie ab omnibus animæ facultatibus avulsâ agnoscunt; alii â partibus in venas minores Semen decidere, ex iisqve in majores ascendere & nebulæ sedimentiqve instar reliqvis humoribus innatare, tandemqve Testium vi attrahi credunt; alii ab omnibus præcipuis Corporis partibus illud derivari autumant. Porrò, Testes, instar reliqvarum partium ex Massâ sangvineâ id, qvod in eâ sibi magis est familiare, attrahere idqve in Vasorum involucris elaborare spirituqve vivificô, proximô facultatis generatricis subjectô, singulorum membrorum perfundere, cum veteribus statuit Daniel Beckherus *Microcosm. Medic. Part. I. cap. 13. pag. m. 67. seq.* Qvas tamen Opiniones cum Testiculorum attractione alii rejiciunt Autores, variè nihilominus inter se differentes, siqvidem per longum eqvidem temporis spatium pleriqve Seminis generationem ex sangvine per vasa spermatica ad Testiculos fluente, derivabant, alii verò postmodum, imprimis nonnulli Angli, materiam seminis proximam non in sangvine, sed in succô *Materia.*

cô qvodam ſvaviori, alimentitiô ſeu materiâ chylosâ & lacteâ, alii in excrementô ſeu reſiduô utilis ultimiqve alimenti, ſeu rore ex omnibus Corporis partibus ad partes ſpermaticas delatô, qværebant, aliiqve materiam ſvavem per nervos advectam pro ſeminis materiâ agnoſcebant, uti ex ipſis Autorum verbis ſubſeqventibus conſtat.

§. 5.

Aliis ex nervis. Multis enim rationibus contra ſangvinem pugnans Coſmopolita ſuccum nervorum defendit *Hiſtor. natur. ſeu de nov. Animal. Generat. pag. m. 2. ſeqq.* ubi magis veritati conſonum exiſtimat, nervos ſemini generando materiam tribuere, & non Arterias; qvia ex nervis deſtillet ſuccus qvidam, qvi eô, qvi ex arteriis profluit, multò ſit ſvavior, benignior ac nobilior; qvippe vigecupla ſangvinis qvantitas ablata non æqvè debilitet, ac ſimplex ſeminis portio, &c. Item Franciſco Gliſſonio Semen non videtur produci è ſangvine, (ut perperam olim exiſtimatum) ſed è materiâ multô ſvaviore, qvæ per nervos advehitur. Hi enim copiâ longè majore & intimè magis in Teſtium parenchyma diſſeminantur, qvam arteriæ, aut venæ, &c. v. Fr. Gliſſon. *Anat. Hepat. cap. 45. p. m. 499. ſeq.* Qvas & alias rationes verbis Gliſſonianis qvoqve adducit Gvalterus Charleton *Oeconom. animal. Exercit. 10. p. m. 203.* Sic Thomas Whartonus *Adenograph. cap. 29. pag. m. 182. ſeq.* Arterias ſangvinem ſpirituoſum ad Teſticulos diſtribuere eqvidem concedit, multò tamen ignobiliorem ſeminis partem inde ſuppeditari, ſed ex nervis ſuccum nobiliſſimum ipsô ſangvine nobiliorem ad Teſticulos deferri, defendit. Et qvia (pergit pariter idem Autor) vigecupla Sangvinis qvantitas ablata non æqve debilitat ac ſimplex ſeminis portio atqve â Venæſectione non obſervantur animalia con-

contristari, omnia verò animalia post Coitum contristantur & nonnihil enervantur, qvare Sperma ejectum non ex solô sangvine constat, sed ex aliâ & qvidem nobiliore materiâ, cujus drachma una viginti minimùm drachmis æqviparanda. Semen tanqvam qvintam qvandam corporis essentiam â Cerebro suppeditari potissimum, perqve infinitos penè nervos ad testiculos devehi, censet Johannes Rogersius, vid. Frider. Nitzsch. *Ephemerid. Erudit, An. 1665. pag. m. 52.* Porrò, an Semen proximè ex sangvine generetur, ideò dubitat Lambertus Velthusius, qvia in iis, qvorum nervorum constitutio optima est, Semen perfectius magisqve prolificum & fœcundum ad perfectam fœtificationem reperiatur; Deinde, qvia per Seminis nimiam evacuationem nihil magis in Corpore laboret, qvàm nervi, & nervorum principium & radix, Cerebrum scilicet & spinalis medulla. Imò etiam ex tabe dorsali, qvem morbum ex spinali medullâ oriri Hippocrates dicit, recentes sponsas & libidinosas, utplurimum corripiente, Semen ex succô qvodam, qvi nervis propria nutrimenti materia sit, generari, defendit dictus Autor, *de Generat. in Oper. Theolog. & Medic. p. m. 1321. seq.*

§. 6.

Alii recentiorum Semen ex materiâ chylosâ proximè produci asserunt, qvam per vasa, lactea vulgò dicta, ad partes spermaticas deferri judicant, uti ex Deusingiô & Everhardô monstrat Georgius Fridericus Rallius *Tr. de Generat. Animal. Sect. 3. & 11. pag. m. 127.* Et Georgius Entius *Oper. p. m. 355.* Semen non ex sangvine, imò ne mediatè qvidem, confici, sed potiùs ex succô nutritiô illud originem ducere arbitratur; Succum autem nutritium idem *l. a. p. 136.* â Chylô derivat. vid. etiam Michael. Ettmüller *Oper. medic. Tom. I. fol. m. 15. §. 221. & Tom. II. fol. 981.* *Aliis ex Chylo.*

§. 7.

Alii ex Sero. Alii Semen ex Serô generari credunt, vid. Hieron. Barbat. *de Sangvin. & Sero. pag. m. 44. seq.* Item Georgius Wolffgangus Wedelius *Physiolog. Sect. 3. cap. 28. pag. m.* 197. Semen materialiter subtilissimum seri florem appellat. Et juxta Christiani Vateri *Physiolog. experiment. Sect. 7. cap. 28. p. m. 624.* Seminis materiam suppeditat sangvis arteriosus, non qvoad partes rubicundas, neqve qvoad chylosas, qvæ crudiores & ineptæ adhuc ad humorem ejusmodi summè spirituosum constituendum; sed serosas easqve particulis balsamicis, salinis & oleosis optimè digestis præditas, &c. Deniqve Gvilelmus Harvæus *de Generat. Animal. Exercit. 72. p. m. 488.* materiam seminalem ex ultimô alimentô, Rore scilicet nutritiô derivat.

§. 8.

Contra nervos. Patiuntur tamen adductæ Opiniones adhuc suas difficultates; v. g. cùm, teste experientia, non adeò multi nec magni nervorum rami, uti â qvibusdam creditum est, sed pauciores duntaxat, iiqve exiles atqve vix visibiles ad Testiculos perveniant, ut de succô nervorum, nondum sufficienter demonstratô, inqve tantâ copiâ pro seminis generatione advehendô, nunc taceam. Plures rationes contra illorum sententiam, qvi semen â spiritibus derivant, reperies dans la Medecine dogmatiqve mechaniqve de Louis de Bellefontaine, *p. m. 32. seqq.* seqventibus verbis: Qvelqves uns veulent, qve la matiere de la semence soit un suc nerveux, ou, comme ils parlent, un certain stille du Cerveaux. Leurs raisons principales sont celles-ci. La Premiere, qv'il se rencontre un tres-grand nombre de nerfs dans les testicules, à proportion des autres parties. On répond à cela, qve ce suc nerveux doit donc

donc étre un esprit animal condensé, ou bien qvelqv' autre humeur, mais la nature de l' Esprit animal est telle, qu'elle repugne à se condenser en semence; car il a des particules volatiles & si disjointes les unes des autres, qv'elles sont mûës tres vivement. Dailleurs ce suc nerveux ne peut etre qvelqv' autre humeur; car elle boucheroit les pores invisibles des Nerfs. La seconde, qv'une perte de sang considerable n'afoiblit pas tant qve celle d'un peu de semence. On répond, qv'il est necessaire qv'il afluë grande qvantité d'esprits animaux aux testicules, sans qvoi le chyle ne sauroit jamais passer par tous ces canaux innombrables très-e'troits, & ainsi ne se changeroit point en semence prolifiqve, de sorte qv'une certaine qvantité de cette humeur doit contenir plus d'esprits animaux, qv'une fois autant de sang. La troisiéme, qv'on sent une douleur de tête aprez le congrez, & qve ceux, qvi s'exercent souvent aux luttes de Venus, sont sujets aux catharres ou defluxions du Cerveau sur la moëlle de l'épine. Cela se doit entendre & expliqver être fait par la seule deperdition des esprits; car les testicules étant vuidez, les Nerfs des parties voisine se doivent aussi proportionellement vuider: alors les esprits se meuvent plus facilement vers ces parties, qve vers d'autres, & sont ainsi soustrais & aux autres parties & au cerveau même: d'où s'en suit un affaissement de leurs fibres, avec un sentiment de doueur, qvi provient de la Condensation de la lymphe vers l'épine du dos. Enfin la qvatrieme est, qve les testicules sont au dedans de couleur blanche, & non pas rouge. On repond, qve toutes parties étant nourries de Chyle, blanchissent aussi toutes, lorsqv'elles ne sont plus vivifiées par le sang: si on les fait tremper dans l'eau, leurs fibres blanchiront, toutes en qvelqve maniere. On pouroit reobjecter à la reponse à la pre-

miere

miere objection, qve puisqve les fibres nerveuſes ne s'obſtruent point par le moien de leur ſuc nourricier, qvi pourtant eſt d'une texture plus groſſiere, qve le ſuc nerveux, d'où vient donc, qu'elles le pourroient etre par ce dernier? On doit répondre à cela, qve le ſuc nourricier ne vient point du Cerveau, mais qu'il tranſuė des arteres, & qu'il ne remplit pas les pores des fibres, tant ſelon leur largeur qu'il le fait ſelon leur longeur, & ainſi ne ſuivant point la voie des eſprits, il ne peut auſſi fermer leur paſſage. C'eſt auſſi la raiſon pourqvoi les fibres nerveuſes croiſſent ſeulement en longueur.

§. 9.

Verba Autorum.

Deinde etiam reliqvæ diſcrepantes opiniones, imprimis illorum, qvi Seminis materiam per arterias ad Teſticulos ferri concedunt, facillimè cum recentiorum ſententiâ conciliari poſſunt. Statuunt enim pleriqve, ad Seminis confectionem, pro materiâ, partim ſangvinem per arterias ſpermaticas confluentem, indeqve ſeparatum qvendam liqvorem, partim etiam ſpiritus animales, per nervos allatos, concurrere. Cùm verò hanc materiæ ſeparationem diverſi Autores diverſimodè explicent, liceat nobis ipſiſſima qvorundam verba hôc locô inſerere. Ita videlicet ſcribit Guilielmus Cockburn, *Oeconom. Corpor. animal. pag. m. 96.* Per arterias ſpermaticas deducitur ſangvis & ex ejus parte aliqvâ fit liqvor ille ſpumoſus, albus & ſubviſcidus ſpiritu plurimô fœtus, reliqvô ſangvine per Venas ſpermaticas in Cavum relatô. Ad qvæſtionem, qvomodo Seminis materia ad Teſtes deferatur, ita reſpondet Theodorus Craan *Oeconom. animal. pag. m. 275. ſeq.* Materia ſeminis ad Teſtes defertur per arterias ſpermaticas, qvæ Semen deferentes dicuntur, ſed malè; non enim purum Semen vehunt, ſed ſangvinem rubicundum, ex qvô poſtmodum

dum Semen in Testiculis generatur. Hæ arteriæ, antequam Testes ingrediuntur, ad altitudinem trium aut qvatuor digitorum instar lori contortæ sunt, unde ab Autoribus vocantur Vasa pampiniformia. Cùm autem hæ arteriæ spermaticæ reliqvis partibus sint valde exiliores, hinc non nisi subtilissima portio sangvinis per easdem deferri debet ad Testes; unde non mirum, qvòd Coitus in tantum Corpus humanum debilitet. Secundum Judicium Isbrandia Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 18. fol. m.* 160. Sangvinem primariam Seminis massam constituere docent arteriæ spermaticæ insignes, ad Testes delatæ, qvæ certè majores sunt & plus sangvinis conferunt, qvàm qvi soli nutritioni Testium inserviunt. Docent item venæ spermaticæ sangvinem â nutritione Testium & Seminis constitutione residuum ad Venam cavam referentes. Hanc Seminis secretionem Daniel Tauvry *Anatom. nov. cap.* 11. *p. m.* 187. ita explicat: Concipimus Arteriam spermaticam sangvinem ad Testiculum vehere, venam illum revehere, ceu in aliis partibus ordinariè contingit. Particulæ verò sangvinis certâ figurâ præditæ (particulas, ex qvibus Semen constat, intelligit Tauvry) in poris vasorum seminariorum hærent, qvæ Vasa in unum ramum collecta in Epididymidem illas effundunt, ex qvô in Vas ejaculatorium effluunt. Dum verò dictæ particulæ per omnes vasorum Seminariorum anfractûs circulantur, comminutæ magis & contritæ subtiliores redduntur, idqve tum propter exilitatem & longitudinem istorum vasorum, tum propter eorundem anfractûs. Qvandò hic liqvor in vas ejaculatorium est effusus, cum aliò liqvore, qvem vesiculæ Seminales sese contrahentes fundunt, permiscetur. Tandem glandulæ binæ, qvæ Prostatæ nominantur, tertium liqvorem Semini permiscendum emittunt atqve ex tribus his liqvoribus formatio liqvoris Seminalis dependet. Se-

cun-

cundum Jacobum de Sandris *de natur. Sangvin. stat. Cap.* 4. *pag. m.* 141. Sangvis ab Arteriæ descendentis truncô per spermaticas arterias descendit in Testes, ubi colliqvamentum qvoddam spirituosum separatur, qvod vi suorum principiorum motus, vel moduli, in qvô secernitur, in parvam animalis effigiem facescit, &c. Accuratè etiam liqvoris genitalis masculi secretionem describit Joh. Gothofr. Bergerus *Physiolog. med. seu de Natur. human. cap.* 19. *pag. m.* 244. *seq.* ubi non modò Arterias spermaticas in minores, qvàm capillares, ramulos atqve in gyros plexusqve labyrintheos dirimi, sed in iisdem etiam Seminis secretionem fieri seqventibus verbis docet: In arterias spermaticas, qvi lege circuli vitalis pulsuqve Cordis continuô, deducitur Sangvis, is qvasdam lymphæ subactissimas atqve vividiores particulas, qvas vix sensu asseqvi licet, veluti florem sangvinis, ex ultimis Arteriarum ramulis, regrediente interim per venas cognomines vasaqve lymphatica, reliqvâ humorum massâ, in fila Testiculorum emittit ac protrudit, qvæ per tot longissimorum ductuum anfractuosas pressæ angustias, in continuatis demum Epididymidum vasculis confluunt & inibi collectæ humoris denuò bombycini rudimentum induunt, ac superatis deinde variciformibus, intortisqve pluries illarum productionibus, qvas etiam Parastatas vocant, per hinc procedentia rectô ductu Vasa deferentia in Capsulis ac Vesiculis collectæ seminalibus, liqvorem illum masculum, lentum & glutinosum, atqve ex conclusis tenuibus, agilibus & elasticis corpusculis, qvæ appellant Spiritus, spumescentem constituunt, qvi oestro Veneris turgescens & fusus ex suisqve conceptaculis, constrictione fibrarum carnearum, qvibus ea conceptacula cincta undiqve & circumducta sunt, succussione qvadam per duos angustos meatus in Urethram expressus & promotus, atqve per hujus

fistu-

fistulam in arvum muliebrem cribratus, Conceptionis est Opifex.

§. 10.

Autorum Conciliatio.

Qvamvis autem allegati Autores in eô discrepare videantur, qvòd alii v. g. Theodorus Craan, Semen ex sangvine rubicundô, alii ex parte aliqvâ sangvinis in Testiculis elaborari statuant, facillimè tamen conciliari possunt; Vix enim ullus eorundem aut aliorum Medicorum, credet, solas sangvinis arteriosi advecti partes coccineas seu rubicundas in Semen mutari, vel talem cruorem absqve admixtô serô per minutissima vascula transire posse. Neqve etiam illi, qvi Chylum eqvidem pro Seminis materiâ agnoscunt, non tamen per vasa lactea ad partes spermaticas eundem vehi, cum Deusingio & Everhardo credunt, sed potiùs mediante Sangvinis Circulatione, per arterias spermaticas ad testiculos progredi statuunt, Chylum crudum, sed jam defæcatum atqve subtilisatum, qvem alii non ineptè serum appellant, intelligi volunt. Scribit enim Johannes Frid. Ortlob *Histor. Part. Dissert.* 14. §. 14. *p. m.* 110. Materiam Semini præbere non tam sangvinem rubicundum, qvàm materiam chylosam defæcatissimam & subtilissimam, qvæ cum eô per Arterias spermaticas advehitur. Et secundum Stephani Blancardi *Institut. med. cap.* 10. *Oper. Tom. I. p. m.* 219. Chylus pro spermate virili admodum elaboratus esse debet sale volatiliori & activô plenus, non absimilis odore Ebori raso, &c. vel juxta Franc. Zypæi *Fundam. Medicin. Cap.* 3. *Art.* 6. *pag. m.* 78. Materia Seminis est Chyli pars elaboratissima & spirituosa multum sale volatili imbuta, &c. Item Martinus Listerus *Dissert. de Humorib. cap.* 41. *p. m.* 393. inqvit: In testiculis, qvi meræ & solæ glandulæ sunt, Chylus, sangvine circulatus, iteratâ qvadam

 cor-

corruptione in Semen excoqvitur: Semen genitale non aliam materiam desiderat, qvàm reliqvi universi humores extra orbem sangvinis conficiendi, scilicet Chylum per Arterias subinde transmissum humorisqve istis Organis generationi dicatis connati virtute excoctum. Sic Christianus Vater *Physiolog. Sect. 7. cap. 28. pag. m. 614.* ad Seminis præparationem serum particulis balsamicis, salinis & oleosis optimè digestis præditum reqvirit.

§. II.

Autoris sententia.

Ut autem meam de Seminis materiâ atqve secretione mentem paucis exponam, semper hactenus, cuinam allegatarum Opinionum subscribam, dubius fui, cum neqve à succô Nervorum, hactenus nondum sufficienter demonstratô, tanta Spermatis copia expectanda sit; neqve Sangvinis particulas coccineas in album liqvorem mutari mihi persvadere potuerim; porrò neqve à solô Serô tenuissimo seu subtilissimô seri flore, post sangvinis per venas revectionem, tanta spissitas seu visciditas intra paucum temporis spatium oriri, nec deniqve Chylus adhuc crudus per exilia atqve angustissima testiculorum Vascula eorumqve anfractus ad Vesiculas seminales sine alteratione deferri possit; Qvare ex Testiculorum structura hanc fovi sententiam. Scilicet cùm hodie unanimi tum Anatomicorum, tum Physiologorum consensu Testiculi pro meris glandulis seu potiùs vasculis minutissimis (qvid enim glandulæ sunt, nisi vascula minutissima contorta?) habeantur, in qvibus Seminis secretio fiat; ex arte autem anatomicâ sufficienter constet, non omnes totius Corporis aut omnium Viscerum glandulas eandem, sed longè differentem, habere conformationem seu structuram, atqve pro tali glandularum differentiâ differentes etiam à sangvine, per Arterias ad

ad illam partem appulsô, secerni liqvores, ita, ut in glandulis salivalibus saliva, in epaticis bilis, in Renibus serum pro urinâ, in Cerebro Spiritus, vel secundum qvosdam succus nerveus elaboretur vel potiùs secernatur. Exinde etiam in Testiculis, tanqvam partibus glanduloso-vasculosis, ob peculiarem eorundem conformationem, etiam peculiaris & ab omnibus aliis differentis liqvoris, seminalis videlicet, secretionem seu transcolationem fieri existimo, libentissime interim concedens, tales particulas spermaticas pariter, ut aliæ, v. g. biliosæ, antea in Sangvine latitare atqve cum eodem, mediante Circulatione, per Arterias spermaticas ad Testiculos ferri, ibidem per dicta vasa peculiaria, pro liqvore sui generis variisqve imprægnatô qvalitatibus, secerni, atqve secundum modum, ab aliis Autoribus traditum, conservari.

§. 12.

Huic eqvidem opinioni G. W. Wedelius *Disp. de Vener. Medic. & morbif. pag. 8.* contradicit atqve tam nobile productum, Semen scilicet, soli pororum diversitati adscribi posse, ideò imprimis negat, qvia Semini fermentum salino-sulphureum non sit denegandum, qvod satis tum odor βρωμώδης, tum immutatio tàm notabilis ipsiusqve Seminis δύναμις demonstrent. Et Thomas Willisius *Tr. de Fermentat. cap. 5. Op. p. m. 18.* scribit, in viris & fœminis Vasa seminalia & partes genitales particulis fermentativis adeò tungere, ut nihil magis; & in viris â fermentô seminali caloris abundantiam, vires robustas, vocem sonoram & virilis barbæ & pilorum eruptionem accedere; & propter hujus defectum effœminari viros scilicet vocem gracilem, calorem debilem & desperationem barbæ induci. Cùm verò talis Opinio de fermentis viscerum circa liqvorum separationem qvamplurimis *Seminis secretio an per fermentum?*

Autoribus (è qvibus hoc loco unicum Melchiorem Fr. Geuderum *Tr. de Ferment. præprimis cap.* II. *p. m.* 224. *seqq.* allegare libet) ob multas, qvas hic repetere nolo, rationes displiceat, & pleriqve tales liqvores differentes in diversis partibus ab unô eodemqve sangvine arteriosô ob diversam tantummodò pororum Conformationem particularumqve secernendarum peculiarem dispositionem secerni defendant; mihi etiam in Semine con-aut perficiendo, non tàm immutationem qvandam notabilem, qvàm solam certarum particularum in Vasis Testium peculiaribus factam secretionem admittere liceat. Et qvamvis Seminis odor atqve δύναμις ab aliorum liqvorum odore & virtute differat, qvid tum? nonne etiam reliqvì liqvores, e. g. succus pancreaticus, bilis, urina, &c. qvì tamen secundum plerosqve Autores non per fermentationem, sed nudam secretionem pro diversitate particularum atqve pororum præparantur, peculiaribus suis coloribus, odoribus, saporibus & virtutibus inter se differunt?

§. 13.

Materia duplex.

Sciendum autem, materiam Seminis fœcundi atqve ad generationem idonei duplicem statui, alteram crassam oculisqve conspicuam, qvam Medici etiam genituram, vulgò autem Semen vocare solent; alteram absconditam, tenuem, instarqve Spiritûs, qvam hebes nostrorum oculorum acies non asseqvitur, qvamqve alii Sperma κατ' ἐξοχήν, Helmontius autem hinc inde, & Martinus Heer *Introduct. in Archiv. Archei Tract.* 10. *pag. m.* 338. Archeum nominant, qvæqve priori vim intrinsecam, ἐνέργιαν atqve virtutem majorem confert. Illam crassiorem eqvidem à transcolatione seu secretione à Sangvine in testiculis, & â liqvore vesicularum seminalium atqve glandularum prostatarum ortum sumere, hanc autem partim subtiliorem & spirituosam, partim â sangvine arterio-

sô,

sô, partim etiam à nervis ad testiculos currentibus post sufficientem impetum internumqve sangvinis atqve Spirituum motum, qvô genitura formam suam adipiscitur, dependere inqve Orgasmô venereô augeri statuo; Minimè tamen totum Semen seu materiam spissam, juxta nonnullos, â succô qvodam nerveô dependere, sive tantam liqvoris albi atqve viscosi copiam, qvanta in partibus Spermaticis reperitur, atqve spirituosæ Seminis parti inservit, è nervis excerni mihi persvadeô. Vid. etiam Georg. Frid. Franc. de Franckenau. *Disqvisit. Epistol. ad Berger. de Succ. nutrit. pag. m. 23.*

§. 14.

De duplici hac Seminis prolifici parte liceat nobis aliorum etiam allegare verba. Ita enim scribit Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. Disp. 14. §. 10. pag. m. 108.* Ratione Seminis masculini notamus, eô nomine venire liqvidum non simplex, sed ex diversis partibus constans, cujus alteram partem prolificam dicere convenit, qvod ab hac solâ imprægnatio procedat; alteram accessoriam, qvæ diluendo tantùm Seminis excretionem & energiam juvat, & §. 17. *pag.* 112. illam materiam à Testibus abscendere atqve in Vesiculis servari, hanc autem à Corpore glandulosô in exitu eidem admisceri scribit. Johannes Bapt. de Lamzweerde *Histor. nat. Molar. uter. cap. 5. pag. m. 67.* Semen masculinum duplex statuit, germinosum, qvod è Testibus per Parastatas, Vasa deferentia & Vesiculas Seminarias geminô foramine ejaculatur in Urethram, qvod rudem omnium partium sine confusione delineationem continet; lacteum alterum, sive alimentosum, qvod ex Prostatis per proprios ductus plurimis foraminibus se eodem amoris actu in Urethram exonerat, &c. Sic Theophrastus Paracelsus *de Morb. tartar. cap. 6. Oper. Tom. I. fol. m. 292.* distingvit inter Sperma & Semen; Sperma solum non

Aliorum verba.

est

est, sed magna qvædam eluvies, qvæ agitata exundat, non autem est Semen. Semen enim mole suâ vix pisum æqvat, reliqvum omne vehiculum superfluum est. Et G. W. Wedelius *Physiolog. Sect. 3. cap. 28. pag. m. 194.* distingvit inter Seminis materiale, seu corpus ipsum, & formale, seu ejusdem vim intrinsecum, ἐνέργειαν & virtutem. Christiano Johanni Langio Spermatis materiam constituit Sangvinis nobilior gelatinosa & glutinosa portio; Ex his siqvidem particulis potissimum componi liqvorem istum, viscida ejus firmiterqve cohærens probat textura. Sed spectare hanc materiam tantùm partem Seminis crassiorem, in sensus incurrentem, alteram verò magis activam, nempe virtutem plasticam ex aliô fonte, hoc est, a Spiritibus, oriri, addit. v. Christ. Joh. Lang. *Physiolog. Thes. 36. Oper. med. Part. I. fol. m. 211.* Sebastianus Windigius *Medicin. Spirit. curios. Lib. I. cap. 23. pag. m. 106.* distingvit inter partes Seminis masculini crassiores & geniales. Item Semen in Semine latere, nec illud, qvod vides Semen esse, inqvit Andreas Tonzelius *Medicin. Diastat. cap. 1. pag. m. 18.* Juxta Thomam Cornelium, Consentinum, *Progymn. 5. pag. m. 173.* Genitura è duabus constituta est naturis, ex humidô scilicet crassamentô, qvod Sensibus est manifestum, & tenuissimâ qvadam substantiâ, qvæ Sensum qvidem effugiens solâ ratione prehenditur. Et Benjamin Brœckhuyson *Ration. Philos. med. cap. 4. pag. m. 57.* distingvit inter crassum illud terrestre oculisqve expositum nostrum Semen & inter Spiritus Semini imprægnatos, hosqve pro causâ atqve principiô formationis fœtûs habet. Pariter Sophronius Kozack *Tr. de Sale cap. 2. pag. m. 55.* in Spermate Spiritus seminales occultari dicit; & Michael Ettmüllerus *Oper. med. Vol. II. fol. m. 981.* inqvit: Geniture virili se associant, in specie sub Coitûs fervore, Spiritus animales copiosi, a qvibus genera-

generationis opus primariò perficitur, & qvi constituunt Contagium istud spirituosum, qvod fœcundat Ova muliebria, & *Vol. 1. fol. 158.* scribit: Genituræ maris, dum ejicitur, simul accedit & admiscetur adhuc alius liqvor qvidam serosus & blandus, unô nomine, lympha sui generis in Corpore Prostatarum glandoso & spongioso elaboratus, qvi per copiosos exiles ductûs in Urethram effusus Genituram maris obvolvit ipsiqve pro vehiculô servit, ut eò meliùs & promptiùs per Penem ejaculari qveat. Secundum Thom. Schirlæum *de Lapid. seu Calcul. pag. m. 36.* Semen perfectorum animalium est efflorescentia qvædam optimarum partium Sangvinis elaborati in Testiculis & imprægnati Spiritibus omnium partium Corporis, in qvô residet Vis plastica sive efficiens atqve hæc revera est reale Semen seu Genitura, etsi invisibilis, continens in se Imaginem seu typum rei formandæ, &c.

§. 15.

Alii Autores triplicem Seminis agnoscunt materiam, uti *Triplex materia.* jam supra ex Dan. Tauvry *Anat. cap.* II. *pag. 188.* adduximus, qvô locô dictus Autor addit, Testiculos portionem spirituosiorem, Vesiculas Seminales aqvosiorem, & Prostatas Oleosiorem subministrare. Item Thomas Whartonus *Adenograph. cap. 29. pag. m. 196.* tres distinctas Species materiæ Seminalis à tribus partibus generari credit, qvarum una nobilissima à testiculis exoriatur, altera in Vesiculis Seminariis contineatur, & tertia deniqve à Prostatis proveniat. vid. etiam Joh. van Horne *Epist. de Genital. Oper. pag. m. 270.* Item Günth. Christophor. Schelhámmer *in N. C. Dec. II. An. 1. Obs. 130. p. 330.* Et Johannes Swammerdam non modò hunc Hornii locum contra Regnerum de Graaf defendit, sed etiam qvadruplicem Seminis materiam statuit in Miracul. Natur. sive Uter. muliebr. fabric. his verbis: Omnibus bene perpensis qva-

druplex mihi in homine materia esse videtur, ex qvâ Semen constituatur: qvarum prima est ex testiculis; secunda ex fine deferentium, nam & hæc materiam seminalem secernunt; tertia ex Vesiculis Seminalibus; qvarta ex Prostatis prodit. vid. Mangett. & le Clerc. *Biblioth. anatom. Part. I. fol. m.* 494. Hanc tamen Whartoni triplicem Seminis Materiam multum qvidem probabilitatis, sed, qvod in talibus contingeret, nullâ concludendi indubiâ necessitate prolatam esse, sed eruditis conjecturis adscribi mereri, judicat Georgius Hieron. Velschius *Curat. propr. Dec. VIII. Curat.* 8. *pag. m.* 511. ubi pergit: Si enim omnia ad unum aliqvod Naturæ opus concurrentia specialibus ejusmodi discriminationibus differenda essent, multò etiam plura effingere licebit. Unde & nos Veslingii sententiam seqvi maluimus, qvi Semen tantùm ex fine suô sive usu unicum in Testibus confectum & vesiculis asservatum & ex Prostatis per insensibiles poros sive meatus expressum constituebat. Secundum du Verney Liqvor Seminalis eo in statu, qvô pro usu suo prodire solet, mixtura est plurium liqvorum simul eodem tempore in canalem communem urethræ, aut ex glandulis, qvibus præparati sunt, aut ex receptaculis, ubi asservabantur, infusorum. Hæc organa tam numerô, qvàm structurâ in diversis animalium speciebus differentia esse dictus Autor commonstravit. In homine qvidem primaria eorum sunt vesiculæ Seminales & Prostatæ. vid. *Histor. Acad. reg. Scient. Paris. An.* 2. *p. m.* 267. ubi de novis corporibus glandulosis à Cowpero in utroqve latere urethræ, inter originem musculorum erectorum & acceleratorum detectis, item de miscela horum liqvorum plura reperies. Liceat adhuc seqventia ex Lealis *Epistolâ ad Dominicum de Marchettis de Partibus Semen conficientibus in Viro pag. m.* 45. hoc loco inserere: Semen, inqvit, Testes facere,

ve-

vehere Epididymidas cum annexis deferentibus, servare capsulas & vesiculas perficere, hactenus ferè omnes dixerunt, qvos Vates, an Philosophos dicam, nescio, mihi verò cui divinandi artem ingrati Dii negârunt, si ab externâ & sensibus obviâ figurâ de essentiâ sumere judicium licet, nihil Semen Testiculorum ab eô differre affirmabo, qvod asservatum Seminalia exhibent intestinula (seu Vesiculæ Seminales) qvippe Color utriqve subcineraceus est, non albus, albedinem enim nanciscitur, qvum peregrino liqvori confusum & Spiritu reciprocante percussum, spumans depluit de veretrô, Viscid tas utrobiqve eadem. Demum detrahe pauculam crassitudinem, qvam â diuturnâ trahit in Intestinulis morâ, nihil ab eô, qvod vasis deferentibus priùs ligatis à testibus seorsum exprimitur, differre cognovi.

§. 16.

Cùm de Seminis Albedine, spissitudine seu viscidìtate atqve Spirituositate, qvas supra in hujus definitione præsupposuimus, aliqvoties hactenus egerimus, paucula tantùm adhuc de his dicenda restant, & qvantum qvidem Seminis colorem album naturalem attinet, plura de hac materiâ locô proximô ex Lealis Epistolâ allegatô, *pag. 44. seq.* videri poterunt; De colore autem Seminis præternaturali bina exempla adducere liceat. Semen scilicet nigrum atramenti Scriptorii instar in congressu cum Uxore sine noxâ excrevit hypochondriacus qvidam, qvod Semen se vidisse refert Johannes Patersonus Hayn *M. N. C. Dec. I. An. I. Obs. 63. pag. 162.* ubi addit, hoc Semen successu temporis & Medicamentorum ope fuisse mutatum, ita, ut intra annum Epatis colorem contraxerit, tandem paulatim post duos vel tres annos flavescere & paululum albescere ceperit, nunqvam tamen ad illam albedinem, qvam antea habuit, pervenerit.

Seminis Color albedo.

Semen nigrum.

§. 17.

Croceum. De Semine Croci colore tinctô seqventem Observationem annotavit Rudolphus Wilhelmus Crausius: Studiosus qvidam Patavinus, juvenis viginti duorum annorum, valde lascivus & venereus, aliqvando Semen croceo colore tinctum â se emissum monstravit, &, cùm qvæ comedisset interrogaretur, retulit, se eodem & præteritô die varia edulia Crocô tincta assumsisse; unde colorem croceum in Semine apparere concludere certò licuit, præprimis cùm idem phænomenon aliô etiam tempore, ex Croci usu nimiô in eodem Subjectô comparuerit. Vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs.* 273. *pag.* 623.

§. 18.

Seminis substantiâ spissa. Spissam & glutinosam Seminis substantiam pro meliore Spirituum in eô latitantium conservatione inservire, hactenus ex aliqvot Autoribus adduximus, qvibus annectere adhuc liceat verba Nicolai Venette *de la Generation de l' Homme Part. 3. cap. 4. Art. 1. pag. m.* 377. *seq.* La Substance dela Semence doit estre epaisse & gluante, si elle est Selon les loix dela Nature, â fin de conserver plus long temps l'abondance des Esprits & dela Chaleur naturelle, dont elle est remplie. Loco tamen hujus spissitudinis atqve subviscíditatis ordinariæ in *Nimis aqveum.* nonnullis Semen nimis aqveum vel lacteum atqve, ob facillimam Spirituum dissipationem, ad Generationem ineptum deprehenditur; qvale exemplum refert Henricus ab Heer *Obs.* 10. *pag. m.* 103. *seq.* de Nobili qvodam, cujus vix decennis pueri genitalia puellæ nobiles, Aviæ ipsius famulantes, (cum qvibus cubare solebat) ita contrectaverant, ut ipsi decimum sextum ætatis annum agenti non modò Sicula, qvæ aliàs cornu durior fuerat, betis tenerioribus langvidiùs penderet, sed etiam

etiam ad minimum Colis tactum sine ullô sensu aut pruritu, aut tensione membri, Semen imbelle & aqveum lactiqve qvàm Semini similius excerneret. Sic mihi qvoqve notus fuit Nobilis non ignobilis, qvi olim in Aulâ nostrâ vix decimum tertium ætatis annum ingressus in Veneris Palæstrâ jamjam per tempus aliqvod pro viribus fortiter exercitatus erat, tantumqve inde sibi malum contraxerat, ut ante aliqvot annos matrimonium meditans largam eqvidem Seminis, nimis tamen fluidi & aqvei, qvantitatem, tam per somnum, qvàm in aspectu virginum aut amasiæ excerneret, citra tamen ullamqve voluptatem Penisqve erectionem, qvippe, qvæ ipsi vigilanti etiam, nunqvam cum debitâ rigiditate contingebat, licet tunc temporis in optimâ adhuc ætate esset constitutus. *Observatio.*

§. 19.

An autem talis liqvor tenuis propriè nomine Seminis appellari debeat, adhuc est qvæstio, siqvidem in prostatis glandulosis, circa Penis radicem sitis, certus liqvor serosus & unctuosus elaboratur, qvi tempore coitûs per copiosos ductûs in urethram simul exprimitur & evacuatur, ubi in statu naturali genituram involvit ipsiqve pro vehiculo inservit, ut hæc melius & promptius per penem ejaculari possit. Qvodsi vero Genituræ seu Seminis elaboratio, vel ad minimum perfectio, â qvacunqve causa impediatur, fieri non potest, qvin deficiente Coitu liqvor hic genitalis in dictis prostatis magis magisqve coacervatus necessariò instar aqvæ è meatu urinario effluat. Talisqve liqvor, instar aqvæ fluens, idem est, qvi adhuc in Castratis generatur atqve in Coitu infœcundo ab ipsis excernitur. Qvapropter si qvis, Semen non spissum & veræ consistentiæ, sed aqveum tantum effundens, à meretrice in puncto imprægnationis accusaretur, ille ex hoc funda- *An sit, Semen?*

mento non immeritò defendendus erit, juxta exemplum Johannis Casparis Westphali, Cauponem de Adulterio suspectum defendentis. v. Mich. Bernh. Valentin. Novell. Medico-legal. *Cas. IV. p. m. 56. & 59.* ubi inqvit: Utcunqve dictus Caupo in congressu cum prostibulo perpetrato aliqvid immiserit, hoc tamen, tanqvam aqvosum prorsus, genitura vera, spirituosa & fœcunda non fuit, sed probabiliter tantùm ejus vehiculum, scilicet liqvor prostatarum, (qvalem Evnuchi in congressu etiam ejaculantur) adeoqve ipse pro infantis qvæstionis Patre habendus non est.

§. 20.

Seminis odor piscosus. Odorem Seminis odori Eboris rasi vel piscium exsiccatorum similem esse, satis notum est, attamen juxta Danielem Ludovici consideratu dignus videtur Odor non simpliciter Satyriacus vel piscosus solùm, sed alios qvoqve complures *Ciborum.* hesternæ Cœnæ cibos referens manè, tam in utriusqve sexûs excretionibus seorsim, qvàm junctim in mulierum effluxionibus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. I. An. 8. Obs. 17. pag. 31.* *Anisi.* Et Studiosus qvidam Patavinus aliqvando Semen Anisi odorem referens emisit, dum Germani cujusdam svasu Anisum in notabili qvantitate, qvô se ad prælia venerea armaret Semenqve generaret, copiosiùs antea assumserat, referente Rudolphô Wilh. Crusio, *ibid. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 273. p. 623.* Qvandoqve etiam Semen â morbis suspectis vel aliis causis maximum fœtorem contrahit, qvale exemplum recenset Laurentius Hoffmannus *de vero usu & fer. abus. Medicament. Chymic. pag. m. 124.* Qvotiescunqve scilicet Maritus qvi- *Fœtidus.* dam rem cum Uxore juvenculâ formosissimâ habere cuperet, maximè hæc trepidabat, concubitumqve illius reformidabat, propterea, qvod plerumqve post Seminis masculini calidissimi & fœtidissimi effusionem exanimis in thorô jaceret. Fœtor

tor enim Seminis adeò abominabilis fuit, ut ferè semper post Coitum in animi deliqvium inciderit. Interim tamen qvinqve annorum spatiô decies concepit & molas vel ἐκτρώματα peperit, &c.

§. 21.

Semen virile ratione Spirituositatis in Coitu fœcundô seu generatione agere atqve ad ovulum muliebre efficienter se habere hactenus adducti Autores monstrârunt. Qvos Spiritûs partim ab ipsâ massâ humorum, per arterias Spermaticas appulsâ, partim â Nervis Testiculorum, partim etiam ab Orgasmô venereô in congressu Semini communicari, credibile est. Qvod ultimum, scilicet in Coitu, præter Spiritûs, in Semine vesiculari jamjam detentos, adhuc alios & plures Spiritûs animales de novô ad Organa virilia deferri, ideò probabile mihi vidètur, siqvidem si omnes Spiritûs, in Coitu cum Semine profusi, jamdum antè actum venereum â massa humorum secreto, in Vesiculis Seminalibus detento, atqve prò Coitu reservato, Semini inclusi fuissent, non autem tempore coitûs tum à sangvine, tum à nervis accederent, undenam qvæso tanta post Seminis effusionem lassitudo, tantaqve in nonnullis Virium prostratio? Imò undenam motus ille qvasi convulsivus, ob qvem Democritus μικρὰν ἐπιληψίαν εἶναι τὴν συνουσίαν asseruit, in coitu oritur, nisi à novô Spirituum influxu? Deniqve unde aura illa, cujus explosione in Coitu, absqve ulla Seminis excretione, Uxori delicias excitabat Personâ Illustris, cujus Johannes Mauricius Hoffmannus *Disqvisit. Corpor. human. Patholog. Specim. 8. §. 17. pag. m. 100.* mentionem facit? Imò unde ipsa mors maribus qvandoqve in ipso Coitu superveniens, nisi à spirituum nimis larga dissipatione? An verò Operatio Seminis virilis in Ovulum muliebre per spiritualem tantùm ejusdem irradiationem, juxta Harveum

Spiritus.

veum & qvamplurimos recentiores, an verò per contactum qvendam corporeum liqvoris genitalis utriusqve Sexus fiat, res non adeò clara videtur, siqvidem Fridericus Ruyschius in fœminâ qvâdam in adulteriô deprehensâ, & paulô post Coitum â virô occisâ, non solum Uteri Cavitatem Semine albô & bene coctô refertam, sed etiam Tubas Falapianas eodem liqvore repletas reperisse scribit *Thesaur. Anatom. VI. Prodrom. pag. m. 10. & Thes. p. 15.* vid. etiam Exercitat. Subseciv. Francofurt. *Tom. I. Sect. 1. pag. m. 11. seqq.* Deniqve etiam sufficientem Spirituum qvantitatem atqve Orgasmum Venereum ad potentiam generandi reqviri, exinde liqvet, qvia ejusmodi personæ, qvibus Spiritûs non in debitâ sufficientiâ elaborantur, (licet etiam coire atqve liqvorem qvendam spermaticum excernere possint,) ad generationem minùs aptæ sunt, uti non modò in pueris ante pubertatem atqve in Senibus seu decrepitis, sed etiam in viris, justæ ætatis, ægrotantibus & aliis invalidis, qvotidiana experientia testatur; Unde etiam potentia generandi certis temporis limitibus, qvamvis pro differentiâ Subjectorum, circumscribitur.

§. 22.

Autorum verba.

Hanc de Seminis Spiritibus Sententiam confirmant præter superos allegatos adhuc alii Autores; ut de nervis ad Testiculos currentibus nil dicamus, cùm bini ramuli nervosi ad Testiculos ferantur, qvorum alter ex pari vagô octavô, alter ex vigesimô primô spinalis medullæ oritur, juxta Christ. Joh. Langii *Physiolog. Thes. 36. Oper. med. Part. I. fol. m. 211.* qvi Autor etiam *fol. 213. & 215. seq.* prolixè & profundè ad argumenta contraria respondet. Et Rosinus Lentilius Renes pro Officinâ Tincturæ seu Spiritûs cujusdam genitalis agnoscit, *vid. Ephemerid. Acad. Nat. Curios. Cent. I. & II. Obs. 168. Schol. p. 353.* ubi dicit: Verus renum usus est duplex; qvoad

ex-

externam ejus ſubſtantiam elaboratio Tincturæ cujusdam genitalis alterando ſangvini in puberibus, pro excitandâ laſciviâ dicatæ; qvoad internam ſecretio Urinæ, &c. Ita ſcribit H. G. Herfeld *de Origin. Morbor.* §. *47. pag. m. 67.* Qvando ad venereas cogitationes ſtimulatur qvis, reſiliunt ex Cerebri regione & effluunt copiâ majori ſubtiliſſimi Spiritûs ſtimulantes per nervos in iſtam regionem delatos & concurrentes non tantùm cum iis, ibi vagantibus, ſed & arterioſum ſangvinem concitantibus; unde etiam dum arteria per corpus Penis nervoſum & ſubſtantiam iſtius ſpongioſam percurrit, qvæ nerveis fibrillis ſcatet, neceſſariò Penis incraſſeſcit, & qvando Spiritûs irrunnt in veſiculas Seminales, atqve ibi fermentationem proritant contractis muſculis & nervoſi corporis ſubſtantiâ ejaculatur Semen ſeu Sperma imprægnatum multitudine Spirituum animalium, &c. Sic loqvitur G. W. Wedelius *Diſput. de Vener. medic. & morboſ. cap. 3. p. 28.* Συνȣσία est actio vehementiſſima, ubi poſtqvam celeuſma auditum fuerit, humores in corpore moventur, & ſpiritûs animales à ſtatione ſuâ agminatim ex partibus omnibus ad genitales properantes Operi huic publico velificari nituntur. Item juxta Johan. Barthol. Adam. Beringer. *Id. Inſtitut. med. Theſ. 15. pag. m. 36.* Propagationi Speciei ut conſulatur, defertur ſangvinis portio per arterias ſpermaticas dictas ad Teſtes, qvi in Viris ſunt congeries qvædam minutiſſimorum vaſculorum ſeminalium appellatorum, in qvorum Cavitatem per multiplices illas arteriolas vaſcula Seminalia concomitantes & complectentes tenuiores qvædam ſangvinis particulæ deſtillant, qvibus nonnulli Spiritûs animales per nervos allati permiſcentur, ex qvali permiſtione & legitimâ unione conficitur genitura, qvâ mediante Actio genitalis ſive generatio producitur. Porrò Spiritum animalem per nervos allatum

& in Testibus in tenuem liqvorem condensatum ac sangvini admixtum etiam ad Seminis materiam necessariò concurrere, prolixe defendit Isbrandus Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 28. fol. 160.* Et juxta Mich. Ettmüller. *Oper. med. Tom. I. Institut. med. physiol. §. 222. fol. m. 15.* Genitura chylosa seu lactea, nonnihil mucilaginosa, sub coitûs ardore Spiritibus, in specie animalibus, largiter impraegnatur, unde turgescens & vesiculas Seminales distendens, horum & partium vicinarum musculosarum contractione, accedente propriô spumosô impetu, validè è membrô virili ejaculatur & evibratur. De hac Seminis perfectione seu generationis potentiâ ita scribit Louis Bellefontaine *dans la Medecine dogmat. mechaniqv. pag. m. 35.* La Semence commence d'être capable de generation, lorsqve la Chaleur ouvre les pores des glandes & des vaisseaux plus qv'auparavant, en sorte qve le sang coule par les glandes plus librement & par la consumption de l'humidité superflüe les nerfs sont mieux en état d'y apporter les Esprits animaux en uneqvantité reqvise; car avant ce temps la plus grande partie du sang étoit employée à l'accroissement du Corps, la chaleur & le pouls étoient trop debiles pour pouvoir faire circuler le sang assez vite par tous ces détours & anfractuositez. Dela vient, qve les vieillards decrepits manqvent de Semence, à cause qvela chaleur est en eux fort debile & leur sang depourvêu de parties balsamiqves & chyleuses, de sorte qve les vaissaux spermatiqves se retrecissent & ne permettent plus au sang ausi libre accez. De Operatione Seminis virilis Johannes Conradus Peyerus *Exercit. 19. p. m. 97.* ad Johannem Jacobum Harderum ita scribit: Liqvor genitalis è talibus corpusculis componitur, qvae & tenerrima sunt & ad motum promptissima, non enim efficax est, nisi vehementer exagitatus, ut qvasi spumescat. Differre

re tamen à ſpiritibus animalibus debent, qvoniam his fœminæ qvoqve abundant; at marem qvid ad generationem tribuere, qvod fœmellæ non poſſident, jam pro indubitato affirmavimus. Et Johannes Jacobus Harderus *l. a. Exercit. 27. p. m. 149.* ad Johannem Conradum Peyerum hæc habet: Notatu ſane dignum arbitror, tot partibus Seminariis Naturam providam non homini modò, ſed & aliis animantibus proſpexiſſe; In ſolis attamen teſtibus præcipuos amoris aculeos hærere adeò, ut hiſce deficientibus langveant omnia, adqve amplexum mutuum homines inertes fiant: dicendumne, ex theculis illis pretioſis Spiritum qvendam cæterarum partium contenta irrorantem tempore *συμμίξεως* communicari? vel liqvoris ſpirituoſi copiam inde unicè derivandum eſſe? Dubius ſum, & qvid ſentire debeam hæreo, qvamvis poſterius veritati magis conſonum exiſtimem, nulla inter veſiculas Seminales vel proſtatas cum teſtibus vaſisqve his appenſis exiſtente communione.

§. 23.

Vermiculos ſeu animalcula in Semine virili tum brutorum, tum ipſius hominis, reperiri, ſibi & aliis nonnulli Autores perſvadent; Scribit enim Heidenr. Overcamp. *Oecon. animal. cap. 1. pag. m. 8.* hoc ſeculo notum, in Semine hominum atqve animalium vermiculos vivos ſeqve motitantes per Microſcopium cerni poſſe. Semen humanum animalculis multorum generum eſſe repletum, ex Myſſenbruchii, Microſcopiorum artificis obſervatione refert Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 7. p. m. 24.* Imprimis hanc opinionem defendit Antonius à Leeuwenhock *in Epiſt. ad Christophorum Wren, Præſidem Societatis Regiæ in Anglia Arcan. Natur. detect. pag. m. 28. 30.* ubi gloriatur, ſe detexiſſe, in Seminibus maſculis brutorum, avium, piſcium, imò etiam in- *Vermiculi in Semine.*

insectorum animalcula reperiri. Idem Autor *Anatom. seu Interior Rerum*, Epistolam de vivis animalculis in lactibus seu Semine masculo piscium, & in testiculis animalium, ad Nehemiam Grew perscripsit, *p. m. C. 1.* & aliam ad Robertum Hocke, de animalculis in lactibus pereæ, cyprini lati, Truttæ & Tincæ, *p. 12. 25.* De ejusdem Autoris Observationibus Microscopicis circa animalia in Semine Insectorum masculinô vid. etiam *Act. Erudit. Lips. An. 1682. Mens. Octobr. p. 321. 324.* Et Actor. Erudit. Lips. *An. 1719. Mens. Januar. p. 12.* referunt Domini Collectores ex ejusdem Autoris Continuatione Arcanorum Naturæ detectorum, ipsum inventionem animalculorum in Semine maris, qvam sibi asseruerat Hartsœkerus, sibi vindicare, &c. *vid. etiam p. 13. & 15.* ubi de animalibus in Semine arietum, Aselli majoris, qvem Belgæ Kabbeljunio vocant, in Semine Gallorum gallinaceorum, aranearum agitur. Vid. etiam Christ. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. 3. Tit. 1. §. 86. pag. m. 877.* Si Microscopiô humanum contemplamur Semen, diversorum animalium myriades in eô repunt ac se motitant, inqvit Johannes Lud. Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 55. pag. 91. seq.* & secundum eundem Autorem *Fascicul. qvat. Epistolar. Ep. 1. pag. m. 7.* in Semine multorum animalium catervam inter se repentium detexerunt Microscopia. Cui sententiæ etiam subscribit Louis Bellefontaine *dans la Medecine dogmat. mechan. pag. m. 34.* Il se voit, inqviens, par l'aide du Microscope un tres-grand nombre de petits animaux dans la Semence virile, qvi ressemblent assez bien à des petits vers: car ils sont de figure oblongue & ronde, aiant la téte fort grosse à proportion de leur corps, leurs extremitez invisibles, à la verité, mais, comme je pense, faute d'extension. Ils se meuvent d'une celerité incroiable dans la Semence, écumant

&

& déchargeé incontinent auparavant. Juxta Verba Nicolai Andry *de la Generation des Vers Cap. 3. Art. I. p. 39.* Les Vers ſpermatiques s'engendrent en cette humeur, qve la nature ſepare dans tous les animaux pour la propagation des eſpeces, plus l'animal eſt ſain & plus il s'y trouve de ces Vers. Selon les apparences ce ne ſout pas des Vers inutiles, ce ſont pentétre les animaux mémes, qvi doivent naître en ſvite de la femelle. N'entrenoientils point dans l'oeuf, où ils prendroient aprés la nature du fœtus. De his vermiculis in animalium & hominis Seminibus repertis seqventia habet Jean Baptiſte Verduc, *dans la Suite de Pathalogie de Chirurgie, cap. 41. pag. m. 1033.* Il faut ſcavoir, qve les Semences de tous les animaux mâles, ſans en excepter celle de l'homme, ſont toutes remplies de petits animaux; mais il n'yen a point, où cela ſe decourre mieux, qve dans la Semence du rat; parce qve ces petits atomes vivans y ſont plus gros & mieux formez. Dans la Semence de l'homme on voit comme de petites baleines, ou de petits animaux, qvi out la figure du Girynus; c'eſt un fœtus de grenoüille, qvi eſt encore enveloppe de ſa membrane; Car il faut remarqver en paſſant & par occaſion, qve la plus part des inſectes demeurent longtemps cachez ſous cette peau, & qv'ils ne qvittent cette robe de chambre, pour ainſi parler, qve lorsqve leurs parties ont acqvis aſſez de fermeté & de conſiſtence pour ſe mouvoir avec liberte. Le premier, qvi a decouvert des animaux dans la Semence, eſt le curieux Monſieur Ham; ce fût en examinant la Semence d'un Cocq; Il rapporte une choſe aſſez particuliere; Il dit, qv'on ne decourre point ces ſortes des petits animaux dans la Semence des vieux animaux, & dans ceux, qvi ſont ſteriles, &c. Vid. etiam *Nouvelles de la Republiqve des Lettres 1684. Sept. pag. m. 649.* Dioniſ. de Sterre *de Ge-*

neral. ex Ovo. pag. m. 13. Steph. Blancard. *Collect. med. Phys. Cent. 3. Obs. 99. pag. m. 484.* Jac. Aug. Hünerwolff. *Fæcund. Gynæc. Myster. p. m. 4.* Semina masculina qvorumcunqve animalium & hominis ipsius, simul ac ex corpore ejecta, vermiculorum myriadibus referta evidenter se vidisse, ac imprimis evidenter in gliribus id apparere; refert Fridericus Schraderus *Epist. ad Theod. Conerding. de Microscop. usu p. m. 34.* ubi ita pergit: Primus, qvod sciam, in Bataviâ in Semine galli id detexit curiosissimus Vir Dn. D. Ham, amicus meus charissimus, qvi inter alia mihi retulit, se Semina sterilium accuratè examinâsse, nec tamen vel unicum animalculum in iis reperiisse; in Gonorrhæâ virulentâ laborantibus verò cuncta illa fuisse mortua, omni motu penitus destituta. Idem etiam de Gonorrhœâ affirmat Johannes Bapt. Verduc. l. a. scilicet hos vermiculos in Semine ordinariè vivos, in Gonorrhœâ venereâ laborantium Semine mortuos observari; Verba ipsius sic sonant: à l'occasion de la Gonorrhée virulente l'on a remarqvé, qve les petits animaux, qv'on de couvre dans la Semence avec le Miscroscope, qvi paroissent vivans, sont morts & sans mouvement dans cette matiere corrompüe, qvi conle dela Verge; & lorsqve ce mal se guerit, & qve cette liqveur reprend sa Consistence naturelle, on voit mouvoir ces petits animaux comme à l'ordinaire. Attamen non semper in statu præternaturali tales vermiculos mortuos reperiri, sed etiam vivos, testatur Christianus Franciscus Paullini de milite Gonorrhœâ laborante, in cujus Semine plurimi vermiculi viri & albicantes, iisqve similes, qvi in Caseis reperiri solent, conspiciebantur, v. Paullin. **Anmuth, Langeweile,** *cap. 58. pag. m. 211.* Item â qvodam Lue venereâ infectô non modò cum sputô & urinâ, sed etiam cum Semine vermiculos minutissimos & visum ferè, etiam acutissimum, effugientes,

tes, præterea continuum vesicæ pruritum & assiduum mingendi desiderium excitantes, fuisse rejectos, annotavit idem Autor *Observ. Med. Phys. Cent. II. Obs. 58. pag. m. 221. seq.* Ejusdem fortasse farinæ qvoqve fuit exemplum, qvod idem *loc. all. Cent. I. Obs. I. pag. 3. & M. N. C. Dec. II. An. 5. App. pag. 6.* refert de fœminâ qvadam honestâ Justo Cortnummio conqvestâ, se toties, qvoties ex debitô conjugali maritum admitteret, sentire insignem colli uterini pruritum, subseqvente mox crebriore mictione. Urinam in vitrô aliqvando collectam ipsa examinatura varios cernit vermiculos candidissimos, rubris rostellis, partim natantes in eâ, partim lateribus adhærentes. Excepit aliô die ipsum Conjugis sui Semen, & ecce eosdem in eô longè copiosiores, qvos etiam Cortnummio ostendit, &c. Plura de his Vermiculis infra Capite IV. reperies.

§. 24.

Huic eqvidem Sententiæ de Vermibus in Semine virili reperiundis, ex recentioribus contradicit. Ido Wolffius *Observ. Chir. med. Lib. 2. Obs. 4. pag. m. 184.* nimium, inqviens, in Curiositate medicâ progressi esse videntur Viri aliàs laudatissimi Leeuwenhoeck & nuperus modò Scriptor Andry, dum Semen masculinum magnâ vermium copiâ scatere sustinent. Verùm Microscopiorum fides in hac re valde sublesta est, cùm, ludibrium partium motu adhuc propter calorem gaudentium fuisse, credendum potiùs sit. Item â Philippo Verheyn, particulæ mobiles, qvæ in masculinô Semine per Microscopium deprehenduntur, ob motum earum valde confusum & ab aliô principiô, qvam à se ipsis dependentem, ex animalium consortio expunguntur. v. *Act. Erudit. Lips. Supplement. Tom. IV. Sect. 10. p. 445.* Alii tamen econtra ex his vermiculis seu animalculis in Semine virili tam hominis, qvàm

Non esse Vermes in Semine.

Ex vermiculis Fœtum formari.

qvàm aliorum animalium postea fœtûs formari credunt, de qvâ materiâ paulò infrà agemus. Ad qvæstionem autem, unde tot animalcula in Semine generentur? respondet Martinus Lister, *Dissertat. de Humorib. cap. 42. p. m. 396.* qvòd generentur ut cætera insecta, nempe plurium Specierum extra sangvinis orbem, & in ipsis humoribus nascentia & nutrita, exempli causâ, in renibus, in vesicâ, in hepate & alibi glandularum: Ita & in ipsis vesiculis & vasis Seminalibus: scilicet a suis parentibus homini certè in ovô connatis. Nam nihil ejusmodi sponte nascitur, &c.

Unde vermiculi in Semine?

§. 25.

Semen petrefactum.

De Semine petrefactô ideoqve in Coitu deficiente mirabilem observationem refert Nicolaus Blegny, *Zodiac. Med. Gallic. An. II. Mens. Mart. Obs. 4. pag. m. 74.* in sexagenariô, qvi ex primâ Conjuge plurimos eqvidem susceperat liberos, postqvam autem jampridem viduus, bene tamen validus atqve robustus ad secundinas convolârat nuptias, irritum semper & frustraneum Coitum exercuit. Licet enim libidinis æstu continuò impelleretur ac sæpe rigida erectio illius comes esset, nulla tamen unqvam Seminis ejaculatio conseqvebatur. In hujus brevi post defuncti cadavere materia spermatica in lapidem concreta reperta est, adeò, ut vasa ejaculantia lapidibus durissimis, plerisqve fere rotundis, magnitudinis prope & formæ pisorum scaterent.

§. 26.

Seminis defectus in Coitu.

Cùm hôc locô defectûs Seminis mentionem fecerim, non possum qvin alia adhuc ejusmodi exempla adducam, siqvidem qvandoqve Coitus sine ullâ Seminis ejectione celebratus legitur: v. g. Petro Foresto, Juvenis qvidam raræ & siccioris temperaturæ, cùm viduam duxisset, conqvestus est, se, cùm

Coitu

Coitu uteretur, Veretrô licet optimè extentô & rigidô, Semen tamen ejaculari non posse. *vid. Forest. Lib. 26. Obs. 18. fol. m. 586.* De Juvene Illustri, qvi in venereô congressu cum muliere Semen emittere neqvibat, qvamvis in somnô atqve manibus perfricatâ mentulâ vel nullo negotio excerneret, vid. Marcell. Donat. *de Medic. Histor. mirab. Lib. 4. cap. 18. pag. m. 397.* Simile exemplum ex Aetio recenset Daniel Sennertus *Prax. Lib. III. cap. 9. Sect. 2. cap. 6. pag. m. 969. & Joh. Schenck. Observ. med. Lib. 4. fol. m. 532.* de Adolescente, qvi, qvando cum Muliere rem habebat, Semen effundere non poterat, dormienti verò plurimum Seminis prodibat. Locô modò allegatô Schenckius etiam bina exempla refert eorum, qvi nunqvam Semen excreverunt. Anno 1669. Textoris Conjux à G. W. Wedeliô ad tardam Seminis ejaculationem remedium petebat, addens, ipsum sibi permolestum esse in concubitu & extremam sæpè accersere delassationem, nullâ licet maximè urgeret, subseqvâ Seminis emissione. Qvod cùm per qvinqve annos durasset, in sterili Conjugiô vivebant, donec tandem exantlatô morbô ictericô, aliqvotô tempore elapsô, post ingentem conatum exantlâsset suum munus meliùs, unde filiæ pater factus est. vid. G. W. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. III. cap. II. p. m. 638.* It. Act. Hafn. *Vol. II. Obs. 44. p. m. 138. seq.* Vir triginta circiter annorum, staturæ & corpulentiæ mediocris, egregiè etiam barbatus, nec non prosperâ ac vegetâ valetudine præditus, cum Constitutionis optimæ fœminâ, jam undecim annorum spatiô, ac qvod excurrebat, in matrimoniô vixerat. Et qvamvis ab eô tempore sæpenumerò cum Uxore Congressum celebrâsset, ne guttulam tamen liqvoris in illum usqve diem in naturæ sinum effudit; Nihilo secius salacissimus fuit, sæpissime toro coivit. Testes crassiusculos, sed ferè insensibiles, naturaliqve longi-

tudine ac crassitie præditum membrum habuit, illudqve rigidissimum in pudoris sinu, nonnunqvam satis diu, etiam cum Uxoris cruciatu, agitabat, usqve elangvesceret, &c. teste Friderico Christ. Cregutô *M. N. C. Dec. III. An.* 5. & 6. *Obs.* 87. *pag.* 645. *seq.* Huc pertinet etiam Observatio Felicis Plateri *Lib.* 1. *pag. m.* 257. Conqverebatur scilicet matrona qvædam, ad conceptum ob ætatem non amplius idonea, de maritô, qvi virilem ætatem nondum superaverat, qvòd congressu eam supra modum exerceret excruciaretqve, citra spermatis tamen effusionem, nullôqve cum oblectamentô, à matrimoniô consistoriali, ut per divortium separaretur, obnixè petens.

§. 27.

Semen in epigastris exiens.

Rarioribus qvoqve Observationibus annumerandum, qvod refert Paulus Ammannus de virô qvodam triginta octo annorum, qvi de impotentiâ coëundi conqverebatur, non â flaccidô verpô vel vitiô Conformationis, oriundâ, qvandoqvidem urgebatur vehementissimis membri erectionibus, sed potiùs, qvòd erectum penem nulla subseqvi voluerit Seminis emissio. Pertulit hanc passionem per integrum annum, incassum semper solicitando Venerem, qvô ipsô tempore non parvam etiam virium jacturam perpessus fuit, adeò, ut ipsi Marasmo via jam strata videretur. Natura, Seminis copia procul dubiô gravata, alium interea qværit exitum, in parte dextrâ epigastricâ, tria foramina, instar minimi fonticuli, excitando, per qvæ laudabile Semen qvoties volebat, veluti lac è papillâ exprimebat. Vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Observ.* 186. *pag. m.* 284.

§. 28.

Loco Seminis flatus per Penem.

Locô Seminis nonnulli in Coitu auram vel flatûs emisisse

fisse leguntur. Refert enim Zacutus Lusitanus *de Prax. Med. ad mir. Lib. II. Obs. 121. Oper. Tom. 3. fol. m. 71.* qvendam eâ partium genitalium imbecillitate, unà cum copiâ pituitæ multæ laboràsse; ut, cùm coiret, non Semen per penem, sed locô ejus flatûs emittere sentiret. Qvi tamen postmodum abstinens diu à Venere post Medicamentorum & Balneorum naturalium usum, cùm concubuit, Semen emisit prolemqve habuit. De Personâ Illustri ob Scirrhum Testium consummatum nunqvam vel tantillum Seminis effundente, in συνȣσίᾳ conjugali nihilominus ex auræ cujusdam blandâ explosione delicias faciente. vid. Joh. Maur. Hoffmann. *Disqvis. Corp. human. Anat. pathol. Specimin. 8. §. 17. p. m. 100.* De Viro in Coitu nihil Seminis, sed tantum Spiritus maximô cum delectamento effundente, vid. Joh. Ben. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. I. Tr. 3. cap. 6. p. m. 61.* qvi Autor etiam *Lib. 3. Tract. 3. cap. 7. pag. m. 328. seqq.* causas, cur aliqvi in Veneris palæstrâ Semen emittere neqveant, inqvirit.

§. 29.

Alii loco Seminis flatus non per penem, sed per alvum elidere solent, qvalia exempla bina recenset Daniel Sennertus, *l. a.* alterum ex Aëtio de Adolescente qvodam, qvi se vehementer coitum appetere confessus est; Verum ubi commisceretur, Semen emittere non posse, sed flatus plurimos sibi per Sedem erumpere: Alterum ex Amatô Lusitano, de Juvene qvodam Dalmatâ, qvem mœstum & tristem ad se venisse scribit, & retulisse, cùm coiret cum muliere, nullum emittere Semen, sed potiùs ventris crepitum. Vid. etiam Johan. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 532.* & Zacut. Lusit. *de Medicor. princip. Histor. lib. 3. Histor. 18. fol. m. 515.* *Flatus per alvum.*

§. 30.

Unde? An autem in ejusmodi Casu, ubi locô Seminis flatus per penem emittitur, juxta Casparum Calderam, Seminis substantia in flatuosos crepitus convertatur, vid. Joh. Maurit. Hofmann. *Disqvisit. anat. patholog. Specim. 8. §. 35. pag. m. 109.* vel annon spasmus in Vesiculis Seminalibus excretionem turbans & flatum excitans superveniat, dubium mihi adhuc videtur. Item, cur nonnulli æstu libidinis perciti cum Uxoribus nihil emittant Seminis, qvod tamen somni tempore abundè effluere solet, vel cur Semen copiosius à somniantibus, qvàm vigilantibus coitûs tempore expellatur, illiqve majori, qvàm hi, voluptate fruantur citiusqve rore madeant. Philippus Jacobus Vintherus Disput. inaugur, *περὶ τ̃ ἀπεράχ]ων μορέων*, cap. 12. p. 38. potissimum phantasia causâ factum judicat, hanc, inqviens, in dormientibus maximè occupatam multoqve efficaciorem, qvàm in vigilantibus esse, experientiâ certissimum est, præcipuè in his, qvæ veneris negotia concernunt. Qvodsi enim nemo facilè vigilans tantopere deperire vel ipsam potest Helenam, ut Semen effundat, qvod tamen lasciva somniantibus facilè evenire nocturnæ pollutiones testantur, nil qvicqvam obstare putamus, qvò minùs, in frigidis præsertim, phantasia noctu id possit, qvod vigilantibus impossibile. Addimus & hoc, qvòd coeunti citius absumptis spiritibus flaccescant genitalia, qvàm Semen frigidius seqvitur: cùm contrà corpore qviescente iisdem tardius destituantur, adeoqve non priùs vela contrahant, qvàm Seminalis humor conceptaculis suis emunctus fuerit. Cornelius Stalpart van der Wiel, *Observat. rar. Centur. poster. Obs. 41. Schol. p. m. 423.* hanc reddit rationem: qvia scilicet somni tempore veluti torpent sensus, Spiritusqve ad illorum functiones non impenduntur, tuncqve maxima ipsorum cohors intus convertitur;

un-

unde illi copiosiores longè ad partes deferuntur genitales, cùm in vigilantis corpore qvaqva vorsum ad munia obeunda dispergantur. Mihi tamen pariter illa subesse causa videtur, cùm nimirum in Coitu genus nervosum multùm patiatur, ut à qvibusdam qvoqve Speciem Epilepsiæ præ se ferre dicatur; facillimè meâ qvidem sententiâ fieri potest, ut ab ejusmodi tensione & spasmô Vesiculæ Seminales constringantur, qvò minùs Semen ejici possit.

§. 31.

Porrò Sangvinem locô Seminis in Coitu emisit Vir qvidam octoginta circiter annorum, Juvenculam ducens, ipsiqve ut placeat atqve satisfaciat, Medicamenta tardos maritos excitantia in magnâ copiâ assumens, juxta Philipp. Salmuth. *Observ. med. Cent. I. Obs. 81. pag. m. 50. seq.* In Juvene qvodam Hispanô ex nimiô Coitu sangvinem locô Seminis manantem observavit Zacutus Lusitanus *de Prax. medic. admir. lib. 2. Obs. 116. Oper. Tom. III. fol. m. 70.* Et Petrus Borellus *Histor. Cent. 4. Obs. 17. p. m. 290.* Amici meminit, qvi nunqvam mulieri conjungi suæ poterat, qvin largô sangvinis profluvio sinus pudoris ejus regurgitaret, qvod valde ei importunum erat, adeò, ut ab ejus amplexu abhorreret. De duobus adolescentibus propter immoderatam Venerem Sangvinem purum mejentibus, vid. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 531.* ubi adhuc alia extant exempla. Interdum Sangvis simul cum Semine prodit, qvale exemplum recenset Paulus Ammannus *Irenic. pag. m. 131. seq.* de Virô Nobili conqverente, se integerrimâ aliàs sanitate præditum in Coitu unà cum Semine sangvinem excernere & qvidem Semen cum sangvine permixtum, crassum, consistentiam tamen Seminis non excedens, absqve foetore vel dolore, vel aliô aliqvô Symptomate, cum debitâ Membri virilis erectione & consvetâ coëundi li-

Sangvis locô Seminis.

libidine &c. Ruricola qvidam, qvi bene potus noctu cum uxore rem habuerat eamqve nimis liberaliter exercuerat, unde non tantum eadem nocte, sed & posteris diebus per intervalla sangvinem minxit, referente Ehrenfrido Hagendornio, *Histor. medic. physic. Cent. 2. Histor. 42. p. m. 212.* De hæmorrhagia Penis extra coitum vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obs. 51. p.* 113.

§. 32.

Seminis involuntaria excretio.

Ad vitiosam & involuntariam Seminis excretionem referimus, qvando per Vesicularum Seminalium, à duriorum fœcum alvinarum exclusione, factam compressionem simul Semen excernitur; aut si talis excretio sub barbæ rasione contingit, uti de qvopiam ex Th. Bartholino adducit Joh. Maur. Hoffmann. *l. a.* Berolini qvoqve Cœlibi cuidam ad siccitates alvi semper prono inter egerendum duriores feces, toties qvoties hoc faciebat, involuntaria fiebat Seminis expressio, totum corpus enervans, appetitumqve turbans. vid. *Act. Medic. Berolin. Vol. IV. p.* 70. Hominem qvadraginta annorum Paduæ cacando Semen emisisse, legimus apud Joh. Schenckium, *Obs. l. a. f. 532.* Sæpissime etiam per somnum contra voluntatem atqve sine voluptate in pollutionibus nocturnis Semen profundi, res satis nota est. Involuntariâ tamen Seminis excretione non dormiens, sed vigilans laborabat Vir qvidam doctissimus, qvi, qvoties in Scholâ vel alibi puerum qvendam castigare, braccas detrahere, ac ferulis cædere videbat, illumqve plorantem audiebat, toties sine membri virilis tensione atqve tentigine Semen copiosissime ejaculare cogebatur, tantâ animi commotione, ac si in Lipothymiam incidere deberet; qvod etiam ei dormienti sæpius accidebat, qvando hac de re somniabat; uti ex Joh. Matthiæ Nesteri Literis refert Christianus Frid. Garmannus, *M. N. C. Dec. I. An. 3.*

Obs.

Obs. 201. p. 376. seq. vid. etiam Garmann. *Epistol. Cent. I. Ep. 88. pag. m. 356.*

§. 33.

Mediante Semine per Coitum vim Medicamenti purgantis Uxori communicatam legimus apud Petrum Borellum *Obs. med. Cent. 4. Epilog. pag. m. 350.* scilicet cùm Vir qvidam purgans Medicamentum accepisset, & Coitum statim exercuisset, uxor ejus pro illô, purgata remansit. Aliud Exemplum de Nobili qvodam, qvi Aureliæ in Galliâ Scorto, post horam à purgante medicamentô assumtô jusculum ferenti, inter meretricios amplexus coitu purgantem efficaciam insinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω decies vehementer purgaretur, ex Joh. Dan. Horstiô recenset Valentinus Mœllenbroccius *de Varis cap. 8. §. 55. pag. m. 115.* vid. etiam Georg. Fr. Rallius, de *Generat. Animal. Sect. 5. pag. m. 171. seq.* ubi causam Operationis addit. Hic, inqviens, Odorem aliqvem fermentativum medicamenti purgantis cum ipso Seminali spiritu in fœminam hanc immissum, ipsiqve sangvini communicatum, in ejusdem corpore fermentationem qvandam sui generis excitasse, per qvam humores â cæterâ massâ secreti, partim ad intestina, partim ad Ventriculum propelli potuere, manifestum est. *Cum Semine purgans.*

§. 34.

Venenum cum Semine in coitu fœminæ communicatum observavit Volateranus. Rusticus scilicet, cùm per fœnisecia apertô ore in agris dormiret, & serpentem per fauces hiantes intra corpus admisisset, se statim aliis commanducatis, ceu præsenti amuletô curavit: Virus tamen Uxori in Coitu instillavit & morte comite transsudit. vid. Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib. III. fol. m. 336.* Calpurneus coitu Uxo- *Cum Semine Venenum.*

Uxores venenabat, ut dives fieret, unde rumor erat Romæ, Calpurneum digito interficere uxores. vid. *Hier. Mercurial. de Venen. Lib. I. cap. 11. p. m. 22.*

§. 35.

Semen cur per ictus ejaculetur?

Cur Semen in ejaculatione & Coitu non omne simul seu unâ vice, sed per ictûs qvasi excernatur, hanc rationem reddit Leal Lealis *Epist. ad Dominic. de Marchett. de Partib. Semen conficient. pag. m. 42.* Genitale virus seminalia Intestinula (vulgo vesiculæ seminales) primò asservant, mox venereô percita ὀργασμῷ in Urethram per communem ductum ejaculant. Hic naturæ occurrit miranda sagacitas, qvæ, ne totum intestinula unicô impetu asservatum Semen temerè projicerent, & Uterum importunô proluerent imbre, ea multiplici flexurâ curvando cavit & in octenas novenasqve cellulas, ceu venerea distribuit tela, ne conflicturo cum validâ Athletâ homini arma aliqvando deficerent. Cùm autem Güntherus Christophorus Schelhammerus in Talpæ cujusdam Anatome partes genitales rimatus esset, considerari dignum judicat, omnes has partes carnosis integumentis muniri, ex qvô manifestum sit, contrahi eas atqve sic seminalem materiam propellere. Ubi miratur, neminem Anatomicorum advertere, etiam in nobis Semen omninò pulsione, undeqvaqve illa pendeat, protrudi in Urethram, eâqve tantâ, ut extra Penem longè prosiliat, qvod sine maximâ vi ac singulari fieri non posset. Antiqvi, pergit dictus Autor, ex turgescentiâ Seminis esse & Spiritu statuerunt. Verum hoc tam vanum est, ut nihil magis. Qvicqvid enim turgescit aut Spiritu agitatur, ebullit lentè, nec projicitur, sed intumescit tantùm. At hoc longè aliter fit in Seminis ejectione, imò manifestis subsultibus cùm extolli Urethram, tum recurrere, deprehendere licet, idqve repetitis vicibus. Qvod turgescentiæ adscribere ineptum, sed

sed manifesto declarat, impelli aliqvô cum impetu tantam Seminis copiam, ut spatium non inveniens eam distendat, sicut â corde propulsus Sangvis arterias. Itaqve in suspicionem venio, circa partes genitales nondum omnia nos habere explorata, sed superesse adhuc aliqvid, qvod Semen cum impetu propellat: certum enim est, in corpore nihil tractu, omnia pulsu fieri, uti dudum accuratiores Philosophi demonstrârunt. In hoc animalculô, (Talpâ) qvid sit, in apertô est, & cùm nihil in corpore nostrô præter musculos moveat qvicqvam, idem hîc fieri qvoqve existimo, erectores tamen Penis esse, neqvaqvam credo, &c. Hæc Schelhammerus *M. N. C. Dec. II. An. I. Obs. 130. pag. 329. seq.*

§. 35.

An in Semine anima?

De qvæstione, an in Semine lateat anima atqve aliam animam veluti per traducem animet, an verò singulæ animæ de novò à Deo creentur atqve in opere generationis immediatè infundantur? vid. Sam. Ledelius, *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obs. 4. pag. 7. 8. seqq.* **Sam. Forbigers vernünfft. Medic. p. m. 83.**

CAPUT II.

De Seminis Officinâ,

nimirum

De Testiculis eorumqve bursâ seu Scroto.

§. I.

in Testiculis an Semen generetur?

SPerma prolificum seu Semen virile ad impregnationem & procreationem generis humani maximè necessarium, circa

certum ætatis tempus in Testiculis virilibus aut omninò elaboratur, aut secundum aliorum sententiam ad minimum perficitur, qvanqvam nonnulli Autores ad ejusdem perfectionem etiam Vesiculas Seminales reqvirant. Inqvit scilicet Thomas Cornelius, Consentinus, *Progymn. Phys. 5. pag. m. 177.* Genituram in Testibus peculiari qvadam eorundem vi confici, omnes ferè Medici unanimi consensu tradiderunt; sed mirari satis non possum, cur ita crediderint, cùm nusqvàm non occurrant exsecti, qvi libidinantes genituram largiter profundunt. Tolerabilior sanè est illorum sententia, qvi censent, Testes non conficere genituram, sed perficere potiùs, eidemqve foecunditatem impertiri, &c. Sic Dominicus de Marchettis, *Anat. cap. 6. pag. m. 61.* ideò Confectionem Seminis in Testiculis negat, qvia nulla foramina reperiantur, per qvæ Semen in Testiculis jam confectum exire atqve in Vasa deferentia ingredi posset; Item, qvia nullam Cavitatem nullumqve locum Testes habeant; In qvô Semen conficere possint, nec in substantiâ Testiculorum guttula ipsius Seminis reperiatur. Et Georgius Entius *Oper. de Circulat. Sangvin. pag. m. 416.* non tam Semini conficiendo, qvàm ipsi potissimùm dephlegmando exaltandoqve inservire Testiculos statuit. Non autem tantummodò Thomæ Cornelio, Consentino & aliis respondet Johannes Bohnius *Circul. anat. physiol. Progymnasm. I. pag. m. 9.* It. Christ. Joh. Langius *Physiolog. Thes. 36. Oper. Med. Part. I. fol. 213. & 216. seq.* sed etiam Rombertus Dodonæus *Obs. Med. Obs. 39. pag. m.* 100. ex Testiculi dissecti centro Semen erupisse refert. Et juxta Frid. Ruyschium Testiculi viriles neutiqvam glandulosi, sed vasculosi sunt, Semen ad Vesiculas Seminales transmittentes. vid. Joh. Gvil. Pauli *Præfat. in Joh. van Horne Oper.* *** 3. Præter Testiculos autem Seminis elaborationi inservientes huic operi atqve geniture, in Coitu

sub

ſub nomine Seminis effluenti, colligendæ etiam aliæ adhuc partes ſunt deſtinatæ; qvippe juxta Coſmapolit. *Hiſtor. Natural. pag. m. 1. ſeq.* Veſiculæ ſeminales, conſtantes ex plurimis cellulis, glanduloſâ ſubſtantiâ intermixtis, Semenqve ſui generis conficientes, cöeunt in ductum communem, qvi viâ inſenſibili ſimul cum vaſis Semen deferentibus Urethram ſubintrat Proſtatarumqve corpora glanduloſa, Urethræ lateribus utrinqve adjacentia etiam in dictam Urethram ſeſe exonerant. Plura vide in Capite antecedente, item infra Capite 8. de Caſtratione.

§. 2.

Cum Seminis virilis materia ad Teſticulos deferatur per Arterias ſpermaticas, de earum ſtatu naturali evolvantur Anatomici; de præternaturali autem pauca hoc locô inſerere nobis liceat. Ordinariè ſcilicet duæ occurrunt Arteriæ ſpermaticæ totidemqve Venæ; qvandoqve tamen tales Arteriæ planè deſunt, qvandoqve numerô abundant. Deficientes arterias in muliere nuper enixâ partum, venas autem admodum conſpicuas annotavit Johannes Rhodius, *Mantiſſ. anatom. Obſ. 42. pag. m. 25. ſeq.* Locô Arteriarum Spermaticarum deficientium in utroqve latere duas Venas vidiſſe. Petrum Pawium, refert Thomas Bartholinus, *Anatom. reform. Lib. I. cap. 21. pag. m. 202.* Anno 1665. Menſe Aprili, Argentinæ Juvenis qvidam viginti annorum decollatus â Sebiziô in Theatrô anatomicô publicè demonſtrabatur, in qvô arteriæ ſpermaticæ deficiebant, referente Theoph. Bierlingio *Adverſar. curioſ. Obſ. 12. pag. m. 32.* ubi in Scholio ſimul ſeqventem Obſervationem annectit. Anno 1656. Menſe Octobre, Lipſiæ Anatomiam habuimus, in ſubjectô fœmininô, in qvô Cadavere hoc ſingulare cernere ac obſervare licuit, qvod planè deeſſe viſæ fuerint Arteriæ Spermaticæ, qvippe qvarum ſive originem,

Arteria ſpermatica.

deficiunt;

ſive progreſſum & diſtributionem ſpectâſſes, ne minimum qvidem apparuerit veſtigium. E Renibus verò ſuccenturiatis venam in venas ſpermaticas diſtributam viderunt omnes, qvotqvot præparationi imprimis, qvæ propterea laborioſior fuit, & publicæ interſuerunt demonſtrationi. Item Anno 1664. Jenæ in Theatrô Anatomicô publicô diſſecabatur fœmina, ob parricidium commiſſum Altenburgi Capitis ſupplicium, qvæ experta erat. In hujus Cadavere Arteria ſpermatica utriusqve lateris deficiebat, ramulus tamen exiguus ab Arteriâ hypogaſtricâ ad Teſtes ferebatur, teſte Alardô Hermannô Cummenô *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 113. p. 183. ſeq.* Et An. 4. & 5. *Obſ.* 1. *pag.* 1. refert Carolus Raygerus, notabilem hunc defectum etiam à ſe Argentinæ in ſolenni Anatomiâ Juvenis cujusdam ſuſpendiô necati eſſe notatam; In qvô ſubjectô Anatomicus, Johannes Albertus Sebizius, utrinqve venas qvidem Spermaticas legitimè oriundas, ſed arterias deprehendit nullas. Studioſè perſcrutatus omnia, ſed ne veſtigium qvidem illarum vel ex Aortâ locô conſvetô egreſsûs, vel legitimi cum venis progreſsûs aut in conſtitutionem corporis pyramidalis concurſûs, invenit ullum. Item Johannes Rudolphus Salzmannus in muliere qvadam decollatâ nullas reperit Arterias ſpermaticas, licet diligentiſſimè inqviſiverit; qvod ipse eò magis mirabatur, cùm antè conceperit filiumqve pepererit. *vid. J. Rud. Salzmann. Obſerv. anat. pag. m. 7.* Eundem Arteriarum Spermaticarum defectum etiam in brutis annotavit Alardus Herm. Cummenus l. ſupra all. v. g. in Cane maſculô ab ipsô diſſectô, qvi nullas habebat arterias ſpermaticas, venam tamen in utroqve latere optimè conſtitutam. Item in aliâ Cane fœminâ ne veſtigium qvidem arteriarum Spermaticarum deprehendebatur, licet hæcce novem Catellis gravida exiſteret. Item etiam in Lepore prægnante & Lupô obſerva-

vavit, hac tamen differentiâ, qvod in hôc exiguus ramus ex arteriæ magnæ ramô iliacô ſiniſtrô ejusdem lateris venæ ſpermaticæ insereretur.

§. 3.

Qvandoqve altera tantùm Alteria Spermatica deeſt, qvale exemplum ex Hoffmannô recenſet Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. Oper. pag. m. 29.* Hoffmannus inqviens, dicit, ſe habere ex amicis, D. Petrum Pawium, Anatomicum Batavum, ſecuiſſe Anno 1598. Cadaver Senis ſuſpenſi, qvi venas qvidem ſpermaticas circa initium habebat bifidas, arteriam autem ſpermaticam non niſi unam, ex mediô truncô ortam, decuplô majorem vulgaribus duabus, rectà in Paraſtatas desinentem. Hic cùm annum ageret ſexageſimum ſeptimum, tam erat fœcundus, ut uxorem relinqveret gravidam, cum duodecim liberis. vid. etiam Isbrand. de Diemerbr. Anat. Lib. I. cap. 22. fol. m. 106. Dominus Poupart, dum puellam ſeptem annorum diſſecaret, invenit eam in ſiniſtrô latere neqve arteriam, neqve venam emulgentem, neqve arteriam venamqve ſpermaticam habuiſſe, nullum enim indicium vidit, ullam harum partium antea ibidem adfuiſſe & morbo qvodam emarcuiſſe aut abolitum eſſe. *vid. Hiſtor. Academ. reg. Scient. Pariſ. An. 1699. p. m. 273. ſeq.* *Unica arteria.*

§. 4.

Non poſſum, qvin hôc locô inſeram dubium & Cenſuram allegati Regneri de Graaf, cui *l. a. pag. 30.* nugari videntur omnes Anatomici, qvi dicunt, aliqvando unam, aliqvando utramqve arteriam deeſſe; qvia, ſi vas ſangvinem referens adſit, neceſſariò adferens adeſſe debeat, & contrà: ex qvibus liqvidè patet, neceſſariò ſemper arteriam & venam adeſſe debere. Cui tamen Autori reſpondet Alardus Hermannus Cum- *Dubium.*

 me-

menus *l. a.* non necesse esse, ut vas aliqvod sangvinem afferens adesse debeat, si vas recipiens adsit, & vice versâ; posse enim adesse alias tum venas, tum arterias, qvæ vices horum absentium supplere possint, & afferre eum sangvinem, qvem venæ revehunt & contra, &c. Vid. etiam Theodor. Kerckring. *Spicileg. anat. Obs. 32. p. m. 72. seq.*

§. 5.

A defectu arteriarum sterilitas.

Deinde Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. 2. cap. 25.* asserit, steriles esse, qvibus desint arteriæ Spermaticæ, licet genitalia aliàs optime habeant constituta. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs.* 113. *pag.* 184. Cui tamen contrariantur exempla utriusqve sexûs hactenus allegata; siqvidem vir ille suspensus â Petro Pawiò sectus adeò fuit fœcundus, ut sexagesimô septimô ætatis anno uxorem gravidam cum duodecim liberis relinqverat: Item Canis à Cammenô dissectus salacissimus & fœcundus fuit; Item alia canis fœmina, in qvâ ne vestigium qvidem arteriarum spermaticarum deprehendebatur, novem catellis gravida fuit; Qvod etiam de lepore prægnante modò adduximus.

§. 6.

Arteriæ Sperm. plures.

Nonnunqvam econtrà Arteriæ spermaticæ numerum ordinarium excedunt, indeqve etiam Medici ob copiosiorem sangvinis affluxum non immeritò salacitatem nimiam derivant. Lipsiæ Anno 1662. trigesimô die Maji, Murarii cujusdam Uxor ob adulterium aliqvoties commissum capite mulctata dissecabatur, in cujus dextrô latere duplex arteria conspiciebatur Spermatica, referente Casparô Theophilô Bierlingiô, *Adversar. Curios. Obs. 29. pag. m. 59.* Ubi etiam aliqvoties tàm in Viris, qvàm in fœminis in libidinem admodum propensis obqve hanc decollatis, in dissectionibus, arterias spermaticas ex-

cessu

cessu peccantes se observasse addit. Binas arterias in unô latere, alteram locô ordinariô, alteram ab emulgente enatam invenisse dicit Philippus Verheyn, *Anatom. Tract. 2. c. 16. pag. 152. & c. 19. pag. m. 163.* duplex etiam arteria Spermatica in dextro latere fœminæ infanticidæ suffocatæ atqve Anno 1685. in Theatro Anatomico Lipsiensi dissectæ ab Excell. Johanne Bohnio demonstrabatur. Salomon Albertus & Johannes Riolanus, & qvidem qvilibet eorum | Cadaver masculum secuit hominis ultimô suppliciô ob facinora affecti, in qvô uterqve tres emulgentes in dextrum renem descendentes se reperisse scribit. vid. Th. Bartholin. *de Flagror. Usu Vener. p. m. 82. sq.* Qvatuor arterias Spermaticas, venam nullam | in Virgine qvadam duos circiter & viginti annos natâ invenit Theodorus Kerckingius, qvarum una dextrarum ab arteriâ emulgente, altera ex arteriâ magnâ trahebat originem; sinistræ autem ambæ ex emulgente prodibant. Anteqvam se insinuarent Testiculis seu Ovariis in Corpus pyramidale, ut arteria venaqve simul junctæ solent, nullis comparentibus venis Sociis coalescebant. *v. Th. Kerckring. l. a.* *qvatuor.*

§. 7.

Qvod hactenus de Arteriis Spermaticis diximus, idem etiam qvandoqve in talibus venis occurrit; cum in exemplô, modò ex Kerckringiô allegatô, qvatuor eqvidem arteriæ, nulla verò vena inventa fuerit. In calculosô econtrà septem Venas emulgentes totidemqve arterias, qvatuor â latere sinistrô diversis locis prodeuntes, qvarum ultima ab iliacâ manabat, tres â dextrô diversis locis se vidisse scribit Ambrosius Paræus *de Anatom. Corp. hum. seu Oper. Lib. 2. cap. 25. fol. m. 69.* Venam Spermaticam ex utrâqve parte duplicem, tam in exortu, qvàm progressu in corpore meretricis, qvæ ob infanticidium aqvis submersa fuerat, observavit Johannes Rudolphus *Vena Spermatica plures.*

Salz-

Salzmannus, *Obs. anat. pag. m. 35. & p. 69.* aliud exemplum recenset cujusdam suspensi, in qvô tres venas spermaticas invenit, qvarum duæ dextra & sinistra more solito, tertia verò è truncô Venæ cavæ prope emulgentem sinistram exoriebatur, & mox cum dextrâ è truncô communi modô prodeunte deorsum abibat ad dextrum Testem. Tres venas Spermaticas à truncô venæ cavæ in dextrô latere ortas, qvæ postea in mediô itinere unicam efformabant & in Testem descendebant, bis vel ter se observasse scribit Dominicus de Marchettis *Anatom. cap. 6. pag. m. 58.* Venam spermaticam dextram geminam, qvarum una crassior ex emulgente dextrâ, altera ex cavâ oriebatur, in descensu tamen aliqvot invicem anastomoses patiebantur, in publicâ infanticidæ dissectione Anno 1669. spectandam exposuit Johannes Arnoldus Friderici. *vid. Luc. Schrœckii Schol. in Joh. Helwig. Obs. 129. p. m. 353.* In cadavere fœminæ cujusdam Vasa Spermatica adeò magna fuerunt deprehensa, ut in utroqve latere digitum crassitie superarent. v. Benjam. Bened. Petermann. *Obs. med. Dec. I. Obs. 5. p. m. 8.*

§. 8.

Seminis Organa Testiculi.

Per dictas arterias Spermaticas, mediante sangvine, Materia Seminis ad Testiculos pro ejusdem elaboratione vel perfectione defertur, ideò etiam omnium animalium, mutuô congressu generantium, mares Testiculis, & qvidem ordinariè duobus, sunt instructi, de qvibus imprimis in hôc capite agemus.

§. 9.

Testiculorum denominatio.

Vocantur scilicet hæc Seminis Organa Latinis Testes, à testando, vel qvòd virilitatis & sexûs testimonium præbeant, siqvidem in Viris foris sunt penduli; vel qvòd mortem vel

salu-

salutem ægrotantium marium testificari rudis plebecula sibi persvasum habeat; Etenim laxati & oblongi moriturum, adducti verò & contracti servatum iri ajunt, juxta Franc. Plazzon. *de Partib. generat. inservient. Lib. I. cap. 6. pag. m. 21.* ubi etiam rectius, Testiculos, qvàm Testes vocari debere, arbitratur, qvia testium nomine venit, qvicqvid testimonium præbere potest, non autem testiculorum; Vocantur enim in judicium testes, non verò testiculi; qvare ut sexum testentur, licet parvi, tamen satis idonei habentur testiculi. Aliis tamen vocabulum testes ideò retinere placet, qvia olim Romani ad testimonia in judicio non nisi viros, id est, testes habentes admittebant, econtra testibus privatos, tanqvam non viros, repudiabant. v. Isbr. Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 22. fol. m. 108.* & Gothof. Mœbii, *Physiolog. cap. 19. pag. m. 462.* Testes etiam dicuntur Ova, Colei, item lanuvini & cliternini vel clitorini. v. Christ. Fr. Garmann. *Oolog. dissert. 2. §. 14. p. 64.* Lud. Cœl. Rhod. *Lect. antiqv. Lib. 4. cap. 7. pag. m. 125. seq.* Item Renes, venatoriâ qvidem Dialectô & Latinis veteribus, secundum Isac. Casaubonum, Polimenta. vid. Georg. Hieron. Velsch. *Annot. in Achill. Grasser. Obs. 83. p. m. 40.* Græcis appellantur δίδυμοι gemelli, item ὄρχεις & ὀρχείδια, forsan ab ὀρχάμυ, secundum Fr. Plazzon. *l. a.* Est enim ὄρχαμος dux populi; qvasi animalia testiculos habentia sint duces totius gregis, ut Vir gregis ipse caper, teste Virgiliô. Notum etiam est ex Botanicis, Orchidum nomine qvoqve venire Satyrium ejusqve Species, qvarum radices binos testiculos monstrant, vid. Thom. Pancov. *Herbar. pag. m. 362. & no. 213.* Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. 4. pag. m. 682.* Dioscorid. *Lib. 3. cap. 24. Edit. Petr. And. Matthiol. fol. m. 634. seq.* Carol. Clusii *Histor. rarior. Plantar. Lib. 2. cap. 61. fol. m. 267.* Georg. Dan. Coschwitz *in Schræd. fol. m.* 1141. Dominic. Chabræi,

Stirp. Icon. fol. m. 247. P. A. Matthiol. *Herbar. Lib. 3. cap. 99. fol. m. 302.* Joh. Th. Tabernæmont. *Herbar. Lib. 2. Sect. 9. cap. 1. seq. fol. 369. seq. cap. 4. fol. 377.* Paul. Hermanni *Catalog. Hort. Acad. Lugd. Batav. pag. m. 459. seqq.* Joh. Raj. *Method. Plantar. emend. p. m. 121.* Misc. Nat. Cur. *Dec. I. An. I. p. 143. An. 2. p. 73. seqq.*

§. 10.

Definitio. Sunt autem Testiculi seu Testes partes genitales extra abdominis cavitatem in Scrotô propendentes, Semini con- aut per-ficiendo destinatæ, ex tenuissimis qvasi funiculis conglomeratis, vel potiùs minutissimis vasculis constantes.

§. 11.

Structura. De Substantiâ, Structurâ & Usu Testiculorum, cùm variæ ac differentes à Veteribus & neotericis Autoribus foveantur Opiniones, benevolum Lectorem ad illorum evolutionem remittimus, recentiorum solummodò qvorundam verba allegantes. Testiculorum scilicet substantiam recentiorum diligentia detexit, esse minutissimorum vasculorum congeriem, qvæ, si absqve disruptione dissoluta sibi invicem annecterentur, facilè viginti ulnarum longitudinem excederent. Vid. Theod. Valent. Kramer. *Medicin. docent. ducent. Part. 1. Thes. 3. pag. m. 29.* Hanc texturam vasculosam à Regner. de Graaf. *Tr. de Organ. Viror.* aut, si mavis ab Auberio, Professore Anatomiæ Pisanô, Anno 1657. primùm esse descriptam, sentit Christianus Johannes Langius, *Physiolog. Th. 36. Oper. Med. Part. I. fol. m. 211.* Qvæ textura in gliribus, apris & arietibus, sine ullâ præparatione facilè conspicitur, in homine autem præmissâ maceratione in aqvâ tepidâ optimè in conspectum datur. Structuram & usum Testiculorum Martinus Lister. *Dissertat. de Humor. cap. 41. pag. m. 393.* his verbis bre-

breviter delineat: Testiculi meræ & solæ glandulæ sunt: nam in his sunt innumeri ductûs longissimi ex tunicis crassiusculis constituti, in alia atqve alia Vasa ampliora, scilicet epididymia & præparantia tandemqve in Vesiculas seminales desinentes: atqve hæ in Penem, Coitûs tempore, Semen contentum & repositum eructant, foràs ejaculandum: atqve harum glandularum cum arteriolis commissarum hæc configuratio est; nec ullus alius humor tantos partium organicarum apparatûs jactat, præter bilem & Lac. Et Louis Bellefontaine *dans la Medecine dogmat. Exercit. 7. pag. m. 31. seq.* prolixiùs de hac materiâ ita scribit: La matiere de la Semence est le Chyle porté avec le sang aux testicules par les arteres spermatiqves, & là seqvestré par une infinité de petites glandes, qvi sont dans la partie tubuleuse de la substance du testicule. Qve cette matiere ne peut venir là par d'autres moiens, qve par ces vaisseaux, il est prouvé & confirmé par la division & dispersion de ces mêmes arteres, leurs contorsions & leur correspondance avec autant de Veines. Ces choses paroissent être faites, à fin qve le sang soit porté aux testicules avec plus de vitesse, & qv'il s'en retourne plus lentement, & ainsi qve la plus noble partie du chyle ait le temps de se separer pour étre la matiere de la Semence, c'est à dire, qve consistant en particules convenantes entr'elles en mouvement, figure, grandeur & situation, elles puissent s'unir pour former l'abregé de l'espece. Toute la partie tubuleuse de la substance du testicule n'est autre chose qv'une assemblage & ramification des arteres spermatiqves en forme de labirinthe & anfractuositez, à quoi leurs envelopes servent beaucoup; car si on les en de pouille & qu'on mette le testicule dans l'eau, aprés qvelqve maceration on pourra débarrasser ces vaisseaux les uns d'avec les autres, en sorte qu'on en trouvera plus de

vingt annes de longueur, qvi pourtant ne seront qv'un méme vaisseau. Par les envelopes courent en serpentant plusieurs nerfs, qvi portent à ces parties qvantité d'Esprits animaux, les qvels par leurs influance hâtent le mouvement du sang par en pas, & successivement étrecissent la cavité des vaisseaux, & ainsi aident à la transcribration du chyle, & toutes les particules incapables de devenir Semence, ou d'être emploiées à la nutrition, par les veines & vaisseaux lymphatiqves s'en retournent au coeur. Ob evitandam autem prolixitatem plura de Testiculorum Anatomiâ hic addere animus non est, evolvi autem possunt Andr. Vesal. *de Corpor. human. fabric. seu Anatom. Lib. 5. cap. 13. fol. m. 401.* Joh. Vesling. *Syntagm. Anatom. cap. 6.* ejusqve Commentator Gerardus Blasius, *pag. m. 401.* Isbr. Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 22. fol. m. 108. seq.* Franc. Plazzon. *de Partib. Generat. p. m. 20. seq.* Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. I. cap. 22. pag. m. 208.* Regner. de Graaf *de Viror. Organ. pag. m. 4. seq.* Steph. Blancard. *Anatom. Part. II. cap. 27. pag. m. 94. seq.* (qvod integrum caput cum seqventi à pag. 94. usqve ad 168. Blancardus ex allegato Regnerô de Graaf sine Autoris mentione fideliter exscripsit.) Philipp. Verheyn, *Anatom. Tr. II. cap. 19. pag. m. 158.* Joh. Maurit. Hoffmann. *Idea Machin. human. sect. 9. § 4. pag. m. 83. seqq.* Act. Anglican. Philosoph. 1668. *Mens. Maj. pag. m. 565.* Joh. Frid. Ortlob, *Oeconom. Animal. disp. 14. § 11. pag. m. 109.* Casp. Bartholin. *Specimin. Histor. anatom. p. m. 80. seq.* Joh. Gothof. Berger. *Physiolog. medic. cap. 19. pag. m. 244. seq.* Eman. Kœnig, *Regn. anim. pag. m. 52.* Christ. Joh. Lang. *Oper. Part. I. fol. m. 211. seq.* Bernh. Connor. *Evangel. medic. pag. m. 62.* Joh. Barthol. Adam. Beringer. *Institut. med. Thes. 15. p. m. 36.* Jac. de Sandris, *de natural. & preternat. Sangvin. Stat. cap. 4. p. m. 141.*

Plagium.

m. 141. Fridericus Ruyschius, *Thesaur. anatom. II. p.m.* 62. sistit Testiculum humanum dissolutum, id est, ita præparatum, ut vascula, Semen conficientia, à se invicem recesserint, ut eò distinctiùs videri possit, Testiculorum constitutionem neutiqvam esse glandulosam, sed vasculosam. vid. etiam ejusdem *Thesaur. III. pag.* 41. & *Thes. IV. pag.* 7. & *p.* 26. ubi luculenter apparere ait, substantiam Testiculi nil esse, nisi vasculorum fasciculos varios coloris cyanei. vid. itidem *Thesaur. VIII. p.* 24. vid. etiam Leal Lealis *Epist. ad Dominic. de Marchettis de Partib. Semen conficient. in Viro, p.m.* 27. *sqq.* Dominum Mey in Testiculis maris vesiculas reperisse iis similes, qvæ in Ovariis fœminarum asservantur, & in aqvâ calidâ pariter indurantur, referunt Collectores Actor. Erudit. *An.* 1712. *Mens. April. p.* 148.

§. 12.

In Statu præternali Testiculum totum cartilagineum à contusione ex aurigâ exsectum se vidisse refert Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Observ.* 156. *pag.* 245. Item, in herniosi cujusdam dissectione repertus est Testiculus sinister ingens instar pomi aurantii mediocris, albicans & durus, substantia ejus interior firma, ligamentosa, & ex parte ad cartilaginis naturam accedens, vid. Justi Schrader. *Observat. anatom. med. Dec. II. Obs. I. pag. m.* 203. *Testiculus cartilagineus.*

§. 13.

De Testiculô osseô humanô seqventem observationem recenset Reinholdus Wagnerus Ephemerid. Acad. Nat. Curios. *Cent. I. & II. Obs.* 20. *p.* 93. Tornator, inqviens, septuagenarius, nomine Hans Soldau, Regiomonti Anno 1681. die 20. Januarii, testiculorum hydro- & sarco- cele laborans, *Osseus.*

 dex-

dextrum Paracenthesi sibi persodiendum curavit: Inter Operationis ἐγχειρήσεων Parens desideratissimus, Daniel Wagner, Chirurgus, præsente D. Linemannô alterum qvoqve sinistrum testiculum durissimum deprehendentes, ipsô ægrô fatente, jam ultra triginta annos hunc tantam duritiem, nullô tamen dolore notabili, contraxisse comperiunt. Tandem die 27. Novembris miserô, vitam cum morte commutante, ex anatome patuit, totam sinistri testiculi convexam superficiem, crassitie pennæ columbinæ, in os durissimum abiisse, adeò, ut ad duritiem petrosi ossis proximè accederet: Superficies externa exteriori facie satis erat aspera & inæqvalis; Interior verò lævis: & in hac parte concavâ latitabat materia gelatinosa Seminis corrupti. Juvenis qvidam occasione familiaritatis â fœmina ipsi permissæ, cujus in usu tamen certis limitibus exercebatur, in altero testiculorum dolorem exqvisitissimum, eô gradu per duas horas durantem, nec nisi reliqvo die plenariè cessantem persentiebat. Aliqvot diebus post in ipsô locô tumorem se habere magnitudinis avellanæ deprehendit. Elapsis post hæc sex mensibus ovum Gallinæ Indicæ magnitudine exsuperabat; dolorem verò nullum creabat. Deniqve cum duobus inseqventibus mensibus enormiter excresceret, amputationem ejus Dominus de S. Donat suscepit: Inventa est in ejus anterioribus massa carnea candidissima, solidissima & fibrarum expers, contenta qvasi secundina aliqva & qvantitati aqvæ, qvantam magnum cochleare caperet, innatans. Apertâ istâ massâ carneâ Dominus de S. Donat in medio ejus vidit globum osseum, duas qvasi habentem orbitas. Globus ipse solidus erat, cavitatis expers, emittebatqve circum circa radios osseos formâ stellæ, sine collocatione tamen regulari. vid. Histor. Academ. Reg. Scient. Paris. *An.* 1699. *pag.* 275. *seq.*

§. 14.

§. 14.

Qvoad numerum Testiculorum jam supra diximus, Mares animalium atqve Viros ordinariè duobus gaudere Testiculis, & qvidem secundum Rosinum Lentilium, *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. pag. 80.* ideò, ut unius defectus alterius usu sarciatur. Siqvidem variis â causis dantur Monorchides seu unicô armati testiculô, & qvidem vel à partu seu nativitate, vel à Castratione, vel ab aliô infortuniô. Illorum exempla reperimus apud Regnerum de Graaf, *de Viror. Organ. p. m. 6.* ubi refert, Riolanum in Juvene viginti qvinqve annorum, in Scholis publicè dissectô, unum tantùm offendisse Testiculum eumqve sinistrum marcidum ac vitiosum, dextriqve per Castrationem aut per punctum aureum exempti nulla fuisse indicia. Cùm nec in Scroto, nec in Ingvine ulla Cicatrix apparuerit. vid. ipsius Joh. Riolan. *Anthropagr. Lib. 2. c. 21. p. 277. seq.* Locum tenens qvidam Hecticâ defunctus erat Monorchis, in bursa non discreta. v. Act. Medicor. Berolin. *Vol. II. p. 92.* Imô ipse Regnerus de Graaf in Nosocomio Leydensi aliqvando Cadaver dissecuit, in qvô unus tantùm Testiculus reperiebatur, nullâ cicatrice in ingvine aut Scrotô existente. Monachum unicum habentem Testiculum observavit Petrus Borellus, *Obs. med. Cent. II. Obs. 60. p. m. 160.* De villicô monorchide, vid. Sam. Braunius, *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obs. 13. pag. 18.* In Præfecti cujusdam filiô unum tantùm Testem Scrotum tegebat, juxta G. W. Wedelium, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 236. p. 338.* ubi etiam Studiosi meminit, qvi pariter unicô Teste virilitatem probavit. vid. etiam G. W. Wedel *Patholog. medic. Sect. I. cap. 5. pag. m. 75.* & Theophil. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. I. Sect. 31. fol. 857.* Unicum Coleum ab utrâqve parte spermatica Vasa suscipientem vidisse, refert Leal Lealis, *de Partib. Semen conficient.*

Testiculorum numerus.

Unicus à nativitate.

pag.

pag. m. 11. Filiolus Testiculô sinistrô carere visus, vasis tamen seminalibus ibidem præditus, dexter autem major, qvàm pro ætate, simulqve ramice aqvosô in Elythroide tunicâ affectus fuit, teste Henricô Smetiô, *Miscell. med. Lib. 10. pag. m.* 572. Unum Testiculum in fœcundô virô observavit Thomas Bartholinus, *vid. ejusd. Anatom. ref. Lib. I. cap. 22. pag.* 208. In Cadaveris humani latere dextrô neqve testiculus, neqve Vasa spermatica, imò neqve amputationis vestigia ulla deprehendebantur. Referente Des. Noue, v. Nicol. Blegny, *Zodiac. med. gall. An. 3. Januar. Obs. 3. pag. m. 6.* Syllam & Cottam unô tantùm fuisse testiculô insignes, legimus in Ludov. Cœlii Rhodig. *Lection. antiqv Lib. 4. cap. 7. fol. m.* 126. Prænobilis Puellus à nativitate unicum tantum Testiculum eumqve dextrum obtinuit, alterô sinistrô totaliter deficiente. Verum qvod natura in numerô negavit, iterum in magnitudine compensavit, erat enim hic testiculus dexter duplo major, qvàm pro præsenti ætate esse deberet, juxta Philipp. Frauendorfferum, *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 20. p. 38. seq.* Plura exempla vid. Johan. Schenck. *Observ. medicin. Lib. 4. fol. m. 528.*

§. 15.

Alter latet in ingvine.

Hoc locô tamen monendum, non semper in ejusmodi exemplis alterum Testiculum reverà abesse, sed sæpe sæpius alterum eorum in Ingvine latére, vel in Abdominis imô reconditum esse; qvale exemplum de nobili Juvene recenset Olaus Borrichius, *Act. Hafn. Vol. IV. Obs. 66. pag. m. 169. sq.* scilicet hic à puerô non nisi unicum in Scrotô senserat Testiculum; in ipsius tamen defuncti balsamatione ex abdominis sinu etiam alter non minus benè habitus firmusqve, qvàm ille prior, imò torosior, pleniorqve prodiit. Pusillum econtra & exsuccum in abdomine reconditum dextrum testiculum

pa-

pariter in nobili adolescente idem Borrichius ibidem *Vol. V. Obs. 63. pag. 164.* observavit. Adolescens qvidam octodecim circiter annorum, dum ex Rhedâ fortiùs in terram prosilit, ingentem in sinistrô ingvine percipit dolorem, ut etiam aliqvoties animô inde deficeret. Parentes, ex tumore in Ingvine animadversô, herniam metuentes, Medicum accersunt, qvi ipsum monorchidem esse intelligens per linimenta & cataplasmata emollientia testiculum ibidem latitantem ex Ingvine ad Scrotum protrudit, ut, qvi hactenus in forô testari non poterat, nunc boni testis officiô fungi posset, teste Johanne Henr. Brechfeld, *Act. Hafn. Vol. I. Obs. 106. p. 207.* Testiculum alterum à primâ nativitate abdominis interiori cavo inclusum & gressum in puerô aliqvatenus impedientem observavit Thom. Bartholinus, *Cent. 1. Histor. 36. pag. m. 50.* In herniosô qvodam sinister testiculus instar pomi aurantii mediocris apparebat atqve ad Cartilaginis naturam accedens; dexter autem sanus, valde tamen exiguus erat, qvi proinde admodum semper delituerat, ut hic homo in puerili ætate à multis pro Monorchide habitus fuerit. v. Just. Schrader. *Obs. anat. med. Dec. 2. Obs. 1. pag. m.* 203. In Infante octo mensium alterum Testiculum in Ingvine delitescentem, alterum scroto inclusum annotavit Petrus de Marchettis, *Obs. med. chir. Obs. 58. pag. m. 89.* ubi addit, Testiculum illum postea spatiô septem aut octo mensium sensim in Scrotum prolapsum esse, ut Sectione opus non fuerit, qvam ipsius pater, tonsor, paraverat. De Studioso, cui Testiculus sinister non in Scrotô, sed supra Os pubis transpositus intra ventrem erat, vid. Mart. Ruland. *Curat. Empiric. Cent. 5. Curat. 98. pag. m. 360.* In solenni furis Anatome solus Testiculus sinister extra abdomen in Scrotô deprehendebatur, dexter verò in Ingvine dextrô ad radicem Penis latitabat, teste Georgiô Segerô *M. N. C.*

Dec. I. An. 8. Obs. 82. p. 61. Illustri ac Reverendo Viro deerat in propriô locô testis sinister, cùm tamen nec incisionem, nec aliqvid aliud ibi circa Scrotum ab aliqvô externô passus fuerat; e contrà verò in Ingvine sinistro Tumor adfuit, in qvô absqve dubiô latuit testiculus. vid. Jul. Cæs. Claudin. *Respons. & Consult. med. Cons. 4. pag. m. 316.* In Juvene viginti trium annorum unicus tantùm Testiculus, sinister nempe, in Scrotô comparuit, dextrô cutem inter & musculos abdominis in Ingvine latente, annotante Lucâ Schrœckiô, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 14. p. 34.* In Virô literatô Testem dextrum intus latentem, sinistrum, verò flaccidum externè deprehendit Georgius Ern. Stahl, v. *Disput. de Impotent. viril.* §. 4. Vir qvidam præstans retractum habuit Testiculum sinistrum per tredecim annos, sed currente decimô qvartô comparuit & foris remansit. vid. Phil. Salmuth. *Cent. I. Obs. 91. p. m. 55.* In Puerô, qvem Chirurgus imperitus tanqvam herniosum curaverat, unicum in Scroto testem, alterum in Ingvine observavit Ambrosius Paræus. v. *Oper. Lib. 7. cap. 16. fol. m.* 181. Ejusmodi exemplum etiam in Cane observavit Justus Frid. Dillenius, Testiculo scilicet alterô satis magnô extrinsecus pendente, alterô verò minore intus latente, *vid. M. N. C. Dec. III An. 7. & 8. Obs. 163. p.* 281.

§. 16.

A retractione. Qvandoqve etiam â morbis alterum Testiculum è Scrotô in Ingvina vel ipsum abdomen retractum reperimus, *v. g.* in calculosô, cujus ren ejusdem lateris post sectionem magnô Calculô obsessus erat, Testem cum epididymide è Scrotô in abdomen retractum deprehendit Henricus Meibomius. *vid. ejusdem Disputat. de Calcul. Renum Helmstad.* 1679. *Respond. Justo Nicol. Ottone habit.* §. 17. Bina exempla retractionis Testiculi alterius in Ingven, observavit Philippus Salmuth, & qvi-

i qvidem alterum in abscessu renis dextri cum inflammatione Hepatis, alterum à Calcitratione, in puerô, qvi ab aliô calcibus circa Testiculum petitus in febrem & ejusdem Testiculi retractionem incidit, cum morte subseqvente. *vid. Salm. Cent. I. Obs.* 19. *p. m.* 13. *seq.* Aliud exemplum retracti Testiculi *vid. ibidem Obs.* 91. *p.* 55. Item à Venere immoderatâ idem annotavit dictus Autor, *Cent.* 3. *Obs.* 63. *pag.* 142. De Barone qvodam, qvi ex duriore succussu Eqvi in anteriorem ephippii partem allidens Testiculum sinistrum adeò inter infimas abdominis musculorum extremitates in Ingven intrudebat, ut nullô postea modô reduci posset, vide Joh. Schenck. *Observ. med. Lib.* 4. *fol. m.* 529. Retractionem Testiculi sinistri in Juvene qvodam, post Gonorrhœam diuturnam Testiculô venereô laborante, mihi observare licuit; Huic nimirum detumescens rursus Testiculus cum dolore vasorum spermaticorum tractivô versus Ingven ascendebat ibidemqve per aliqvot dies permanebat.

§. 17.

Porrò per Castrationem sæpissime alterô testiculô tam pueros, qvàm adultos ab Operatoribus privari, res sanè qvàm notissima maximeqve deploranda est. Imò Adolescens 25. annorum, Vinitoris filius prope Eslingam, â duodecim annis, Herniam, capitis magnitudine, occultavit, â bubulco in herniæ sectione curato qvæsivit, qvomodô liberatus fuerit à suo malo. Qvæ observans, ut sibi qvoqve remedium qværeret, domi solus, sub tecto domûs, repressis intestinis, cultro pertundit Scrotum. Sed qvia is non satis acutus erat, descendit & alium sumsit panarium, Cote acuatum, longiori vulnere findit Scrotum, eripit testiculum & rescindit, ligationis vel constrictionis immemor, qviescit tandem in lecto, &c. Convaluit tamen præter Spem. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 4. *A Castratione.*

 Obs.

Obs. 7. *pag.* 11. Interdum etiam Herniotomi atqve Empirici Herniam intestinalem curaturi Scrotum alterô Testiculô privant, dum foramen Peritonæi post reductionem Intestini prolapsi intrusô Testiculô obturant. Qvid autem de hac curandi methodô censendum sit, videatur Joh. Sculteti *Armamentar. Chir. Part.* 2. *Obs.* 64. *pag. m.* 91. ubi scribit: Probè observent Chirurgiæ tyrones, ut in tradita Intestini prolapsi reductione Testiculum in Scrotô pendere relinqvant, ne in foramen adactus & ibidem qvasi coarctatus doleat atqve dolens conjugalem coitum prohibeat. Ibidem etiam dictus Autor Pistoris filium, qvi ob malè curatam herniam Testiculum in Ingvine gessit, se novisse addit. Apud Hottentottos omnes, qvotqvot nascuntur masculi, statim à nativitate alterutrô castrantur Testiculô, ne infrugifera terra plures, qvàm alere possit, Incolas recipiat, juxta Wilh. ten Rhyne *de Promontor. Capit. bon. spei, cap.* 22. *pag. m.* 64. Testiculum sinistrum ipsis exscindi refert Johannes Jac. Saar Ost-Indianische Reise-Beschr. *cap.* 17. *fol. m.* 157. Alii hoc de dextrô Testiculô asseverant, & qvidem aliam ob causam, scilicet, ut isti puelli sint velociores cursu. vid. Rosin. Lentil. *M. N. C. Dec. III. An.* 3. *App. pag.* 82. vid. etiam P. Tachards Reise nach Siam, *Lib.* 2. *pag. m.* 102.

§. 18.

Cautela Chirurgica. Hac occasione qvoqve monendi mihi videntur Chirurgi atqve Herniotomi, ne ejusmodi tumorem in Ingvine, qvandoqve à latente vel etiam à retractô Testiculô exortum, semper pro Herniâ aut bubone ingvinali habeant, talemqve tumorem vel cultrô incidant, vel suppurationem ejusdem tentent; sed ante omnia inqvirant, an ejusmodi ægrotantes sint monorchides, sive unicum tantùm in Scrotô habeant Testiculum. Siqvidem interdum etiam in adultis, uti hactenus dictum;

ctum; accidere solet, ut per motum vehementem, aut saltum ab altiori loco, Testiculus in abdomine vel ingvine hucusqve latitans descendat, ibiqve tumorem atqve dolorem ad animi usqve deliqvium excitet. Vel potest etiam Testiculus per Convulsiones seu spasmos ex Scrotô versus superiora retrahi, qvalia exempla aliqvot, & dum hæc scribo, in qvodam subjecto, Testiculorum tumore vagô, id est, modò de[xtrum], modò sinistrum Testiculum retrahente, nota mih[i s]unt. Qvare Chirurgus Testiculum neqve manu ver[sus] abdomen retrudere, neqve repellentibus vel ad[stringentibus], multò minus subligaculis ejus descensum impedire aut remorari, aut instar Bubonis venerei vel pestilentis tractare, sed potiùs per linimenta & Cataplasmata emollientia viam ad Scrotum perveniendi ipsi pandere debet; Imò juxta Ambros. Paræi *Thesaur. Chirurg. Lib. 7. cap. 16. fol. m. 181.* ejusmodi personis cursitationes atqve saltationes permittendæ & imperandæ sunt, ut eò citiùs in Scrotum promoveatur Testiculus atqve ex Monorchide Disorchis evadat; qvale exemplum ibidem de puero refert.

§. 19.

Interdum etiam ambo Testiculi in unum Corpus ac in unicum qvasi Testem coalescunt, uti refert Alardus Hermannus Cummenus, in Viri triginta annorum Scrotô unicum tantum corpus fuisse repertum, lineâ qvidem & incisione aliqvâ distinctum, sed unum, gemino tamen Testi magnitudine æqvale, atqve pro duplici Testiculô à naturâ elaboratum. Gemini enim Epididymi & Vasa deferentia item geminata tactu explorari poterant. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 110. p. 180.* Ambos etiam Testiculos in unum coalitos in Cane observavit Theodorus Kerckringius, *Spicileg. anatom. Observ. 70. pag. m. 150.* *Testiculorum coalitus.*

§. 20.

Utrique Testiculi desunt Nonnunqvam etiam non modò alter, sed uterqve Testiculus in Scrotô desiderantur, iterumqve vel â primâ generatione, seu partu, vel ab infortuniô, aut morbô, vel à resectione, aut castratione. In primô Casu uterqve Testiculus vel re- *à partu.* verà abest, qvale exemplum de monorchi Parente anorchin filium generante, observavit Michael Fridericus Lochnerus, *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. An. I. & II. Obs. 191. pag. 418.* Item uxor qvædam gemellos peperit, filiolam & filiolum, cui penis qvidem, sed testis & scrotum nullum. Vel utriqve *vel latent.* Testiculi in Ingvinibus vel in abdomine delitescunt, qvi tamen qvandoqvè tempore in Scrotum descendunt. Taliter constituti κρυψόρχιδες seu Testicondi appellari solent. vid. Gverner. Rolfinc. *de Partib. Generat. dicat. Part. I. cap. 5. pag. m. 29.* Pusio nobilis, teste Samuele Ledeliô, monstrabat Scrotum absqve testiculis, corrugatum â Nativitate, cui autem postea, tunc sesqviannorum, post Stranguriam & pubis intumescentiam Testiculi successivè in Scrotum vergebant, ita, ut Testiculi in locô consvetô cum Parentum tripudiô invenirentur. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 107. pag. 198.* De Juvene rusticô viginti sex annorum summè libidinosô, cui Testes intus latebant, vid. Paullin. *Obs. med. Phys. Cent. 4. Obs. 82. pag. m. 505. & M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 51.* Sic Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 22. fol. 121.* non modò ex Bauhinô Adolescentis viginti annorum meminit, cui nulli Testes foris erant penduli, qvi tamen salacissimus erat; sed ipse etiam in Bataviâ hominem novisse ait, multâ prole magis, qvàm pecuniâ ditatum, qvi nullos in Scrotô Testes habuit. Nota etiam est Observatio Theodori Kerckringii de Juvene, qvi vocis dulcedine & flexionis ejusdem svavitate in stuporem rapiebat audientes, Testiculorum autem

tem ne vestigium in vacuô magnitudinis exiguæ Scrotô monstrabat. Hic octavô decimô ætatis annô in febrem incidens, acutissimam circa verenda intolerabilibus cruciabatur doloribus, tandemqve Testiculi comparebant; vocis verò illa svavitas omninò disparebat. Atqve ita hic qvasi evnuchus per acerbissimos dolores seipsum peperit, juxta Theod. Kerckringii verba, *Spicileg. anat. Obs. 13. pag. m. 35.* Scrotum Testiculis vacuum, & ita qvidem, ut non in Ingvinibus, sed juxta eadem sub pube delitescerent Testiculi, in Infante observavit Vitus Riedlinus, *Linear. Med. An. 1700. Mens. Jul. Obs. 26. p. m. 826. 828.* Idem etiam *Autor, Observ. med. Cent. Obs. 78. p. m. p. 182.* Exemplum Scroti vacui ab imaginatione matris de filiô artificis cujusdam recenset: Hujus scilicet mater, cùm filium dilectum admodum Hydrocele laborantem Herniotomo subjecisset, de hac re valdè sollicita & contristata tumqve insuper gravida, filiolum deinde enixa fuit, qvi Scrotum Testiculis vacuum habuit. Signô etiam masculô in Scrotô caruit. Infantulus septem mensium, cui Testiculi Ingvina non egrediebantur, sed potiùs his adnati habebant, teste Joh. Jacobô Harderô *Apiar. Obs. 100. pag. m. 373. seq.* Ab uterô fratres duo germani Scroti Testiculis carentia habebant, qvorum ambo Testes incirca ac paulò supra pectinem, non qvidem infra pubis ossa, sed supra utrinqve hærentes in ventre conditi inveniebantur, qvi tamen postea in Scrotum reponebantur. v. Mart. Ruland. *Curat. empir. Cent. 5. Curat. 97. p. 358. seq.* Post Contusionem Testiculos usqve ad Os pubis retractos in Virô sexaginta annorum observavit Joh. Wolfius, *Observ. Chir. med. Lib. I. Obs. 29. pag. m. 95.* In Hermaphroditô Testiculos in Ingvinibus statim sub cute observavit Fridericus Ruyschius. *vid. Heinr. Roonhuys. Obs. 16. pag. m. 64.* Plura de hujusmodi Evnuchis, seu qvi sine Te-

Testiculis nati sunt, vid. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 528. & f. 541.* In plurimis etiam puerulis recens natis per aliqvod tempus Scrota adhuc vacua reperiri, experientia testatur, & ipse aliqvoties ejusmodi exempla tam alterius, qvam utriusqve Testiculi in Ingvine aut abdomine latentis observavi, & inter alia in Coriarii filiolô jamjam bimulô, in cujus Scrotô neqvicqvam tactu percipiebatur, qvod tamen post aliqvot annos duobus Testiculis, ex Ingvinibus, in qvibus antea parvus tumor deprehendebatur, descendentibus adimplebatur. De Testiculis in puerulis absentibus, ita scribit Johannes Baptista Verduc, *dans la Suite de Pathologie de Chirurg. cap. 38. pag. m. 993.* Il y a lieu à croire, qve dans tous les enfans, où les testicules ne sont pas apparens, ils sont cachez dans les Ventres & renfermez dans la tuniqve vaginale, qvi forme une poche deux doigts au-dessus du Scrotum: Enqve, lorsqve cette vaginale vient à se dilater, plus bas par le poids des testicules, c'est une necessité, qve n'etant plus retenus, ils tombent dans le Scrotum. Et Nicolaus Venette de la Generat. de l'Homme, Part. I. cap. I. Art. 2. pag. m. 9. dicit: Presqve tous les enfans on les testicules cachez dans le ventre, ou dans les aisnes; & il s'en trouve peu, à qvi les testicules paroissent avant l'age de 8. ou 10. ans; c'est alors, qve la chaleur commençant à estre vigoureuse dispose toutes les parties de la generation pour l'admirable ouvrage de la Nature, & qu'elle pousse au dehors les parties, qvi estoient demeurées cachées jusqve en ce temps là, &c. Non autem tantùm in homine Testiculi in Cavitate abdominis reperiuntur, sed etiam in brutis; uti semel in Cane vidit Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. p. m. 9.* Hieronymus Cardanus *de Rer. varietat. Lib. 7. cap. 33. p. m. 443.* refert, se Antverpiæ Canem vidisse, qvi ad Venerem promptus erat, nec tamen testiculos ha-

habebat, qvi tangi possent, unde Canem testiculos intus habuisse dictus Autor concludit. In Vituli Cavitate abdominis utrumqve Testiculum latentem se invenisse dicit Theod. Kerckring. l. a. Et Talpæ testiculos intra Corpus absconditos annotavit Olaus Borrichius. v. Th. Barthol. *in Epistol. Centur. IV. Ep. 92. p. m. 518.*

§. 21.

Deinde nonnulli vel per morbum, vel per infortunium testiculos amittunt, vel ex insaniâ seipsos iisdem privant, vel aliis ex causis exscindi sibi voluntariò patiuntur. A Gangrænâ in Scrotum decidentes Testiculos observavit Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 18. pag. 49.* Scilicet in Viro 72. annorum, Causode correptô, post Inflammationem ante obitum Intestina gangrænosa in Scrotum delapsa illud ita inficiebant, ut Testiculi deciderent, &c. Maniâ correptus qvidam Musicus pedibus brachiisqve lecto per vincula lata ex coriô firmissima adstrictus sibi ipsi, dum stragulis tectus qvietior solitô jacere videbatur, dilaceratô ungvibus suis clanculum Scrotô utrumqve Testem avulsit absqve ullô doloris indiciô. Chirurgus disruptum Scrotum conspicatus, neutrô Testium apparente, qværit è Maniacô, ubinam illi sint? æger verò nihil qvidem respondens, ilicò tamen utrâqve manu prolatâ & explicatâ, singulos complexus, avulsos ostendit, referente Henricô Smetiô, *Miscell. med. Lib. 10. pag. m. 524. seq.* Nobilis qvidam Testiculorum inflammatione laborans barbitonsorem consuluit; is ad tumorem emolliendum & discutiendum Emplastrum de Melilotô & Oxycroceô imposuit; Sub noctem dolores in tantum aucti, ut in rabiem qvasi actus æger arrepto cultello utrumqve Testiculum unà cum Scroto abscinderet. vid. Tim. à Güldenkl. *Lib. III. Cas. 46. pag. m. 186.* De milite qvodam febricitante, qvi sibi utrumqve testicu-

Vel planè desunt.

à Gangræna;

ob avulsionem;

à rescissione;

culum amputavit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. 2. Mens. Jul. Obs. 7. p. m. 145.* Pistoris servus juvenis, cùm è Concionibus qvadragesimalibus à Monacho Franciscano peractis multa de Castimoniæ laudibus memoriâ concepisset, ac in tantam præsumptionem incidisset, qvod non, nisi exscissâ virilitate, castus vivere posset, die Festo Corporis Christi, cùm omnes domestici, præter unicam ancillam, ad Processionem solitam abessent, isqve dies aliqvot melancholicus circumivisset, hominum consortium fugiens, tunc solus in lectô permanens, cultrum absconditum arripuit, ac uno impetu sibi Scrotum cum duobus Testiculis, intactâ tamen virgâ, tam exactè abscidit, ut ne vix vestigia partis abscissæ conspicerentur. vid. Joh. Hellwig. *Obs. 131. pag. m. 356.* Et Lucas Schrœckius in Scholiô ejusdem Observationis ex Geigero Melancholici cujusdam meminit, qvi stimulis carnalibus admodum agitatus cultello scriptoriô easdem partes abscidit. An verò Castratio propria contra tentationes licita sit? vid. Joh. Georg. Simon. *Præsid. academ. Tom. I. p. 151. §. 7.* Bina seipsos sine vitæ periculo castrantium exempla refert Johannes Dolæus, *Encyclop. Chirurg. Lib. 4. cap. 3. p. m. 883.* Faber qvidam ferrarius sibi persvadens (siqvidem ex maleficiô non semper mente constabat,) calculum se gerere in Vesicâ, ambos testiculos sibi cultro vinitorio amputavit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 7. p. 10.* Monachus qvidam, cùm societatis actionisqve venereæ cum muliere nuptâ insimularetur ab aliis Monachis, sententiam timens, morbum fingit atqve pro evitandâ pœnâ utrumqve sibi Testem à Chirurgo clam exsecari curavit, atqve hac cautelâ, se in Juventute fuisse castratum & proptèrea impotentem, falsòqve accusari, à suspicione & pœnâ se liberavit. vid. Joh. Wier. Oper. *Lib. 4. cap. 20. p. m. 327.* Ubi qvoqve seqventem fabulam refert: Methodius, si Zonaras fidem

meretur, tomo tertio Annalium, de stupro accusatus, purgat sese monstratis virilibus exsiccatis. Interrogatus autem de causâ, narrat, se qvum Romæ fuisset, nimio Veneris æstu concitatum, orasse Petrum & Paulum, ut sibi, ne de castitate periclitaretur, succurrerent; ac noctu eos comparuisse & attrectatis pudendis omnem libidinis appetentiam abstulisse. Item Sacerdos qvidam, ne liberos procrearet & mulctaretur, studio per Castrationem spontaneam sibi acqvisivit impotentiam. Hic scilicet cum Concubinâ pluribus liberis procreatis sæpe eô nomine pecuniâ mulctatus, tandem etiam in Carcerem conjectus, neqvid tale ampliùs committeret & puniretur, accersito Chirurgo utrumqve Testem sibi exscindi curavit, &c. vid. Fel. Plater. *Obs. med. Lib. I. pag. m.* 249. Insana sane atqve ridicula satis fuit Castratio Pistoris, qvi Conjugem pudicam & probam de adulterio suspectam habens Testiculos sibi amputaverat, & ideò qvidem, ut tales resecti testiculi olim impudicitiæ Uxoris, si fortè ex alio concepisset, sint testes futuri. vid. Joh. Hellwig. *Obs.* 131. *Schol. p.* 359. Ad voluntariam Testiculorum exsectionem seu Castrationem pertinet etiam Historia Combali Evnuchi, qvam ex Luciano refert Antonius Ulmus *Physiolog. Barbæ Sect.* 3. *cap.* 3. *fol. m.* 224. Scilicet Seleucus, Rex Assyriorum, Junonis placandæ causâ Stratonicem Uxorem jussit in Syriam proficisci, ibiqve in sacrâ Civitate construere templum, ideoqve & pecuniæ Custodem & Exercitûs Ducem & Comitem Uxori constituit Combalum, formosissimum adolescentem. Is contra diu frustràqve recusavit: etenim verebatur, ne tanti favoris invidiâ in suspicionem probri citò deduceretur. Itaqve, ut sibi metum istum sublevaret, audet facinus admirandum. Exsecat sese & virilia vasculo obsignat: Deinde, cùm proficisceretur, Seleuco Regi diligenter commendat & obtestatur, tutum integrumqve,

ut in reditum servet. Tunc securus iter instituit. Unde verò ei prima Calamitas? Ex Stratonice. Ardet ea amore adolescentis, postremò simulat ebrietatem, ut Combalo, si negaret, temulentia magis, qvàm impudicitia videretur. Veruntamen, cùm ea sic urgeret, ut alioqvi manûs sibi allatura videretur, adolescens necesse habuit, rem consiliumqve suum prodere, desiisse esse virum, ne & Vir unqvam esse possit. Igitur, amore in amicitiam versô, deinceps versatur cum eô confidentius atqve familiariùs. Qvapropter insimulatur apud Seleucum, statim revocatur habeturqve in vinculis, postremò citatur reus. Rex coram Proceribus accusat eum, & adulterium commisisse & fidem Domino violasse, & impiè se gessisse erga Deum, cujus operi & cultui dum vacabat, tam spurca & flagitiosa perpetrâsset. Erant, ut fieri solet, qvi congratulandi causâ atqve odiô Combali affirmabant, vidisse se eam rem habere cum Stratonice; itaqve & qvia præsens nihil respondebat, damnatus est. Ubi verò ad supplicium trahitur, clamare incipit, se non impudicitiæ, sed avaritiæ causâ crudeli interfici: Nempe, qvò Seleucus intercipiat vasculum, qvod ejus fidei commisisset abeundo. Rex, ut vitaret hanc suspicionem, coram omnibus vasculum exhiberi jubet. Tunc Combalus apertô vasculô & productis Testibus, non me debueras, inqvit, ô Seleuce, accusare, apud qvem erat domi tuæ tam præcisa defensio. Itaqve Seleucus cum admiratione reum legibus eximit, Calumniatores morte, Combalum præmiis afficit, &c.

§. 22.

à Castratione. Deniqve qvibusdam etiam insciis & contra voluntatem utriqve Testiculi exscinduntur; Facetum sed, si credere fas est, commiseratione dignum exemplum memorat Nicolaus Remigius, *Dæmonolatr. Super. Lib. 2. cap. 4. pag. m. 223.* de

Nar-

Narbonensi Adolescente, â Thracio pyratâ in servitutem abductô: cui interea, dum ex medicatâ potione altior somnus obrepit, tam bellè testes exsecti sunt, ut experrectus seipsum miraretur sic ademptâ virilitate novum hominem. vid. etiam Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib. 4. fol. m. 526.* Alii adhuc pueri vel etiam adultiores facti Testiculis privantur seu castrantur, qvod non tantùm Italis in infantibus, pro meliori vocis claritate atqve modulatione, sed etiam Turcis, Persis, Sinensibus aliisqve nationibus orientalibus pro aliô scopô, nimirum partim pro Regum & Imperatorum ministeriô, partim pro eorundem Uxorum custodiâ atqve servitiô familiare esse solet, de qvibus castratis, evnuchis & spadonibus infrâ pluribus agetur.

§. 23.

Sicuti autem hactenus commemorati Infantes & Viri adulti defectu qvodam testiculorum laborârunt, ita è contra etiam exempla Testiculô unô aut pluribus abundantium hinc inde observata legimus. Dantur nimirum trisorchides seu tribus dotati Testiculis, qvale exemplum vidit Petrus Forestus in Juvene Antwerpianô valdè luxuriosô, *Observ. med. Lib. 27. Obs. 15. Schol. fol. m. 604.* Tertium Testiculum omnibus cujusdam familiæ superare se nosse dicit Johannes Fernelius *Patholog. Lib. I. cap. 8. pag. m. 200.* Et Petrus Borellus virum novit, cujus Pater & Filius tres Testiculos habuerunt. *v. Cent. 2. Obs. 60. pag. m. 160.* In Civitate Delphensi Civem tribus Testiculis instructum & plurimorum liberorum parentem vidit Regnerus de Graaf, *de Organ. Viror. p. m. 8.* Item Scholiographus ad Holler. *de Morb. intern. Lib. I. cap. 59. Schol. pag. m. 172.* Lutetiæ in puerô, Typographi filiô, tertium Testiculum vidisse scribit. Monachum qvendam triorchidem indomitæ libidinis observavit Hieronymus Montuus *A-*

Testiculi abundantes.

tres.

nascent. Morb. Tom. 4. Cap. 37. p. m. 513. Agathoces Siciliæ Tyrannus ob tertium Testiculum, τριόρχης appellabatur, vid. Lud. Cœl. Rhodigin. *Lib. 24. cap. 4. fol. m. 916.* Idem Autor *Lib. 17. cap. 12. fol. 642.* Francisco Philepho tres fuisse Testes refert. Hic apud Thomam Bartholinum *Anatom. renov. Lib. I. cap. 22. p. m. 208.* vocatur Franciscus Philipellius. Georgio Hannæo cognitus fuit vir, famâ celeberrimus, triorchis & salacissimus. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs.* 114. *Schol. pag. 251.* Bergomi familia Coleonum illustris hoc peculiare habuisse fertur, ut multi ex eâ familiâ mares tres habuerint Testiculos, v. Joh. Georg. Schenck. *Histor. monstror. pag. m. 43.* vid. etiam Lud. Cœlius, *l. a. f. 126.* Tres distinctos & eos qvidem æqvales unô in Scrotô Testiculos alebat juvenis viginti qvinqve annorum, cujus meminit Georg. Abrah. Mercklinus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 211. p. 358.* Integram familiam, cujus masculi omnes tribus Testiculis præditi fuerunt, Nordlingæ novit Welschius, juxta Rosinum Lentilium *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. pag. 83.* In Virô triginta annorum in latere dextrô geminum testiculum, ejusdem cum sinistrô magnitudinis & conformationis observavit Gerardus Blasius, *Observat. med. Part. 4. Obs. 20. pag. m. 60.* Duo exempla, alterum in Cadavere, alterum in vivô virô nobili observavit Leal Lealis *de Partib. Semen conficient. pag. m.* 11. Philippum, Landgravium Hassiæ, etiam triorchidem fuisse, testantur Historici. Τριόρχεις veros, seu qvibus Testis tertius verè distinctus datus fuit, videre contigit etiam Gvernero Rolfincio. *vid. ejusdem Tr. de Part. generat. inservient. Part. I. cap.* 11. *p. m. 36.*

§. 24.

qvatuor testiculi. Hos triorchides numerô adhuc superant Tetrorchides, seu ii, qvi qvatuor superbiunt Testiculis, qvalem vidisse Va-

ro-

rolium refert Thomas Bartholinus *l. a.* & Nicolaus Blegny *Zodiac. med. gallic. An. 2. Febr. Obs. 2. pag. m. 38.* duplicium Testiculorum mentionem facit, ita, ut in utrâqve Scroti parte duo Testiculi non procul à se invicem dissiti deprehensi fuerint. Imò qvinqve perfectos & probè elaboratos Testiculos in amicô observavit Benjamin Scharffius, è qvibus tres justæ erant magnitudinis, duo autem vix ac ne vix qvidem ovi columbini æmulabantur qvantitatem. *vid. M. N. C. Dec.* III. *An. 5. & 6. Obs. 89. p.* 175. *qvinqve.*

§. 25.

In Brutis etiam qvandoqve auctus Testiculorum numerus observatur: Vidit enim Lucas Schrœckius Canem libidinosum admodum, licet duobus orbatum Testiculis, cui tamen tertius insuper in Ingvine latebat, contrectatione facilè observandus. v. Joh. Helwig, *Obs. 131. Schol. p. m. 362.* In pediculis maribus qvatuor numero Testiculos observavit Antonius à Leeuwenhœck, *Contin. Arcan. Natur. pag. m. 60.* In avibus qvoqve tres testiculos repertos legimus, siqvidem Vesalius in Gallorum Gallinaceorum castratione tertium aliqvando reperit. vid. Gvern. Rolfinc. *l. a.* Et juxta Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 6. p. m.* 302. in tota qvadam specie natura tres testes expromit; nam Buteo, qvæ avis est ex accipitrum genere, ob hanc eandem rationem τρίορχος à Græcis dicitur; nam ejus species mares omnes ternis ditantur Cliterninis atqve etiam salacissimi existunt. *in brutis.*

§. 26.

Interdum etiam in Vasis præparantibus circa Testiculos tanta observatur dilatatio varicosa, ut tertium Testiculum qvandoqve mentiatur, qvæ Cirsocele vocatur. vid. Stephan. Blancard. *Lexic. med. pag. m.* 138. hinc Chirurgi monendi *Testiculi varicosi.* *Cautela chirurgica.*

nihi

mihi videntur, ne taliter affectum pro triorchide habeant. Pariter etiam, ubi Testiculi numerô excedunt, circa qvæstionem, an in talismodi Scrotô Hernia, an Sarcoma, aut alius tumor contra naturam lateat? cauti sint Chirurgi, ne Testiculum tertium pro tumore qvodam habeant; Siqvidem ubi plures, qvàm ordinariè adsunt Testiculi, Scrotum nimis extendentes & opplentes, ibi etiam tot Vasa reperiuntur spermatica, ex qvorum præsentiâ de Testiculis certi esse possumus; qvæ tamen Vasa in aliis tumoribus desunt.

§. 27.

Testium magnitudo. Magnitudine atqve Figurâ Testiculi, secundum Isbr. Diemerbroc. *Anat. Lib. I. cap. 22. fol. m.* 109. æmulantur Ovum columbinum, & in qvibusdam parvum Ovum gallinaceum, utrinqve nonnihil depressum; Attamen adeò generatim Testium magnitudo determinari neqvit, utpote sæpius tam pro Corporis proceritate, tum Veneris usu, vitæqve genere aliisqve causis concurrentibus varians. vid. Joh. Mauric. Hoffmann. *Disqvisit. Corpor. human. pathol. Specim.* 8. §. 7. *pag. m.* 91. *Sinister major.* Sinister verò Testiculus communiter dextrum magnitudine nonnihil superat & paulò longiùs propendet; & rariùs dexter sinistrô major est. Rationem nonnulli in eô qværunt, qvia natura hoc ipsô factô magis generationem fœminarum, qvàm virorum intendat, sinister autem Testiculus generationi fœminarum sit destinatus. Cui tamen Opinioni non modò contradicit, sed etiam aliam qvorundam rationem adducit Albertus Kyperus, *Anthropolog. cap. 9. §. 64. p. m.* 135. ubi scilicet dicit: ideò sinistrum Testem dextrô majorem videri, qvia laxior sit & ideò Vasa videri majora, qvia humiditate magis diffluant. Nam reverà majorem esse, qvis certò affirmet, cùm dexter rursus multò sit densior, qvàm sinister? Magnitudo autem non minùs ex profunditate, qvàm ex circum-

circumferentiâ externâ judicanda. Hanc Testiculorum inæqvalitatem nonnulli pro statu morboso habent, unde scribit Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *Oper. Chirurg. fol. m. 274.* Ego vidi plurimos ad me venientes, credentes se malè habere, qvòd unum Testem alterô majorem in seipsis observârent, propter qvam imaginationem videbatur illis testis major dolere. Ego autem illos certos reddidi, id naturale esse, neqve ullum malum eventurum. Cùm igitur adolescens ejusmodi Testium inæqvalitatem in se ipsô observaret, ostendens hunc Testem Operario, ille dixit: se habere Herniam & brevi moriturum, nisi extrahatur Testis. Ast eô ligatô, dum Testem extracturus esset, accurrens Pater adolescentis, qvi erat religiosus, & videns horribile id spectaculum retinuit Operarium ab opere, dicens, se velle, ut priùs ego viderem patientem: qvi propterea solutus est, & cùm me adiret, dixi, ipsum nullô prorsus malô detineri, & ita fuit. Hæc Fabricius.

§. 28.

Interdum tamen reverâ & à variis causis nimis magni reperiuntur Testiculi, v. g. de Testiculô, ob impeditam Seminis in coitu emissionem, ad pugni majoris magnitudinem excrescente, ut etiam incessum impediret; vid. Rudolp. Wilh. Crausius, *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 272. pag. 622.* De duobus Testiculis, duplicis pugni magnitudinem æqvantibus, cum Pene ad genua usqve propendente. v. Joh. Frid. Braw. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. I. & II. Obs. 166. p. 338.* Testiculum ex Contusione ad magnitudinem Capitis excrescentem observavit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 156. pag. 244.* Regnerus de Graaf Goudæ qvendam novit, cujus Testiculus sinister ad pugni magnitudinem sponte suâ excreverat. Talia spolia sæpe reportant illi, qvi in Veneris castris militant, talesqve Testiculi ve- *Testiculi magni.*

nerei qvotidie in Praxi medicâ occurrunt. Testiculum dextrum, à contusione in tantam magnitudinem excrescentem, ut vix Ovo Struthionis cederet, in Piscatore Wittembergensi vidit Georgius Fridericus Francus de Franckenau, *M. N. C. Dec. III. An. I. Obs. 122. p. 205.* Item Testiculum à Collisione justum pueri biennis caput æqvantem in Senatore qvodam observavit Daviel Ludovici, *ibid. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 158. p. 349. seq.* Mülhusæ vir qvidam ætatis mediæ post vini potationes, qvibus crebrò indulsit, ingentes â Crapulâ dolores capitis persentiens, ad eos tollendos, Scrotum & Testes sæpè diuqve linteis, aqvâ frigidissimâ & acetô madidis involvit, ad discutiendum dolorem Capitis à crapulâ; ab illô tempore, qvô sic processit, testiculum dextrum intumescere & indurari observavit, adeò, ut in magnitudinem ovi anserini illius qvantitas excederet & dolorem intolerabilem pareret. v. Paul. Ammann. *Irenic. p. m. 132.* Maritus qvidam ob impeditam Seminis in Coitu emissionem, qvia ancilla triste afferens nuncium de subitò in dormitorium intrarat ambasqve conjuges conterruerat, paulò post dolorem expansivum, tumoremqve in Scroto persentiebat. Puduit verò ipsum Medicum consulere, ideoqve in spe & silentio hæc per duos annos subportavit, intra qvod tempus testiculus dexter ad pugni majoris magnitudinem excreverat, ita, ut incessum impediret. Qvi tamen tumor post applicationem Emplastri de Cicuta, Vigonis cum Mercurio, item Oleo Tartari foetido decrevit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5 06. Obs. 272. p. 622. seq.* Qvidam Cyriacus Halilæus Hydrocele utriusqve Testis, dextri qvidem ad magnitudinem duorum, sinistri verò ad unius pugni magnitudinem detinebatur, de qvô *vid. Henr. Smetii Miscell. med. Lib. 10. pag. m. 572.* Aliud exemplum Testiculi dextri, in qvodam hydropicô ad Ovi anserini magnitudinem adaucti ex

Gu-

Gu. Fabricio, Hildano, adducit Isbr. Diemerbroc *l. a.* Ubi tamen notandum, allegatum Fabricium dictô locó non de virili, sed de mulieris cujusdam post partum hydropicæ testiculô loqvi. Interim ejusmodi Testiculos ab aqvâ ad immensam magnitudinem expansos aliqvoties videre mihi contigit. De Testiculô turgidô & prædurô, qvi exsectus atqve bilanci impositus Uncias sedecim ponderavit. v. Nicol. Tulp. *Obs. med. Lib. 4. cap. 31. p. m. 344. seq.* Testes adeò magnos, ut multô intervallô magnitudinem Testiculorum eqvi superarent, observavit Petrus Pacheqvus, *Obs. 44. in River. Obs. communicat. p. m. 275.* Testem sinistrum adeò turgidum, ut humani Capitis magnitudinem superaret, ab Herniâ aqvosâ annotavit Zacutus Lusitanus, *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 84. fol. m. 61.* Testes ad genua usqve propendentes, horrendæ molis, **wie eine Wasser-Kanne,** Lipsiæ in Virô observavit Christianus Johannes Langius, *vid. ejusd. Prax. cap. 23. Oper. Part. II. fol. m. 143.* Et Felix Platerus, *Obs. med. Lib. I. pag. m. 6.* in homine obæso adeò magnos & ponderosos, ut capitis magnitudinem superarent, qvosqve obæsus ille fasciâ involutos colloqve appensos gestare cogebatur, se observâsse refert. In Hermaphroditô qvodam Testes adeò accreverant, ut non mererentur nomen Testiculorum, communem qvippe supergressi magnitudinem Vervecum penè superabant, teste Georgiô Hannæô, *Act. Hafn. Vol. IV. Obs. 79. p. m.* 184. Testiculus dexter virilis post Casum ab altô in tantam molem duram accrevisse à Frid. Ruyschio commemoratur, ut resectus tres libras eum dimidiâ pondere adæqvaverit, ac intra se omnia vascula seminalia obtinuerit prorsus cartilaginosa. v. Act. Erudit. Lips. *An.* 1714. *Mens. Septembr. pag.* 421. Cum Puellâ menstruatâ Faber ferrarius ebrius rem habuerat, ex qvô impurô ac illicitô coitu alterô die horren-

dô dextri Testiculi tumore correptus, cum sævissimâ inflammatione, Ventris, femorisqve, sinistri præsertim, insigni dolore, cui tandem accessit febris qvintana syncopalis, & testis nigredo. vid. Chr. Franc. Paullin. *Observ. med. phys. M. N. C. Dec. II. An. 6. App. p. 38.*

§. 29.

Testiculi parvi. E contrà dantur etiam Microrchides seu parvis dotati Testiculis. Minimos enim & Ciceris magnitudine testiculos & compressos fœmineos ferè æmulantes ac Vasis seu capreolis pampiniformibus insignitos ad latera pelvis in abdomine; Scrotum autem vacuum observavit Laurentius Wolffstrigel, v. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 22. p. 38.* De aliô virilia magnitudine verrucæ & Testes instar Cicerum habente, v. Casp. Theoph. Bierling. *Adversar. Obs. 12. Schol. pag. m. 38.* & Fortunat. Fidel. *de Relat. med. Lib. 3. pag. m. 355.* In Monachô qvodam Testes, ob votum castitatis inviolabiliter ab eô multis annis observatum, progressu temporis ferè contabuisse, refert Vidus Vidius *de Curat. membranatim, Lib. II. cap. 2. fol. m. 625.* Christianus Langius, Professor qvondam Lipsiensis, observavit, Testiculos cujusdam ex nimio Spiritus Vitrioli usu, cujus singulis diebus qvatuor saltem guttulas appetitus promovendi causa sumserat, ita fuisse imminutos, ut ferè pisorum magnitudinem æqvarint; Neglecto autem istius usu, genitalia cibis bene nutrientibus ad pristinam rediisse magnitudinem. vid. Joh. Christ. Frommann. *de Fascinat. Lib. 3. Part. 6. cap. 18. p. m. 857.*

§. 30.

in Testiculis calculi. In Testiculis qvandoqve Calculi seu lapilli reperiuntur, Scilicet in dextrô decollati cujusdam hominis Testiculô lapillum subalbidum lentis magnitudine invenit, atqve ob rei ra-

ritatem asservavit Johannes Knoblochius, vid. Cornel. Stalpart van der Wiel, *Observ. rar. Cent. I. Obs. 12. Schol. pag. m. 60.* Et in suspensi cujusdam Testiculô Calculum parvum, pisum magnitudine ferè superantem, angulos obtusos habentem, se reperisse dicit Joh. Rud. Salzmannus, *Observat. anat. p. m. 71.* Nonnulla ejusmodi exempla etiam recenset Johannes Schenckius *Observ. med. Lib. 4. fol. m.* 530. Scilicet Monspelii in Cadaveris cujusdam dissectione Testiculos lapillis plenos inventos esse. Et in aliûs subjecti Testiculô sinistrô lapillum albicantem & nonnihil gemmæ modò nitentem, lenticulæ ferè figurâ, sed majorem fuisse repertum. Calculum ex medietate virilis Testiculi exsectum propter adamantinam pelluciditatem annulo insertum possedit Gubernator Promontorii Bonæ Spei. vid. Wilh. ten Rhyne *de Hottentott. cap. 10. p. m. 34.* Inter Testiculum & membranam ejus internam lapides triangulares pisi magnitudine repertos fuisse, scribit Petrus Russe, v. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An. 2. Mens. Jun. Obs. 1. p. m.* 122. In subjectô qvodam, cui non solum à naturâ testiculi extraordinariæ erant magnitudinis, sed etiam Scrotum post casum ab eqvo, instar Sphæræ, qvâ trunculis luditur, intumescebat, tandem tumore ad suppurationem versô, deciderunt testiculorum frustula omninò lapidea, siliceam etiam duritiem æmulantia & malleolô in multas partes dissilientia, &c. v. Lazar. River. à Petro Pacheqvo communicat. *Observ. 44. pag. m.* 275. Item Naupegi seu Navium Confectoris cujusdam Testiculum sinistrum cortice qvodam lapideô instar Ovorum testæ obsessum annotavit Fridericus Dekkers, *Exercit. pract. cap. 7. pag. m. 577.*

§. 31.

Cùm Testiculi, de qvibus hactenus egimus, bursa seu Sacculo, vulgò Anatomicis Scrotum dicto, includantur, pauca *Scrotum.*

qvædam de eô annectenda restant, siqvidem, qvantum ejusdem Anatomen & structuram attinet, benevolum Lectorem ad Autores medicos remittimus. Saltem monendum nobis hoc locô videtur, qvod Johannes Jacobus Rau, in Epistolâ qvadam refert: Homini scilicet non unum Scrotum esse, sed duo; cuti involuta, i. e. carnosam Scroti membranam, communem hactenus falsò vocatam, ab utroqve latere penis in duos Sacculos sphæricos circa binos Testiculos comprehensos expandi, expansorumqve parietes contingentes facili negotio à se invicem divelli, &c. *vid. Act. Erudit. Lips. An.* 1700. *Mens. Maj. pag. m.* 232. *seq.* ubi figuram & explicationem reperies. De septo Scroti ita scribit Philippus Verheyn, *Anatom. Tract.* 2. *cap.* 19. *pag. m.* 159. Nuper Clariss. Ruysch. in Responsis, ad Epistolam D. Gaubii ostendit, etiam sic dividi ipsam Scroti cavitatem per septum intermedium: qvæ cùm mihi transmisisset, septum illud ego in primô Cadavere virili etiam reperi, atqve tum in illô, tum postmodum in aliis publicè demonstravi. Qvod etiam confirmat Observatio Medici cujusdam Vratislaviensis de puellô, qvi Anno 1703. natus est anô clausô Scrotôqve bifidô utrinqve testiculô refertô. vid. *Nov. literar. German. An.* 1703. *Mens. Aug. p. m.* 290. In Hermaphroditô qvodam Testes, qvi ita accreverant, ut vervecum penè adæqvarent, rarissimè tegebantur Scrotô, non ad communem naturæ legem formatô, sed prorsus bifidô, & in dextram sinistramqve partem exactè divisô; qvippe cùm lineola illa in infimâ Scroti parte secundum longitudinem communiter excurrens, qvam Suturam vocamus, hîc sedem suam circa penis elegerit radicem, referente Georgiô Hannæo, *Act. Hafn. Vol. IV. Obs.* 79. *p. m.* 184 In acqvirendâ arte, qvâ Scrotum, rugis naturalibus lineâ oblongitudinali mediâ deletis, sub amplitudine & colore naturalibus ita præparare ac indurare licet, ut

Structura.

va-

Vasorum reptatus distinctiùs longè, qvàm in corpore vivô aut recens defunctô patescat, Johannes Gaubius ultra Viginta annos desudavit: *vid. Act. Erudit. An. 1696. Mens. Jun. p. m. 271.* In Monorchide, qvodam Marsupium seu Scrotum nullâ Suturâ, ut fieri in aliis solet, fuisse notabile, nisi qvod varicosæ venæ permultæ insigne ipsum fecerint, refert Leal Lealis *Epistol. de Partib. Semen conficient. in Vir. pag. m. 11.* Talis futura Scroti etiam in Subjectô qvodam, cui post Sphacelum totum Scrotum, saltem glabrum & absqve rugis, restituebatur, post absolutam curam desiderabatur, de qvô paulò infra.

§. 32.

Scrotum qvandoqve in herniosis, & qvidem tam Hydrocele & Sarcocele, qvàm Herniâ intestinali laborantibus, nimis qvantum extenditur, qvale exemplum in Histor. Morbor. Vratislav. *An.* 1702. *pag. m.* 100. reperimus de herniosô, cujus Scrotum magnitudine vastâ, figuram oblongæ cucurbitæ majoris referebat. In illud sine dubiô, pergit idem Autor, sine fasciâ convenienti pendulum magna defluxerat Intestinorum pars. Sed hoc peculiare & admiratione dignum censuimus, qvod ob hanc Scroti portentosam magnitudinem & distensionem Penis planè intrò retractus esset, ut in Hypogastriô seu superiori Scroti parte nullum ejus vestigium appareret, præter foveam, qvæ ad glandem intus latitantem pertingebat. Ex foveâ hac Urina effluebat; sed necesse erat, ut, qvotiescunqve Urinam reddere vellet, manu tumorem reprimeret & ita foveam dilataret. Hôc officiô nisi manus fuisset defuncta, Urina in Scrotum decidebat & per ejus longitudinem destillabat, &c. Simile exemplum de Studioso Theologiæ Enterocele & Epiplocele, cum immensâ Scroti mole, laborante, refert etiam Felix Platerus, *Obs. med. Lib. 3. p. m. 755. sq.* Hujus scilicet Scrotum adeò tumebat, ut deorsum, pedis unius cum dimi-

Scrotum magnum.

midio, longitudine, propenderet, & in circumferentiâ plus qvam pedes tres cum dimidiô comprehenderet, totaqve illa moles, qvæ admodum dura tactu deprehendebatur, triginta qvatuor libras pondere adæqvaret; qvam propter pondus mantili involutam, colloqve appensam, latâ hac fasciâ gestare cogebatur, &c. In pauperrimô qvodam herniosô Scrotum modiô Hafniensi vel duplô majus omnia Viscera cum Ventriculo simul videbatur in se continere, qvæ etiam moles Veretri pellem infernam ita secum in consensum rapuerat, ut vix leve ejus vestigium appareret partis, qvâ vir erat. Venæ cœruleæ per informem illam molem discurrentes pollice ampliores erant, &c. teste Olao Borrichio, *vid. Th. Bartholin. Epistol. med. Cent. IV. Epist. 92. p. 519. seq.* Alia exempla vid. *l. a. Cent. 3. Epist. 10. p. 50. seq.* De tantâ Scroti magnitudine, ut ultra genua herniosi stantis descenderet, omniaqve Intestina delapsa comprehenderet, vid. Job Meekceu *Observ. Chir. App. p. m. 495. seq.* Bina ejusmodi his simillima exempla, alterum in Nobili, alterum in Pistore qvodam Praxis mihi detexit, qvorum illius, viri maximè proceri & qvadrati Scrotum ab Intestinis, in illud prolapsis, in incredibilem magnitudinem, tam ratione longitudinis, qvàm latitudinis, erat expansum, ita, ut genua attingeret; atqve fovea illa, per qvam Urina excernebatur, (siqvidem in hoc subjecto neqve stante, neqve cubante, ne vestigium qvidem Penis apparebat,) ob nimiam Cutis extensionem visum fugeret. Econtrà verò duo alia foramina seu sinus in Scroto reperiebantur, è qvibus effluebat materia ichorosa adeòqve corrosiva, ut ab ejus attactu non solum ægrotantis Scrotum & aliæ partes, sed etiam meæ & chirurgi manûs arroderentur. Stilo autem cereô in ista foramina immissô, magnos satisqve amplos sinûs ultra spithamæ longitudinem, atqve hinc inde currentes offendebamus. Cumqve talem Sinum Sy-

Observatio.

Syringotamo vel forcipe aperiremus, denuò alii sinûs versus latera apparebant; ex qvibus semper novus fœtor abominabilis augebatur, à qvô tandem Chirurgus morbum periculosum, cum erosione & plurimis vesiculis corrodentibus per totum corpus, sibi contrahebat. Hoc pondus dictus Nobilis per multos annos, fasciâ latâ à Collo suspensum gestârat. Qvoad alterum, scilicet Pistoris exemplum, in hoc Viro Scrotum tantum eqvidem extensionis seu magnitudinis gradum, uti in nobili persona, non attingebat, longè tamen caput humanum, etiam maximum, superabat, ut ita miserrimam vitam, aliàs sat opulentus, trahere teneretur; hanc horrendam Osteocelen à principio ex sacci frumento repleti elevatione sibi contraxerat, qvale exemplum etiam annotavit Johannes Mauricius Hoffmannus, *M. N. C. D. II. An. 7. Obs. 42. pag. 455. seq.* De Militis cujusdam non herniosi tantâ Scroti magnitudine, ut huic recipiendo vix par fuerit pileus, vid. Georg. Hannæus, *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs.* 114. *Schol. p. 252.* De Tumore Scroti flatulento, ita, ut indies paulatim usqve ad Capitis infantilis magnitudinem intumesceret, vid. Joh. Hellwig, *Obs.* 130. *pag. m.* 355. De Scroto absqve dubiò etiam intelligendum, qvod ex Rabbi Loama refert Petrus Laurembergius Pasicompſ. *nov. cap. 6. pag. m. 54.* de duobus Rabbi; alterius scilicet, Ismaelis, membrum genitale simile fuisse magnitudine sacco cuidam novem modiorum, alterius autem Eleazarii octo modiorum. Deniqve in Ægyptô sæpissimè & plerisqve maribus Scrotum ob excrescentiam qvandam carneam in immensam magnitudinem procrescere, imò ad pedes seu calces usqve qvandoqve extendi, scribit Dominus Thevenot *Itinerar. Part. II. Lib. I. cap. 9. pag. m. 63.* ubi ejusmodi frusti resecti, viginti qvinqve libras pendentis, meminit.

§. 33.

Scroti defectus. De Scroti defectu jam suprà, ubi de Testiculorum cum Scrotô resectione egimus, nonnulla adduximus; interdum *à nativitate.* etiam Scrotum statim à partu deest, qvale exemplum in gemello, cui Penis qvidem erat, sed testes & Scrotum nullum, &c. annotavit Johannes Laurentius Bauschius, *de Ætit. pag. m. 7.* Scrotum nullum apparuit in Juvene rustico maximè libidinosô, cujus meminit Christianus Franciscus Paullini, *M. N. C. Dec. II. An. 5. Append. p. 51.* Deinde dantur etiam exempla, ubi remanente Pene atqve Testiculis solum *à Sphacelo,* Scrotum amittitur; qvod freqventer per Sphacelum fieri solet, uti de Sene qvodam, qvi diu Herniâ aqvosâ laborârat, recenset Cornelius Stalpart van der Wiel, *Observ. rar. Cent. I. Obs. 85. pag. m. 363.* Ipsius scilicet Scrotum Gangræna invaserat, ita, ut putrefactione ad Ventrem usqve emoreretur, ipsiqve Testes suis conclusi membranis conspicerentur nudi. Hic tamen, non sine divinæ gratiæ ope, aptis remediis priorem valetudinem consecutus est. Cuidam ex vehementi frigore Scrotum Sphacelô enectum, universum absqve tumore decidisse, Testibus illæsis, refert Henricus Smetius *Miscell. med. Lib. 10. p. m. 526.* ubi etiam Scroti unà cum genitali ex Gangrænâ absumpti exemplum addit. Ascite laboranti cuidam copiosè in Scrotum delapsus est humor serosus, ut extinctô calore nativô secuta sit Gangræna. Adhibitis contra eam Medicamentis, decidit Scrotum, ut Testiculi nudi conspicerentur, teste Gvilelmo Fabric. Hild. *Cent. I. Obs. 48. pag. m. 62.* qvi etiam *Cent. 5. Obs. 77. p. 379. seqq.* alia exempla Gangrænæ Scroti & Perinæi communicat. Item Gangrænam Scroti, Cruris & Ingvinis ex contusione annotavit idem *Cent. 2. Obs. 83. p. 278.* Gangrænam Scroti & tunicarum Testiculorum in Bibliopolâ Parisiensi observavit Isaacus Cattierius, *Observat. 16.*

p. m.

p. m. 51. In Viro, febre malignâ laborante, nullâ prægressâ causâ externâ totum Scrotum Sphacelô corruptum & emplastro saturnino integre restitutum observavit Johannes Francus *Herb. Alleluj. cap. 5. p. m. 222.* Scroti, Perinæi & Ani gangrænosi exemplum legimus apud Lazarum Riverium in *Obs. ab Ozia Aimar communicat. 7. p. m. 463.* Scrotum sphacelatum ex Morbô Gallicô in juvene annotavit Dominicus Panarolus *Obs. med. Pendec. I. Obs. 25. pag. m. 16.* Gangrænam Scroti totius cum Testiculis nudis ejusqve Curam videbis in Stephan. Blancard. *Collectan. med. phys. Cent. I. Obs. 8. pag. m. 9. seq. item Cent. 3. Obs. 75. p. 453.* Cosmus Slotanus, Chirurgus, qvadragenarium Ascite laborantem cùm tractaret, humor serosus in Scrotum copiosè delapsus Gangrænam effecit, ita, ut nudi conspicerentur Testiculi, juxta verba Davidis Lipsii, *de Hydropis. pag. m. 20.* Oeconomo cuidam nautico, Philippo Andreæ, ex casu gravi in anchoræ partes acuminatas Contusio primò, hinc Gangræna atqve Exulceratio Scroti, Perinæi, partiumqve connexarum supervenerat, teste Jobo à Meckren, *Observ. med. chirurg. cap. 27. p. 119.* Ex Hydrope post Dysenteriam in Doctore qvodam ortam Gangrænam cum Curâ reperimus in Timæo à Güldenkl. *Lib. 6. Cas. 32. p. m. 296. seq.* Bina exempla Scroti sphacelati servatis Testiculis regenerati observavit Johannes Baptista Lamzweerde, *Append. ad Armament. Chirurg. Joh. Scultet. Obs. 28. p. m. 250.* In rusticô qvodam mortuâ Scroti parte sponteqve suâ decidente Testiculus sinister sanus comparuit, nec ulterius Gangræna serpsit, referente Thomâ Bartholinô, *Epistol. med. Cent. 3. Epist. 5. p. m. 18. seq.* Idem qvoqve Autor *Histor. medic. Cent. 5. Hist. 69. p. m. 320. sq.* Scroti militis cujusdam Sphacelô ablati atqve restituti mentionem facit.

§. 34.

Observatio. Aliqvoties etiam mihi ipsi ejusmodi Casum, Scroti videlicet Sphacelum, observare licuit, & qvidem primò in viro qvodam qvadraginta qvinqve annorum, qvi in parandâ polentâ defatigatus, admodum sudans sitiensqve post haustam frigidæ bonam qvantitatem horrorem atqve calorem paulòqve post Scroti dolorem, tumorem atqve ruborem sentiebat; qvibus Symptomatibus, ob supervenientem noctem, neglectis, posterô die accersitus Chirurgus, Gangrænam in Sphacelum degeneraturam deprehendebat atqve intra paucum temporis spatium dimidia Scroti parte demortuâ vix alteram ejusdem partem cum Testiculis conservare poterat; amissa tamen pars post aliqvot septimanas iterum restituebatur. *Observatio.* Deinde totius Scroti Sphacelum videre mihi ante aliqvot annos contigit in Cive atqve Sartore hujus loci non ignotô, qvi post excandescentiam ex improvisô, antecedente horrore atqve calore, in Cute, versus præputium dolorem acutum & ardentem persentiens, Chirurgum accersitum curat, cujus nescio an incuriâ, an ignorantiâ, an verò mali malignitate, ortam jamjam Gangrænam atqve in totô præputiô Sphacelum cum ulterioris ad Scrotum progressûs signis, seqventi demum die reqvisitus observabam; qvare priori Chirurgo, non æqve fidens ægrotus alium vocari meô svasu jubebat; qvi licet extemplô advolaret, minimè tamen impedire poterat, qvin Gangræna in Sphacelum degeneraret, unde non modò Penis cute privabatur atqve totus denudatus apparebat, sed etiam totum Scrotum, ad Ventrem & anum usqve sphacelatum, partim frustulatim secedebat, partim pro impediendô ulteriori Sphaceli progressu, resectionem reqvirebat, & qvidem non sine ipsorum testiculorum, qvi in tunicâ suâ nudi pendebant, jacturæ metu. Per Dei tamen gratiam non solùm à variis su-

per-

pervenientibus Symptomatibus Sartor hic liberabatur, ſed eidem qvoqve â Chirurgô Scrotum reſarciebatur ita, ut ſenſim Cutis atqve carnoſitas denuò proveniret, demumqve Teſticulos penitus iterum obtegeret. In hoc autem ſubjectô idem obſervabam, qvod annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel, *Cent. I. Obſ. 85. pag. m. 363.* ſcilicet recens hoc Scrotum glabrum omninò erat, rugis carebat, tamqve arctè continebat teſtes, ut in principiô poſt Curam vix locô moveri poſſent. Tertiò Colonellus qvidam, Nobilis, ſeptuaginta aliqvot annorum, circa finem Anni 1718. poſt diuturnum & aliqvot annos durantem Urinæ Ardorem Mictumqve mucoſum, qvandoqve etiam purulentum ſummèqve fœtidum, ex improviſò ingentem horrorem atqve intenſiſſimum calorem cum delirio incidebat, atqve poſt biduum in Ingvine ſiniſtro circa radicem penis inſignem dolorem, tumorem, inflammationem cum ſubſeqvente abſceſſu ſentiebat. Qvô poſt duos dies, nocturnô tempore, internè disrupto magnaqve materiæ purulentæ qvantitate in Scrotum delapsâ, ſeqventi die tumor eqvidem ingvinalis evanuerat, ipſum autem Scrotum, (antea planè flaccidum,) nimis diſtentum atqve durum, maculis etiam magnis nigricantibus ſeu gangrænoſis hinc inde notatum apparebat, qvod etiam paulò poſt, absqve tamen læſione Teſticulorum, ad duas tertias â ſphacelo conſumebatur. Per ingens autem Scroti foramen non modò materia purulenta & mucoſa, ſed etiam magna ſimul Urinæ qvantitas, hæc tamen nunqvam contra ægroti voluntatem, effluebat, ſiqvidem per aliqvot horas Urinam retinere atqve pro lubitu excernere poterat. Unde abſceſſum hunc non in ipſa Veſica, ſed extra ejusdem Sphincterem, nimirum circa Urethræ principium, radicem egiſſe credibile eſt. Imò poſtqvam Scrotum penitus ferè redintegratum eſſet, etiam in ingvine dextro, circa eandem

dem regionem, post febrem, tumor & abscessus oriebatur; cujus materia purulenta tum par relictum Scroti foramem, tum per aperturam in loco affecto factam evacuabatur. Cùm verò tempore, qvó hæc scribo, parum adhuc tam Urinæ, qvàm materiæ fœtentis, per Scroti foramen prodeat, plenariam cum Deo consolidationem speramus. In ejusmodi qvoqve Casu Testes callosâ qvadam substantiâ, qvæ eos vice Scroti obtegeret & ab externis injuriis vindicaret, fuisse obductos, refert Gvilelmus Fabricius, *Hild. Cent. I. Obs. 48. pag. m. 62.* De Scrotô à Pediculis istis, qvos Gallicè Morpions dicimus, corrosô & consumptô. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. pag. 27.*

§. 35.

Scrotum lapideâ crustâ obductum.

De Scroto internè crustâ lapideâ obducto raram observationem communicat Fridericus Dekker, *Exercitat. practic. cap. 4. pag. m. 150. seq.* de Navium Fabricatore, qvi nimiô labore solisqve æstu summè excalefactus intolerabili insuperabiliqve per biduum laboravit Siti, tertio die incidit in febrem qvotidianam continuam. Sexto morbi die qvam maximè conqverebatur de ingenti Scroti tumore & inflammatione, cum Vomitu pituitosorum & biliosorum humorum; Chirurgus itaqve subinde Cataplasma Scroto imposuit. Verum tumor, dolor & inflammatio ita augebantur, ut Medicus & Chirurgus Gangrænam metuerent, superveniente deniqve summâ & incredibili Scroti duritie, ita, ut Scrotum lapidem rotundum esse dixisses; Attamen post dies aliqvot in inferiori Scroti parte tumor ingens pure repletus apparuit, qvô apertô, puris magna vis effluxit, manente tamen eodem tumore & summâ illâ duritie. Tandem invenit dictus Dekker, cum Chirurgò, non nisi parvam qvandam in Scrotô apertionem, imò totum Scrotum internè crustâ qvâdam lapideâ obductum,

qvoad

qvoad interiorem partem planâ & qvasi lævigatâ, qvoad exteriorem faciem asperâ & inæqvali, ad crassitiem semidigiti, qvam crustam instrumento qvodam fractam, non absqve dolore, minutatim subinde ac per vices extraxerunt.

§. 36.

Hac occasione inserenda mihi etiam videntur exempla Calculorum in Scroto repertorum vel post ejusdem exulcerationem prodeuntium, v. g. Juveni cuidam novendecim annos nato, antea bis, à diversis Lithotomis, Calculis liberato novus in Scroto accrevit Calculus miræ magnitudinis, forsan ex fragmentô qvodam præcedentis Operationis inter extrahendum contritô & inter Cutim & musculos in Peritonæo remansô, ibiqve delitescente, juxta Observationem Johannis Dolæi, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 253. pag. 591.* ubi figuram reperies. Raram de Scrotô calculoso seu de septuaginta Calculis è Scroto pueri, sex fere annorum, à Johanne Baptista Plantier, Lithotomo Amstelodamensi per tres vices extractis, observationem communicat Gerardus Blasius *Observat. anatom. pag. m. 131. seqq. it. Observ. med. Part. 6. Obs. 25. pag. 89. seq.* Per Scrotum suppuratum Pueri tredecim aut qvatuordecim annorum, parentibus egenis nati, post Vesicæ exulcerationem Calculum avellanæ longiusculæ magnitudine proruppisse, refert Jacobus Zæmannus *Act. Hafn. Vol. III. Obs. 6. p. 11. seq.* In Viro robustissimo Silesiaco ingentem Calculum à Naturâ per Scrotum fuisse protrusum, recenset Philippus Jacobus Sachs à Lewenheim *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 142. pag. 225. seq.* E Vesicâ pueri Scanici qvadrimi in Scrotum protrudebatur, atqve exinde, factâ suppuratione, rejiciebatur Calculus rotundus & globosus, candidus Cretæ instar, sed durus, solidusqve, cujus tamen exterior Cortex seu lamina nonnihil ad flavum colorem vergebat. vid. Thom. Bartholin. *Cent. IV. Histor.*

Calculi in Scroto.

ſtor. 8. p. m. 227. Monſpelii Scrotum qvidam prætumidum habebat; cùm verò Medici dubii eſſent, tandem ex putredine ruptum apertumqve fuit: unde lapis excidit in qvinqve partes diffractus, v. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. IV. fol. m. 531.* ubi etiam ex Fabriciô Hildanô meminit Calculi, in ipsô Scrotô geniti, de qvô vid. ipſe Gvil. Fabric. Hild. *Cent. 6. Obſ. 51. fol. m. 571. ſeq.* Ex Abſceſſu in Scrotô tres lapides, qvorum qvisqve craſſitiem & longitudinem pollicis continebat & ſinguli cyſtide propriâ obvoluti erant, eduxit Peterinus, Chirurgus. v. Nicol. Blegny, *Zodiac. med. Gall. An. 4. Menſ. Februar. Obſ. 4. pag. m. 30.* Calculum friabilem ex diverſis tunicis conſtantem, duasqve uncias cum drachmâ unâ pendentem ex Scrotô ſubitò prodire obſervavit Vitus Riedlinus, Parens, *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 46. p. m. 388.* Ex Pharmacopœi Poſonienſis filioli, duorum annorum, poſt Dyſenteriam Calculo laborantis, Scrotô apertô Calculum piſi majoris magnitudine excretum annotavit Carolus Raygerus, *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 206. pag. 304. ſq.*

§. 37.

Verruca in Scroto. Verrucam penſilem fungiformem in Scrotô viri cujusdam obeſi corporis, ex attritu ipſius inter deambulandum factô enatam, tenui ſcilicet pendentem pedunculo, dehinc verò inſtar fungi terreſtris in capitulum latum expanſam annotavit Johannes Mauricius Hoffmannus, *M. N. C. Dec. III. An. I. Obſ. 140. pag. 234.* Scrotum monſtroſum durum, renitens, extenſum, magnitudinis Capitis viri, tuberoſum, cujus ſuperficies ſeu Cutis copioſiſſimis verrucis tegebatur, cum Mentulâ monſtroſâ annotavit & depinxit Philippus Hœchſtetterus, *Obſervat. medic. Dec. VI. Caſ. 8. p. m. 713.*

CAP.

CAPUT III.

De PENE.

§ I.

PRo meliori Seminis virilis in mulieris Uterum ejusve vaginam injectione armatus est Mas Instrumentô, qvod vulgò Penis appellatur, qvamvis apud Medicos aliosqve autores aliis etiam nominibus venire soleat. Audit videlicet Membrum virile, genitale & seminale, item Virga, Colis, Veretrum, Menta, Mentula, Sicula, Vena, Contus, Telum, Sceptrum, Hortus, Arma Ventris, adstans Ingvinibus Columna; item Columna, per se Pertica, Pyramis, Trabs, Nervus, Spina, Verpa, Muto, Fascinum, Palus, nonnunqvam etiam Vas & Vasculum, hinc etiam vasati, aliis nasati, dicuntur benè mutoniati. Alii hoc Instrumentum vocant Phallum, Taurum, Marcharam, Pessulam, Peculium, (vid. *Petron. Satyric. cap. 8. p. m. 13.*) Pomum, Scapum, Canalem, Pilum, Caudam, Mætium, Vepenem, Tentum, &c. vid. Jason à Pratis *de Sterilitat. pag. m. 200. & 202.* Philipp. Jac. Vinther. *Disput. inaugural.* περὶ τῶν ἀπεράκτων μορίων, *Argentorat. 1678. habit. cap. 3. p. 8.* Henric. Salmuth *in Gvidon. Panciroll. Rer. memorabil. Lib. 2. Tit. 10. p. m. 176.* Tullia in Aloys. Sig. *Tol. Colloq. 3. p. 33.* ubi etiam varias denominationes græcas reperimus, vid. etiam Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. I. cap. 2. pag. m. 254.* Lud. Cœl. Rhodig. *Lection. antiq. Libr. 4. cap. 7. fol. 124. seq.* Thom. Bartholin. *Vindic. anatom. p. m. 122.* De aliis etiam denominationibus Græcis vid. Gverner. Rolfinc. *de Partib. Generat. dicat. Part. I. cap. 43. pag. m. 84. seqq.* ubi etiam variarum Penis denominationum Latinarum rationes & origenes adducit. Videri insuper possunt Carol. Musitan. *Chi-*

Penis *Denominatio.*

rurg. Tom. II. cap. 50. *pag. m.* 217. Nicol Venette *de la Generation. Part.* 1. *Art.* 1. *pag. m.* 3. Joh Christ. Frommann. *de Fascinat. Lib.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 4. *pag. m.* 59. In specie autem de Priapo, cujus nomine Penis superbire solet, ita scribit Gv. Rolfincius *l. a. pag.* 88. Priapus antiqvitùs appellatus, natus fuit ex Venere in Lampsaco puer deformis & præ cæteris incredibili mutone prædıtus; Qvod cum observaret Venus, illum ibidem reliqvit. Cum adolevisset, gratus fuit Lampsacenis mulieribus, utpote facilè paratus plantandis Civibus. Id cum ægrè ferrent Cives, ejectus fuit in exilium, facinus illud ægerrimè ferentibus mulieribus. Iisdem verò Deos pro se precantibus, & Civibus pudendorum morbo cælitus castigatis, Oraculi monitu fuit revocatus. Ajunt illum cum unô ex iis asellis, qvi Bacchum, in Indicam expeditionem proficiscentem, trans qvendam fluvium transvexère, de Membri magnitudine decertâsse, sed victum fuisse, ac victorem ob invidiam trucidâsse. Terris exemptus in numerum Deorum relatus meruit Numen esse hortorum. Priapum hortorum Præsidem celebrabant Romani. Extant etiamnum in Romanis hortis reservata ab antiqvô Ethnicorum cultu Priaporum Idola, virili membro porrectô exstantia. Hortis Romanis Præfectus datus ob fertilitatem: nam cùm alia terra semel creet aliqvid, horti nunqvam sine fructu sunt. Virilis magnitudo membri incessabilem hortorum notat germinationem, &c. Plura de Priapo vid. L. Coel. Lactant. *de fals. religion. Lib. I. Oper. pag.* 69. *seq.* Natal. Comit. *Mytholog. Lib.* 5. *cap.* 20. *pag. m.* 519. *sq.*

Priapus.

§. 2.

Penis derivatio.

Vocabulum Penis nonnulli vel etiam pleriqve Autores à pendendo derivant, vid. Casp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib. I. cap.* 32. *pag. m.* 105. Cui tamen contradicens Johannes Riolanus.

lanus hoc nomen non à pendendo, ſed à caudâ, qvam Veteres penem vocâſſe, indeqve Penicillus ex Cicerone derivari ſcribit, *Opuſcul. Anatom. pag. m. 274.*

§. 3.

De Structurâ & Anatome hujus Inſtrumenti evolvi poſſunt Autores ſupra de Teſticulorum Anatome allegati, & alii, imprimis Frid. Ruyſch. *Obſ. 100. p. m. 127. ſeq.* Philipp. Jacob Vinther. *Diſput.* περὶ τ̃ ἀπορρήτων μορίων, *cap. 3. pag. 8. 9. ſeq.* nobis enim pauca ſolummodò de hac materiâ annectere libet; nimirum circa Penis Structuram à Neutericis obſervari, ſub Penis Cute duo porrò integumenta reperiri, cellulosum alterum aurâ repleri aptum, alterum nervoſum, immediatè corpora nerveo-ſpongioſa cingens; in glandis autem ſuperficie innumeras papillas nervoſas, præſertim inter Præputium & Glandem; uti ex Frid. Ruyſchio refert Joh. Guil. Pauli *Præfat. in Joh. van Horne Oper. med.* *** *3. & 4.* Ubi etiam Glandulam Penis novam in angulô curvaturæ Urethræ ſub Oſſe Pubis ſitam eſſe monſtrat. vid. etiam Fr. Ruyſch. *Theatr. anatom. III. pag. m. 6.* ubi de præparatione membranæ celluloſæ agit. Et *Theſ. IV. pag. m. 42.* ſcribit idem, dictas papillas nerveas inter Præputium & Glandem in Coitu voluptatem, dolorem autem intolerabilem Scortatoribus afferre, ubi ulceribus infeſtantur dictæ papillæ; ſiqvidem ſæpe in Scortatoribus, ubi in Gonorrhœam incidunt, in Coitu cum ſordidâ meretrice, veneni naturam primò aſſumunt, & corpori nervoſo communicant, &c. Has tamen glandulas circa Penis glandem Gallum qvendam Noveſium jamjam duodecim, ante alios, annis detexiſſe, dicit Elias Camerarius, *Diſſert. Phyſ. med. Epiſt. 7. pag. m.* 103. ibidemqve glandularum ipſius Urethræ à celeberrimô Taurinenſium Medico, Laurentio Terraneô, inventarum meminit. Detexit ſcilicet Terraneus magnô

Structura.

Glandula.

numero disgregatas Urethræ Glandulas, qvarum freqventia oscula in Urethram hiant, atqve ad ipsius glandis extremitates reperiuntur, eâ qvidem amplitudine, ut setam aliqvam admittant. Disgregatas verò illas vocavit, imitando Malpighium, qvi ultra conglobatas conglomeratasqve miliares ipsi dictas glandulas admisit supposuitqve hasqve Vesiculæ in modum subextensas ideò credidit, ut colligendæ majuscuæ liqvoris stillæ locus sit. Præter verò disgregatas illas glandulas demonstravit qvoqve alias duas situs versus Prostatas, qvas Astites conglomeratas appellavit, qvarum ductûs longiùs excurrentes in Urethram qvoqve terminantur. Harum glandularum unà cum ductibus excretoriis detectionem Gvilelmo Cowpero, Chirurgo Londinensi, adscribentes Collectores Actorum Eruditorum Lipsiensium *Anno* 1700. *Mens. Jan. p.* 255. *seq.* præter delineationem ex Autore seqventia verba referunt: Ad qvartam circiter pollicis partem sub Prostatis glandulis duas alias minores reperiebam glandulas, utrinqve ad Urethram paulò supra spongiosi Corporis bulbum locatas. Glandulæ hæ depressæ erant figurâ ovali, neqve magnitudinem phaseoli parvi excedebant. Separatâ videlicet eâ Musculi acceleratoris parte, qvæ dictas glandulas transcendit, deprehendes easdem, instar duorum corporum durorum, utrinqve ad Urethram sitas. Prostatarum more ad flavescentem vergunt colorem. Excretorii eorum ductûs in superficie internâ prope internam Urethræ membranam apparent, ad longitudinem dimidii pollicis inde descendentes, priusqvam attenuati membranam hanc osculis intra Urethram hiantibus ac secretum liqvorem eructantibus obliqvè perforent. Glandulas in angulô Curvaturæ Urethræ sub ossibus sitas, qvarum supra mentionem fecimus, ab eodem Cowpero fuisse observatas, patet ex Act. Erudit. Lipsiens. *Ann.* 1702. *Mens. Novembr.*

pag.

pag. 409. Item, de Glandulis his Disputationem pro Licentia sub Titulo de Astitibus virilibus habuit Erfordiæ Johannes Wilhelm. Bussius, 1715. De Penis structurâ per inflationem examinandâ vid. Fr. Ruysch. *Observ. 100. pag. m. 130. seq.*

§. 4.

Anteqvam ad Penis magnitudinem accedamus, ejusdem erectio præmittenda mihi videtur, siqvidem ille non perpetuò ejusdem magnitudinis est, sed ab effluxu & refluxu sangvinis atqve spirituum adeò variat, ut erigatur modò, modò retrahatur: retracti tamen magnitudo multò minor sit, qvam erecti. Unde Nasutulo cuidam, qvi conspectâ Herculis statuâ flaccidô membrô sculptâ, artificem ineptè deprehendebat, qvod Viro ingenti exiguum Penem finxerit, responsum fuit: Nec dejaniram adesse, nec Priapismô laborâsse Herculem. vid. Johann. Sigism. Elsholz. *Anthropometr. cap. 24. pag. m. 240.* *Erectio.*

§. 5.

Qvâ ratione autem Penis extensio & Erectio fiat, differunt inter se Autores, siqvidem antiqvi Penis erectionem immediatè â Musculorum, Erectorum nomine venientium, actione dependere statuebant; qvam tamen sententiam Regnerus de Graaf rejicit, ideòqve dictis Musculis Penem extendendi ac erigendi potentiam denegat, qvòd in omnibus musculis, dum agunt id, ad qvod destinati sunt, eorum ventres intumescant, atqve extremitates ad se invicem accedant. Qvod cùm ita sit, pergit idem, fieri non potest, ut hac ratione extendatur; qvandoqvidem Musculi actio sit Contractio, qvæ extensioni contraria est. Neqve etiam horum musculorum ope immediatè Penis erectionem contingere posse, ex eorum *Causa.*

curatiori inspectione, & iis, qvæ jam dicta sunt, clarè cognoscitur; qvia musculorum illorum extremitates ad se invicem debent accedere, & cùm principium, qvod Coxendicis ossibus firmiter implantatur, propter illorum qvasi immobilitatem moveri non possit, necesse est, altera eorum extremitas appropinqvet, cui cùm affixum sit membrum virile, necessariò id seqvi debet: si verò seqvatur, qvid fiet? Penis non erigetur, sed deprimetur; qvia in infernâ parte, sive sub Pene ex Coxendicis appendicibus originem sumunt dicti Musculi & inferiori Penis parti implantantur. Hæc Graaf *de Organ. Viror. Oper. p.m. 107. seq.* Qvi tamen *p. 114.* Musculos ad Penis erectionem concurrere concedit, atqve ad Penis erectionem duo vasorum genera cum Musculis reqvirit, nervos scilicet atqve arterias; Nervos, per qvos Spiritûs animales in membraneas Penis partes influentes eas rigidiores tumidioresqve reddunt; arterias autem, qvatenus sangvinem ad fungosas Penis partes distendendas apportent; Nam à sangvine primariam Penis extensionem dependere firmiter statuit, &c. Musculos verò mediatè tantùm ad Penis erectionem concurrere admittit, *pag. 115.* qvatenus Ventres eorum, dum intumescunt, corpora nervosa & meatûs, per qvos sangvis naturaliter refluit, comprimunt, & comprimendô impediunt, qvò minùs sangvis per arterias in corpora nervosa impulsus effluat. vid. etiam *p. 117.* Unde patet, secundum allegatum Autorem sangvinem primariam Penis extensionis causam esse, secundariam verò Musculos & adjuvantes nervos, cum ipsis corporum nervosorum membranis. Sic Thomas Bartholinus Penis erectionem â Sangvine & Spiritu Penis vasa distendente deducit, simulqve à Musculis eundem erigi atqve in congressu sustineri docet, *Anatom. ref. Lib. I. cap. 24. p. m. 244. seq.* Et Daniel Tauvry, *Anatom. cap. 11. p. m. 189. seq.* ait,

ait, Musculos ad tensionem Virgæ conferre, venas & corpora spongiosa comprimendo, & ita, impediendo, ne sangvis, qvi per arterias influxit, per venas redeat, erectionem hujus partis causari. Item ad qvæstionem, qvomodo Penis, ordinariò flaccidus & propendens erigatur, ut imprægnationi faciliùs & promptiùs litare possit? ita respondet Joh. Fr. Ortlob, *Histor. Part. Diss.* 34. §. 11. *p. m.* 269. *seq.* Musculis id tribuerunt pleriqve veterum, sed qvoniam horum actio in Contractione consistit, penis verò iis potiùs retraheretur solis, eis non nisi sub certâ conditione officium id tribui potest. Elongatur enim non modò & qvasi intumescit Penis, sed & rigidior atqve ad superiora erectus observatur. Cuncta hæc pendent partim ab influxu Spirituum animalium per nervos ad illas partes uberiore, partim â sangvine copiosiùs per arterias influente & refluxu ejus per venas impeditô.

§. 6.

Huic tamen Regneri de Graaf Sententiæ in tantum contradicit Philippus Verheyn. *Anat. Tr. II. cap.* 22. *p. m.* 175. *sq.* Hæc passim, inqviens, à modernis tanqvam è Tripode prolata excipiuntur: mihi verò, qvatenus diriguntur contra communem Opinionem, ne vel hilô præponderant; licet circa usum illorum musculorum, qvos Penis erectores vocant, Regnero de Graaf facilè concedam primam partem, qvâ nimirum agit de Penis extensione: qvippe nihil facientem ad propositum, cùm nullus unqvam illam adscripserit præfatis musculis. Qvòd vero dicat, in horum musculorum Operatione extremitatem Peni implantatam appropinqvare versus initium adeòqve & Penem deprimi debere, innititur falsò illi principiô, nimirum in omni musculorum actione extremitates accedere ad se invicem: falsò, inqvam, qvia exceptionem patitur in motu tonicô. Qvis enim dicet, ad se invicem *Verheyn Opinio.*

ac-

accedere extremitates musculorum, qvibus brachium prævìè qviescens in lineam rectam extenditur? Unde non video ego qvicqvam obstare, qvò minus Penis à sangvinis & Spirituum inexistentium copiâ extensus atqve obrigescens ulteriùs per æqvalem horum musculorum actionem erigatur, eô modô, qvo baculus è duobus funibus ipsi alligatis in planum erigitur. Dices fortassis, pergit Verheyn, Penem in suâ erectione elongari, adeoqve istorum musculorum fines non tantùm non accedere ad principia, sed etiam ab iis longiùs recedere. Respondeo, nec hoc repugnare actioni Musculi: si enim ab aliâ causâ, ut hîc fit, membrum extenditur atqve à principiô Musculi removetur, poterit eqvidem Musculus ille, qvantum est ex vi propriæ actionis, contrahi, & dictæ extensioni qvasi reluctari; maximè si ejus fibræ priùs fuerint flaccidæ & qvasi collapsæ, prout sunt in Pene non extensô. Insuper qvoniam hi musculi breves sunt, etiam illorum Operatio & Penis extensio se mutuò minùs impediunt. Nec minùs dictis Musculis pro tensione Penis ex recentioribus patrocinatur Christianus Joh. Langius, *Physiolog. Thes. 36. Oper. Med. Part. I. fol. m. 212.* Tenditur, inqviens, membrum virile & ad Seminis in sinum muliebrem inspersionem præstandam redditur aptum à Musculis erectoribus dictis, qvi (breviores ac crassi firmiter adnascuntur Ossis Coxendicis appendicibus & terminantur circa radicis penis inferiorem partem,) partem hanc attollunt, firmiusqve Ossi pubis applicant, dumqve id fit, comprimuntur non solùm crura corporum nervosorum, verum qvoqve in dorsô penis immediatè sub Cute posita vena occluditur, recursusqve sic cruoris omninò intercipitur, dum interea per duplicem arteriæ ramum profundiùs latentem continuò cursu spongiosissimis illis penis corporibus nervosis infunditur sangvis, ita tandem infarciens illa, ut membrum totum extremè rigidum

ac

ac tensum evadat. Insimul tamen spiritibus affluentibus in fibras corporum nervosorum multum qvoqve in acceptis ferendum esse, ut rigescat penis, ambabus longior. Recentiorum qvorundam Medicorum Gallorum sententiam de Penis erectione vid. Histor. Acad. reg. Scient. Paris. *Ann.* 2. *pag.* 270. *seqq.*

§. 7.

Erectio à Spiritibus.

Cùm verò tam ad Musculorum eorumqve fibrarum actionem, qvàm ad citationem Sangvinis in Corpora Penis nervoso-fungosa influxum, absqve dubiô novus & ab orgasmô venereô aliisve causis excitatus Spirituum motus, tanqvam causa impellens reqviratur, non immeritò, meô qvidem judiciô, nonnulli Autores primariam erectionis Penis operationem Spiritibus, vel auræ, vel vapori adscribunt. Unde enim nobile illud, licet pudendum, membrum, cujus petulantiâ ad opus nobilissimum jucundissimumqve natura abutitur, in tentigine duritiem obtinet, nisi ex Spirituum inflatione? qvibus effusis, qvàm citò langvescit? qværit & respondet Sebastianus Bassus, vid. Christ. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. I. Tit.* 11. §. 13. *p. m.* 293. *seq.* ubi dictus Autor Sententiam suam his verbis explicat: Utut sangvinem arteriosum multum ad Penis erectionem facere non nego, in eô tamen minimè erit acqviescendum. Qvæ causa erit impellens? cur iste Sangvis ἀθρόον penis subeundo arterias distendat? Nulla sanè alia, qvàm nervosas partes titillans sub ideâ libidinis vapor, qvam prægressam titillationem doloris levioris propaginem demum sangvinis affluxus insequitur. Vapore isthoc unà cum Semine egestô, qvòd detumeat penis, unica causa est, qvamvis Sangvis per venas non retrocesserit. Qvare cùm in pueris & senibus stimulus iste non deprehendatur, nec tento valent, nec duello. In brutis à naturâ constitutô tempore expergiscitur,

N

tur, non omni tempore venereos amant actûs. Causa est pariter hic stimulus cur nobis invitis etiam in somnô promineat Veretrum, &c. Et licet Nath. Highmorus, *Corp. hum. Disqvisit. anat. Lib. I. Part. 4. cap. 3. fol. m. 96.* ad Penis seu Corporum nervosorum distensionem Sangvinem & Spiritûs reqvirat, nihilominus tamen paulò post statuit, hæc corpora nervoso-fungosa admodum ad rei venereæ phantasiæ repræsentationem sangvine statim ab arteriis repleri atqve distendi. Ut ita dictus Autor phantasiam seu operationem spirituum extraordinario Sangvinis influxui antecedere credat. Et Philippus Verheyn, *loc. allegat. p. 180.* hæc habet: Qvantum ad Penis inflationem & indurationem, illa indubiè contingit propter repletionem corporum nervosorum ac spongiosæ substantiæ Urethræ, qvandoqvidem etiam in Cadaveribus aliqvid simile accidit, dum corporibus istis flatum aliumve liqvorem immittimus. Verum licet notum sit, eam penis extensionem æqvè ac illius erectionem maximè dependere ab animi passionibus & affectu venereô, non tamen constat, an per ejusmodi passiones inflentur corpora Penis nervosa, qvia sangvis & Spiritus in ea protruduntur abundantiùs, an qvia per influxum Spirituum constringuntur viæ, per qvas sangvis ex illorum cellulis ad venas regredi solebat. Interim duo illa simul concurrere mihi videntur. Item H. G. Herfeld, *de Origin. Morbor. §. 46. pag. m. 65. seq.* rem totam per fermentationem describens ita dicit: Jam verò notum est, omnem fermentationem fieri in Corpore humanô Spiritibus mediantibus; qvò verò fermentatio est major, eò majus spatium reqvirit, indubium verò, spirituosas partes non tantùm in Cerebrô hærere, sed etiam in partibus genitalibus; & qvoniam in hac regione crassiores spiritûs hærent, qvàm in capitis, ex hac nimirum subtiliores effluunt, qvi, qvando se crassioribus, in inferiore ventre

tre

tre hospitantibus, associant, fermentationem solitô majorem producunt, eô qvod Fluidum primigenium aliam particularum dispositionem tunc reperit, & angustiores vias perfluere debet ob misturam spirituum crassiorum & subtiliorum. Hinc qvando ad venereas cogitationes stimulatur qvis, resiliunt ex Cerebri regione & effluunt copiâ majori subtilissimi Spiritûs, stimulantes per nervos in istam regionem delatos & concurrentes non tantùm cum iis, ibi vagantibus, sed & arteriosum sangvinem concitantibus, unde etiam arteria per Corpus penis nervosum & substantiam istius spongiosam percurrens, qvæ nerveis fibrillis scatet, necessariò penis incrassescit, & qvando Spiritûs irruunt in vesiculas seminales atqve ibi fermentationem proritant contractis musculis, & nervosi corporis spongiosâ substantiâ, ejaculatur Semen seu sperma, imprægnatum multitudine Spirituum animalium, &c. Repeti hoc loco etiam potest, qvod supra Capite primo de Seminis spirituositate allegavimus. Solius tamen Spiritus animalis beneficio Penem erigi non sine periculo asseritur; neqve enim cujusvis obtemperat arbitrio, sed irritamento indiget, effusoqve Semine ac evanescente Spiritu, velut officiô suo defunctus vela contrahit ac flaccescit. Communi igitur studio utraqve & vitalis & animalis facultas in hoc opus conspirare videntur, ut nec animalis, refragante vitali, nec hæc sine animali officio suo promptam ac idoneam reddere hanc partem qveat, juxta Philipp. Jacob. Vinther. Disp. inaugur. περὶ τῶν ἀπεταλῶν μορίων, cap. 2. p. 7.

§. 8.

An ab abundantia Seminis

Deniqve dantur etiam, qvi erectionem penis ab abundantiâ Seminis dependere putant, v. g. Felix Platerus *Obs. Lib. I. pag. m.* 258. sentit: Naturaliter accidere minimè posse, ut viris membrum virile attollatur, sine præcedente Veneris

mulô, qvi, cum à Semine, in Vasis genitalibus pruriente, eaque ad excretionem incitante, excitetur, illos qvoqve si congrediantur, Semen emittere. Qvam tamen sententiam G. W. Wedelius exemplô textoris, qvi nullâ subseqvâ Seminis emissione Uxorem in Concubitu sæpe cum delassatione maximè urgebat, *Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 11. pag. m. 638.* refutat. Plura exempla eorum, qvi sine Seminis effusione Coitum exercuerunt, supra cap. 1. reperies. Et incertus qvidam apud Rosinum Lentilium *Jatromnemat. Part. 2. cap. 34. pag. m. 613.* ita scribit: Qvæ Semen augent, si largiùs comedamus, rigidum utplurimum hominem faciunt, manifestô argumentô, isthanc erectionem ab abundantiâ Seminis esse immediatè. Cui tamen Lentilius, *pag. 615.* ita respondet: Erectionem penis esse ex abundantiâ Seminis immediatè, ante se nemo dixit. At nunqvam vidisti, penicillum erigi pusionibus vix dum natis? An minùs freqvens aut minus durabilis est pueris ante pubertatem erectio mentulæ, qvàm ubi ex ephebis excesserunt? Ubi tunc Semen? Ubi abundantia Seminis? Vidi Salacissimos, in libidines vagas pronissimos, in qvævis prostibula impetu vesanô ruentes, qvi tantum abest, ut Semine abundent, ut ejus, ob tot profusiones, potiùs inopiâ laborent, immò, qvò plus coëunt, eò minus fœcundè coëunt, nihilominus Priapismô, ut ita loqvar, nonnaturali Satyrorum more affecti semper perticâ tensâ undiqve discurrentes, &c.

§. 9.

Penis Erectio in Cadaveribus unde?

In Cadaveribus Penis erectionem arte seu per flatûs aliasqve liqvoris in Corpora nervosa immissionem demonstrari posse, modò ex Philipp. Verheyn, *Anat. p.* 180. adduximus, de qvô modô etiam vid. Regnerus de Graaf *de Organ. Viror. p. m.* 114. *seq.* In Cadaveribus, inqviens, aqvâ beneficio Syrin-

ringæ in Corpora nervosa per arterias propulsâ, Penem ita extendi videmus, ut in vivis vix magis possit.

§. 10.

Deinde etiam in qvibusdam defunctis post mortem penis erectionem per tempus durâsse, Philippus Salmuth. *Cent. 3. Obs. 29. pag. m.* 124. seqventi Historia probat: Præfectus venationum senex juvenculam in matrimonium ducit. Huic, ne aliis se substernendi fenestram aperiret, sed debitum solvere atqve strenuum Veneris militem se præbere valeret, multis & variis usus est aphrodisiis. Verùm alterâ statim nuptiarum die, cùm vestes induisset & aliqvot saltem passus incessisset, concidit in terram, ac moritur, Pene continuò erectô permanente. Et *Obs.* 41. *p.* 31. Idem Autor recenset, talem Priapi erectionem etiam in adulterô qvodam Witteb erga decollatô & Anatomiæ subjectô, non absqve risu & admiratione Studiosorum deprehensam fuisse. In suspensis aliqvando membrum virile erigi ac tendi annotatum esse, scribit Paulus Zacchias, *Quæst. med. legal. Lib. 4. Tit. 1. Qu. 10. n. 31. f. 365. & Lib. 5. Tit. 2. Qu. 10. & 11. §. 5. fol. m.* 435. Non simplici vice in demortuis erectionem Penis adhuc integram se vidisse refert Ambrosius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs. 105. p. m.* 221. Qvendam jugulatum biduô ab excessu è vita intentum rigidumqve exhibuisse penem, legimus apud Joh. Fernelium *Patholog. Lib. 6. cap. 13. p. m.* 183. Sic qvidam, ut amicæ placeret, integram Cantharidem, abjectis saltim alis durioribus, cum Diasatyrii parte adsumsit, tantô inde impetu, ut cum sangvine Priapismus superveniret, etiam post æstuosissimam (cùm impediri nullis remediis posset,) mortem aliqvandiu adhuc durans, uti ex viri fide dignissimi ore recenset Daniel Ludovici *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 34. p. 98.* Qvâ occasione ipse Ludovici addit, se qvoqve duos, & senes qvidem

Penis rigidus in mortuis.

dem plus qvàm sexagenarios, observâsse, qvi ita obriguerint; civem unum, alterum rusticum, statu hoc per diem ferè perseverante. Plura exempla vid. apud Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. mort. Lib. I. Tit. II. §. 9. pag. 291.* Milites, in præliis ab hostibus occisos, membra monstrare rigida, res non modò Medicis campestribus, sed etiam ipsis personis militaribus satis nota est; qvod etiam tàm de Turcis & Gallis, qvàm de Germanis & Svecis confirmat Daniel Ludovici *l. a. item Obs.* 158. *p. 350. seq.* Phil. Salmuth. *Cent. 3. Obs. 40. pag.* 130. Alexand. Bened. *de Re med. Lib. 24. cap.* 19. *fol. m. 450.* & Christianus Fridericus Garmann. *l. a.* qvi *p. 291.* in Causas hujus miraculi, pro more, curiosè inqvirit. Et juxta Frid. Ruysch. *Thes. IV. Anat.* 10. qvoniam Penis erigitur flatu, qvi per tubulum inter Cutem & Membranam cellulosam, qvæ Dartos vulgò audit, introductum inflat Scrotum, ejusdem membri virilis erectio, qvæ in Cadaveribus tempore æstivô in prælio interfectorum ac super dorso decumbentium sæpius annotatur, humoribus in tunicâ illâ cellulosâ fermentescentibus adscribitur. Item Ambrosius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs.* 105. *pag. 221. seq.* non modò exemplum Infantis stante Pene in lucem editi, sed etiam hujus phænomeni atqve Penis post mortem adhuc erecti causam communicat. Faciebat scilicet dictus Medicus illustri puerulo nondum duos menses nato medicinam, cujus uterqve testiculus ad magnitudinem nucis juglandis excorticatæ intumuerat, qvoties hinc ejus Scrotum Oleo Chamomillæ Romanæ illinebatur, toties & Penis extra ordinem magnus & inflatus mirum in modum erigebatur. Mater, Obstetrix, aliæqve adstantes sanctè asserebant, rigiditatem ejusmodi in puerulô recens natô & primô lavacrô ablutô, jam annotatum fuisse. Talemqve membri extraordinariam erectionem non immeritò flatibus dictus Autor adscribit.

§. II.

§. 11.

Ad auctam, vitiosam & involuntariam Penis erectionem pertinent exempla illorum, qvi variis de causis Satyriasi & Priapismo laborant, qvorum illis, juxta Jodoc. Lomm. *Observ. medic. Lib. 2. pag. m. 256.* Penis continenter erigitur cum lascivâ qvadam palpitatione, multâqve opinione libidinis: his verò arrectum assiduè pudendum sine Veneris desideriô, præter naturam increscit, qvodam qvasi Tetanô distentum. Vel secundum Chr. Fr. Garmann. *de Miracul. Mort. l. a. pag. 290.* Satyriasis maximam rei Venereæ appetentiam habet comitem, peractô coitu onobelos Vepenem repræsentat; In Priapismô autem citra rei venereæ appetentiam erigitur muto minusve langvet fascinum. Spasmodicus hic est motus, non cum titillatione, sed dolore molestô, qvi unà cum Tetano ne à coitu qvidem cessat. Plura de Priapismo & Satyriasi vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr.* 1. *cap.* 12. *pag. m. 271. seqq.* Leonell. Faventin. *Pract. medicin. Part. 2. cap. 75. p. m. 594. seqq.* Joh. Costen *Theor. & Prax. Tab. 78. p. m. 300. seq.* De Satyris varia reperies apud Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib.* 1. *cap.* 13. *p. m.* 140. *seqq.* *Satyriasis & Priapismus.*

§. 12.

Admirandæ Satyriasis in Sene qvodam Cive Qvedlinburgensi Conjugem juvenculam vegetam singulo nycthemerô decem ad minimum, sæpe duodecim, qvindecim, imò aliqvando viginti coitibus exercente, annotavit Jacobus Schmid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 21. p. 280.* Demetrius Attalæus Priapismum in qvodam vidit sene, atqve in seipsum manu operante (seu manustuprante) in qvô veretri tensio, cum parvo dolore tanta fuit, ut cornu putaretur; & ita perseveravit multis mensibus, nulli qvoqve adjutorio medicinali cessit, sed tardô *Exempla.*

atqve

atqve longô tempore reqvievit. vid. Cæl. Aurelian. *de morb. acut. Lib. 3. cap. 18. pag. m. 249. seq.* Alia exempla miræ Penis erectionis refert Philippus Salmuth, *Cent.* 3. *Obs.* 21. *p. m.* 121. Duos, inqviens, vidi comburi, unum in illustri Scholâ Portensi, alterum Patavii, qvorum utriqve membrum genitale distentebatur & rigebat. Memini qvoqve Musicum qvendam, nescio, qvod ob delictum, à lictoribus qvæsitum, in anteriorem domûs partem, sui occultandi causâ, se proripuisse, atqve in servam fortuitò obviam habentem irruisse, eamqve sui ut corporis potestatem sibi faceret, sollicitâsse, at reluctantem humi prostrâsse, ac vi comprimere conatum fuisse, nisi ipsa sese subduxisset. Qvin & alium novit dictus Autor, virgis cædendum, qvi distentò Pene Semen cum voluptate emisit. Sic Senex qvidam Veretrum cornu instar tensum nihil proficientibus medicamentis per aliqvot menses sustinuit, uti ex Demetrio Apameo recenset Cælius Aurelianus *de Morb. acut. Lib. 5. cap. 9. pag. m. 581.* De fonte qvodam Sinûs Arabici refert Apollonius Discolus, qvòd si aqvâ illius qvis pedes inunxerit, illius genitalia tam rigida evasisse, ut vel omninò nunqvam, vel non nisi post magnos cruciatûs & adhibitam curam medicam tensio illa remiserit. v. G. Wolffg. Wedel. *Disp. de Ven. Med. & morb.* Priapismum seu Penis non voluntariam erectionem ab aqvæ spadanæ potu observavit Henricus ab Heer, *Spadacren. cap. 15. pag. m. 148.* A Monilibus Pappenheinianis, qvi recipiunt Cantharides, oriri convulsionem Penis, aliàs Priapismum, seu erectionem violentam & dolorificam, qvâ membrum subsidere neqvit, vid. Paul. Ammann. *Irenic. pag. m. 134.* Sic Priapismi, ab integrâ Cantharide, abjectis saltim alis durioribus, cum Diasatyrii parte assumta, lethalis, ex Dan. Ludovici Observatione *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 34. p. 98.* modò mentionem fecimus, An. 1539. captâ

captâ Florentiâ Milites Hispani insolentes malè tractabant villicos, ex qvo apud Ducem hi conqvesti sunt. Dux misit Scribam suum, cui militum Præfecti exhibuerunt cantharidas, hinc incidit in Priapismum, & cum rediisset in civitatem, in concione ostendit mentulam, timens, se venenatum esse. Sumebant autem qvartam partem Cantharidis, contundebant, addendo piper, cinamomum & gariophyllos efformabant pillulam & exhibebant, &c. uti ex Gabriele Fallopio refert Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib 5. Tr.* 1. *cap. 6. pag. m.* 265. Juveni probo & cælibi summèqve hypochondriaco crebrò flatûs in corpora penis fistulosa irruisse eaqve inflando tentiginem & Priapismum excitâsse ex propriâ observatione communicat Joh. Ferdinandus Hertod à Todenfeld, *Tartaro-Mast. Morav. Part. 2. cap. 1. pag. m. 157.* Monachus qvidam salax incidit in Satyriasin, cùm imaginationibus venereis valde indulgeret, adeòqve Tentigine, non sine dolore in Venerem stimulabatur, ut furore qvodam agitari videretur. Hanc Tentiginem illatam, ut reprimeret, mentulam in ollam aqvâ frigidâ plenam immersit, sed ex vehementi motu cùm Veretrum moveretur, ollam in frontem impegit. vid. Petr. Förest. *Obs. med. Lib.26. Obs. 10.* Heraclium Imperatorem novô cladis genere peremptum, testium nempe folliculo sursum verso, simul cum virili membro & semper tensô, adeò, ut qvoties mejeret, nisi tabula umbilico admota prohibente, vultum lotiô sparsisset, tradit Pomponius Lœtus *in Comp. Hist. Rom.* qvod morbi genus Priapismum fuisse, præsertim, cùm id illi ob illicitas nuptias accidisse existimatum sit, suspicatur Marcellus Donatus *de Med. Histor. mirab. Lib. 6. cap. 4. p. m. 637.* ad Veneficium verò refert Chr. Fr. Garmannus, *l. a. Lib. I. Tit. 11. & 37. p. m. 305.* Simile huic ferè exemplum annotavit etiam Zacutus Lusitanus *de Prax. med.*

admir. *Lib.* 3. *Obs.* 118. *fol. m.* 128. scilicet, cùm audacissimus Belga post occasum Solis, vigente Brumâ, dimidiæ horæ spatiô, in flumine versaretur, post exitum ab aqvâ ita illi contortus & tensus erat Penis, convulsionis modô, ut qvoties mejeret, vultum lotiô sparsisset, nisi manus umbilico prohibentes urinam admoveret: Idem Autor etiam *l. a. Lib.* 2. *Obs.* 94. *fol.* 69. refert, Pro-Regem qvendam Indiæ Orientalis diu Priapismô adeò laborasse, ut pudendum vel centies in die arrigeretur cum tensione summâ, &c. Fuit etiam Galeno amicus qvidam, cui præter eam, qvam anteà habuerat consvetudinem, omninò abstinenti, adeò rigidus tumidusqve factus est Penis, ut ipsi accidens hoc declarare cogeretur. v. Galen. *de Loc. affect. Lib.* 6. *cap.* 6. *fol. m.* 41. *b.*

§. 13.

Penis magnitudo.

Qvamvis autem Penis in erectione secundum omnes dimensiones, longitudinem scilicet & crassitiem, incrementum sumat, nihilominus tamen Instrumentum hoc virile ad Coitum maximè necessarium secundum utrumqve, ratione Individuorum, differt, neqve certa ejusdem mensura dari potest: sufficit tamen illa, Magnitudo, ubi crassities & longitudo ad actum venereum est conveniens. Interim Penem in ætate provectis ut plurimùm magnitudinem unius spithamæ habere dicit Regnerus de Graaf *de Organ. Viror. Oper. p. m.* 97. Item erectum Penem ad umbilicum protrahi scribit Camillus Baldus, cui consentit Spigelius, Penis erectionem, inqviens, in homine ætatis adultæ sex Uncias obtinere in longitudine, qvatuor in ambitu. Tribuerat autem Spigelius paulò antè totidem Uncias, ex suâ hypothesi, spatio ab umbilico ad Ossa pubis. Hanc proportionem, qvi superant, mentulati dicuntur, Græcis Onobeli, qvasi asini telam vibrantes, qvòd hinc animali

præ

præ reliqvis ingens Priapus. vid. Joh. Sig. Elsholt. *Anthropometr. cap. 24. p. m. 249.*

§. 14.

Ejusmodi magnitudo Penis extraordinaria dependet vel à natura, vel â morbo, vel ab aliis causis, v. g. ab exercitio venereo crebriori. Inqvit enim Gabr. Fallopius *Tract. de Decoration. cap. 9. Oper. Tom. II. fol. m.* 339. Causa magnitudinis Pudendi est freqvens ejus distensio, unde incumbentes Veneri & continuò tensum habentes Priapum longum habent & magnum. Cui consentit Albertus Kyperus *Anthropolog. cap. 9. pag. m. 142.* Ajunt, inqviens, in eis, qvi à Venere abstinent, Penem esse majorem, qvàm in iis, qvi eam exercent. Sed illud experientiæ repugnat & non credibile est. Nam cum in Coitu singulæ partes distendantur & rarescant, Peni idem accidere arbitror. Item Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. pag. m. 98.* inqvit: Qvantum freqvens Coitus ad Penis augmentum faciat, qvotidie advertunt illi, qvi in Veneris prælia vel freqventiùs, vel alacriùs descendunt. Et Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 1. cap. 8. pag. m. 268.* ubi de vastâ Penis mole diminuenda agit, ita scribit: Sagax ille Priapus à ratione Apostata amœnos deliciarum hortulos pervagans: molles erucarum sylvulas perambulans: circa genitales libidinis flosculos oberrans, mellitas Veneris undas assiduè potizans; illecebrosas luxuriæ scaturigines jugiter delibans, prurienti Genio semper blandiens ferme hydropicus evadit & ad tantam molem excrescit, ut per angustos Nympharum canales pernatare neqveat, Dryadum & Napearum fores penetrare non valeat, qvatenus Generationis molitur opus, semenqve fundat prolificum. Item Mentulam longiorem fieri iis, qvi Caligis non utuntur, ut Monachis, scribit Johannes Posthius, *Observat. in Reald. Columb. Anatom. pag. m. 508.* Id qvod

Extraordinaria.

tamen, si veritati est consentaneum, an abdominis & partium genitalium nuditati & Veneris abstinentiæ, an verò potius crebriori ejusdem exercitio in Monachis adscribendum sit, adhuc dubium manet.

§. 15.

An ab Umbilico.

Alii Mentulæ longitudinem & brevitatem à longiori vel an ab Umbilico? breviori Vasorum umbilicalium infantis recens nati resectione dependere statuunt, si scilicet Obstetrices umbilicum non procul ab abdomine ligent atqve solvant, seu abscindant, tunc istius pueri Penem per totam vitam manere breviorem, à longiore autem umbilici resectione hastam qvoqvè tempore longiorem evadere credunt. Qvam sententiam non modò pleræqve Obstetrices fovent, sed etiam nonnulli Medici, e g. Daniel Beckherus, *Microcosm. med. cap. 8. p. 27.* ubi justam & legitimam Umbilici præsectionem multum ad Vitæ commoditatem agere scribit, qvia Penis & Uterus Umbilici proportionem seqvatur, &c. Et Johanni Helffrico Juncken *Medic. præsent. Secul. accommod. p. m. 765.* non minima videtur Cautelâ, qvâ caveamus, ne Umbilici ligatura illegitimô instituatur modô, cùm pro longitudine suâ vel brevitate, qvam ex ligaturâ acqvirit, variet partes genitales infantis. Pueri namqve, qvibus vel brevior, vel longior relinqvitur Umbilici particula, vel brevior vel longior inde fiat virga, &c. Item Gabriel Fallopius, *Tr. de Decoration cap. 9. Oper. Tom. II. fol. m. 338. seq.* monet Parentes, ut studeant in ætate infantili, ut magnificetur membrum puerorum: Magnum etenim, inqvit, inutile nunqvam erit, & si fuerit inutile, hoc rarissime accidet, &c. Cùm autem post aliqvot dies Umbilicus decidat, nullamqve præterea cum partibus genitalibus habeat communicationem, tales Obstetricum fabulæ ab aliis non immeritò deridentur.

§. 16.

§. 16.

Dari autem nimis magnos atqve monstrosos Penes, & qvidem tam in statu naturali, qvàm morbosô, testantur Medicorum & aliorum Observationes; siqvidem Anno 1251. Badoni natus est infans barbatus, cujus Capilli, Caput, Pectus & Pudenda erant tanta, ut tringinta natum esse annos credidisses. v. Joh. Wolff. *memorabil. Cent. 13. Tom. I. fol. m. 434.* Similis exempli de infante recens natô mentionem facit Gallus qvidam Medicus, nomine Gerberon, in Epistolâ qvâdam his virbis: Les parties naturelles de cet Enfant estoient de la longueur & grosseur de celles d'un homme de trente ans, & le poil, qui couvroit ces parties, estoit si epais & si long, qve la chose est comme incroyable. vid. *Memoires concern. les arts 1672. pag. m. 27.* In Puerô Impetigine leprosâ laborante, Penis in monstrosam magnitudinem excreverat, longitudine membrum virili ætati aliàs conveniens exsuperans, cum præputiô & glande insigniter auctô, secundum Observationem Joh. Andreæ Fischeri, *Consil. medic. iterum continuat. Cons. 8. p. m. 66. seq.* De immensô Priapi membrô virili, cujus jam suprà de Penis denominatione mentionem fecimus, videri qvoqve potest Nathan. Comit. *Mytholog. Lib. 5. cap. 20. pag. m. 520.* Vir qvidam generosus tam immensam Penis longitudinem habuit, ut uxori non solùm in Coitu, sed etiam post congressum maximos afferret dolores, à qvibus postea scutum qvoddam longitudinem qvasi Penis diminuens, eandem liberavit, coitumqve tam jucundum effecit, ut nunqvam de eô in posterum conqvereretur, uti ex Gvil. Fabricio Hild. allegat Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. p. m. 97. seq.* Mendici cujusdam Scrotum cum Pene in unum Corpus informe qvasi coaluerat tam vastum, ut tres spithamas æqvaret longitudine, unam crassitie, cujus ad latus foramen patebat, per

Exempla.

qvod lotium emittebat, qvod redditurus hoc peculium informe ex gremio suo prodire jubebat, ne se commingeret; Majorem tamen Colem nec in Nasutis, nec Æthiopibus, nec Asinis se vidisse unqvam meminit Thomas Bartholinus, *Epistol. medic. Cent.* 3. *Epist.* 10. *p. m.* 50. Viri cujusdam inferioris conditionis Mühlhausiæ Variscorum incolæ, Membrum, qvô Viris annumeratur, tanta erat vastitate, ut eqvino magnitudine parum cederet, qvare etiam uxor ejus, cupiditate prolis inflammata, divortium per viam juris ob impeditam venerem urgebat serio. vid. Albin. *Disp. de Sterilitat.* 1683. *Francof. habit.* §. 6, *p.* 13. Genevæ Virum degisse tanti Mutonis, ut vel Priapum longe superaverit, & pavori fuerit mulierum fortissimis, refert Joh. Conr. Peyerus *Exercit. anat.* 31. *pag. m.* 166. De milite, tam longum & lacertosum Veretrum habente, ut ipsum Priapum in ruborem daret. vid. Georg. Hannæus *M. N. C. Dec. II. An.* 8. *Obs.* 114. *Schol. p.* 252. Mentulam monstrosam in juvene rusticô viginti sex annorum, ob summam libidinem famosô, vidit Parens Christiani Fr. Paullini. Scrotum ipsi erat nullum, Testes intus latebant: Mentula duas robusti viri spithamas longa & tota villosa & circa præputium circulô qvodam membranosô latiori munita, è qvô pro lubitu prominebat pater multarum gentium, uti neqvam ille partem hanc vocare solebat. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 51. Item Johannes Bened. Sinibaldus novit qvendam, qvi usqve adeò immensum â naturâ penem obtinuerat, ut vel in vulgi jocum dicteriumqve apud concives finitimosqve ille iret. Consveverat, ut erat ceteroqvin facetus, in conventu amicorum, arreptâ occasione, ostentare sesqvipedale Veretrum, non sine omnium cachinnô & admiratione. v. J. Ben. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 3. *Tr.* 1. *c.* 15. *p. m.* 281. ubi etiam plura exempla reperies. Virile membrum duobus magnitudine æqvans omnesqve

qve complens dimensiones habuisse dicitur Clodius, Pompejam Cæsaris uxorem in Templô Bonæ Deæ constuprans. vid. Paul. Zacch. *Quæst. med. leg. Lib. IX. Tit. 3. Qu. 3. fol. 769.* De Milite, cui Penis ad genua propendebat, tantæ longitudinis, & rotundæ latitudinis, ut major existeret, qvàm Veretrum eqvi turgidum, cum subjacentibus duobus testiculis, Scroto inclusis, duplicis pugni magnitudinem æqvantibus, vid. Joh. Frid. Blaun, *Academ. Nat. Curios. Ephemerid. Cent. I. & II. Obs. 166. p. 337. seq.* Viro cuidam qvinqvagenario membrum virile in tantam molem excreverat, ut magnitudinem Capitis infantuli, recens nati, ferè adæqvaret, teste Gvilelmô Fabriciô Hild. *Cent. 2. Obs. 36. pag. m. 194.* De hydrope Penis in religiosô qvodam, cui nimirum universum membrum genitale binis vicibus, instar vesicæ aqvâ repletæ intumuerat, solâ verò præputii cum lancettâ factâ apertione, exstillante guttatim per vulnusculum aqvâ, ipse convaluit, vid. Marc. Gerbez. *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 11. p. 14.* Subitaneam membri virilis tumorem tympaniticum, pellucidum, indolentem in milite observavit Melchior Tribe, *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 99. p. 161.* Penem instar brachii tumentem & in glande præputiô instar vacui Intestini inflatô coronatum in milite qvodam conspexit Gothofredus Mœbius, *v. ejusd. Physiol. cap. 19. pag. m. 514.* In Religiosô qvodam universum membrum genitale instar vesicæ aqvâ repletæ intumuerat. vid. Marc. Gerbez. *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 11. pag. 14. &c.* ut de Hydropicorum & aliorum Pene nimis inflatô taceamus.

§. 17.

Econtrà reperiuntur etiam Penes justô minores, & qvidem vel â nativitate, vel â morbô, & mutilatione, vel â retractione. Penem adeò brevem, ut præter glandem cum præ- *Penes parvi.*

putiô

putiô nihil præterea è corpore promineret, se vidisse, dicit Platerus *Obs. med. Lib. I. p. m. 249.* ubi etiam Penis adeò exilis, ut minimi digiti crassitiem non adæqvaret, mentionem facit. Johannes Schenckius *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 524.* cujusdam meminit, cui Penis rigidus infra tres digitos fuit. Item alius, cui ex Cancrô incisus Penis erat brevissimus. Ante aliqvot annos in Pago prope Dresdam, Viro cuidam in furtô deprehenso, nomine Georgio Göbeln, post plurima à rusticis perpessa verbera, tandem à superveniente Obstetrice octogenariâ Penis ultra dimidiam partem, & ferè ad duas tertias usqve, cultrô parvô abscindebatur. Civi cuidam Ulmensi Penem Sphacelô corruptum in confiniô vivi Scalpellô abscidit Johannes Scultetus. *vid. ejusdem Armament. Chirurg. Part. 2. Obs. 65. pag. m. 92.* De Maniacô, filô sibi penem taliter constringente, ut Gangræna exinde orta in Sphacelum abierit, indeqve dimidia pars penis abscindenda fuerit, vivente dehinc eô taliter mutilô, vid. Eman. Kœnig, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 76. Schol. pag. 161.* In Juvene, Mercatore Haffniensi, Gangrænâ correpti Penis pars post partem sponte suâ decidit, donec ad sanam Colis partem perventum, qvæ vix unius digiti articuli longitudine superfuit, teste Thomâ Bartholinô *Cent. 3. Hist. 27. p. m. 62. seq.* Viro cuidam ob tumorem glandis cancrosum Penis latum ungvem à glande & retractô præputiô, ab infimâ parte continuatâ ad dorsum, sectione à Chirurgo præcidebatur, de qva Observatione peculiare Scriptum edidit Johannes Jacobus Dœbelius. v. etiam Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. Med. Sect. 3. cap. 8. pag. 372. seqq.* Porrò Viri cujusdam Penem introrsum adeò reductum, ut nihil in corrugatô præputiô supra Scrotum, præter summum glandis apicem promineret, observâsse Harveum, refert Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. p. m. 102.*

Observatio.

§. 18.

§. 18.

A veneficiô qvandoqve Membrum virile, modò in tantum, modò in totum, in abdomen retrahi vel auferri, probant exempla; qvale Johannes Paulus Wurffbainius, *M. N. C. Dec. III. An. I. Obs.* 166. *p.* 308. *seq.* recenset: Scilicet Juvenis novendecim incirca annorum retulit, optimum sibi à naturâ concreditum Thesaurum, qvô se virum esse sciret, non feminam, notanter satis decrescere ac imminui, cum insigni artuum torpore, cordis anxietate, animi mœrore & totius lassitudine; neqve negavit erga Medicum, puellam qvandam amorem ejus variis sollicitâsse modis, sed surdo semper narrâsse fabulam, se enim consortium ejus cane pejus ac angve fugiendo evitâsse: vidisse autem brevi post per somnium, ac si qvis manu stragulum removere & genitalia ejus palpare tentaret; qvod summô conatu prohibere ausus evigilavit, sensitqve se seqventi statim mane eviratum, penem alias bene proportionatum, nimium qvantum abbreviatum & interiora versus retractum, ut vix duorum digitorum latitudinem pendulus adæqvaret. Huic Juveni svasit Wurffbainius, ut puellam hanc sibi suspectam sine ullâ morâ adiret & ad restitutionem ablati minis adigeret: annuit, felici successu; subseqventi enim diluculô de lectulô surgens miser hic per qvatuordecim dies jam eviratus, virum se denuò factum membrumqve hactenus abbreviatum jam elongatum rursus & ex abdominis latibulis protractum lætus cognovit. Aliud exemplum membri virilis arte præstigiatoriâ ablati recenset Jacobus Sprengerus *Mallei Malefic. Part.* 2. *Qv.* 1. *cap.* 7. *pag. m.* 266. *seq.* In Oppido, inqviens, Ravenspurg Juvenis qvidam juvenculæ adhæsit, qvam relinqvere volens membrum virile perdidit, præstigiosâ utiqve arte, ut nihil videre aut tangere præter planum corpus posset. Anxius inde cellare qvoddam adiit, ut vinum

Penis retractio & ablatio, à Veneficio,

emeret, & paululum residens mulieri cuidam alteri superve- nienti causam tristitiæ suæ aperiendo singula enarravit & ita esse corpore demonstravit. Astuta illa, anne aliqvam suspe- ctam haberet, inqvisivit; Et ille, utiqve, talem ipsam deno- minando & rem gestam narrando manifestavit. Et illa, ex- pedit, ut per violentiam aliqvam, ubi benevolentia tibi non suffragatur, pro acqvirendâ sanitate ipsam inducas. At Ju- venis in crepusculô noctis viam, qvam transire malefica so- lebat, observavit, & ipsam reperiens, dum pro sanitate Cor- poris sibi reddenda supplicaret, & illa se innoxiam nec qvic- qvam scire assereret, ipsam invadendo manutergium qvoddam ad Collum fortiter comprimendo strinxit, dixit: Nisi mihi sa- nitatem restitues, è manibus meis peribis. Unde illa, qvia clamare non poterat, & jam facies tumefacta ingrescebat, sine, inqvit, me liberam & te sanabo. Et Juvenis, dum nodum & stricturam laxâsset, Malefica manu ipsum inter femora seu Caxas tetigit, dicens: jam habes, qvod desideras. Et Juve- nis, ut postmodum referebat, notabiliter persenserat, ante- qvam visu aut tactu seipsum certificâsset, membrum sibi ex tactu duntaxat, Maleficæ fuisse restitutum, &c. ubi alia adhuc exempla reperies. Eandem observationem ex Baptistâ Codran- chio recenset Daniel Sennertus, *Lib. 6. Part. 9. cap. 3. p. m. 396.* Seqventem Historiam refert Johannes Christianus From- mannus, *de Incantat. Lib. 3. Part. 6. cap. 18. p. m. 861.* Præ- fecti cujusdam in districtu Coburgensi dormientis cubiculum Saga qvædam noctu, foribus admotô ungvine citrinô sponte apertis, ingreditur, & ungventô rubicundi coloris genitalia ejus inungit: Post inunctionem Virilitas sive Penis carni cru- dæ similis, digiti longitudine è Cute, velut vaginâ in manum Sagæ involat, qvem domi Scatulâ inclusum tandem, Dæmo- nis jussu in nomine ejusdem in lacum projecit. Præfectus eô

lentô

lentô morbô confectus tandem ad alteram vitam est profectus. Apud Hafnienses decurtatum fuisse cuidam Sponso à Sagis virile membrum, ut prorsus carere eô videretur, scribit Thomas Bartholinus *Cent. 3. Histor. 71. pag. m. 142.* Concubuit cum milite rustica qvædam mulier, & post actum turpem oppidò totum isti amasio surripuit Priapum, qvem non sine magnò Cordis & abdominis dolore amissum ille deceptus impositis Umbilico cineribus calidis intra spatium qvatuordecim horarum recuperavit miles de pectore gaudens, juxta *Jac. Aug. Hünerwolffii relationem vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 95. pag. 210.* Uxorem admodum adolescentem duxerat Vir senex, alteriusqve, qvâ cum ante nuptias stupri consvetudinem habuerat, etiamnum uxorem attrectabat: dolens igitur illa, mœcham sibi induci, vicinæ mulieri ægritudinem suam aperit, consiliumqve, si qvod habeat, super eâ re dari sibi postulat. Jubet vicina eam bonô esse animô, habere enim se in promptu, qvod ei malo adhibeat remedium, herbulamqve ex horto lectam illi porrigit, ex qva si jus marito condiat, illicò missum facturus sit peregrinum illum amorem. Ex hôc jusculô Maritum primum Capitis gravedo, deinde somnus auctior complectitur, qvô postridie tandem solutus ademptam sibi virilitatem omnem reperit. Atqve ita videbat Uxor, qvòd, dum partem alteri invidet, totô ipsa excidisset. vid. Nic. Remig. *Dæmonolatr. Lib. 2. cap. 5. p. m. 234.* In ejusmodi casu, ubi Penis aut Testes Carmine adimi creduntur, sensus tantummodò à Dæmone obtundi & oculorum aciem obstringi, tales partes Satanæ potentiâ & arte ad suam originem convelli, censet Johannes Wierus, *Oper. Lib. 4. de Malefic. c. 20. p. m.* 326. Cui tamen contradicit Paulus Ammannus *Medic. Critic. Disc. 40. p. m. 270.* Plura exempla & alia de ejusmodi ligaminibus vid. Christ. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. I. Tit.* II.

§. 40. *pag. m.* 305. *seq.* Francisc. Torreblanc. *de Mag. Lib.* 2. *cap.* 42. *p. m.* 305. *seqq.* Rosin. Lentil. *Miscell. med. pract. Part. I. pag. m.* 13. Joh. Schenck. *Observ. medic. Lib.* 4. *f. m.* 534.

§. 19.

Penis defectus à retractione. Sæpè etiam absqve Wieri Satanicâ, sed à naturali convulsione, interdum Penem in abdomen retrahi posse, testantur Observationes, ut enim herniosorum illorum, qvorum nimis expansum Scrotum qvandoqve totum penem qvasi absorbet & abscondit, de qvibus suprà egimus, nil dicamus, Observationem Pauli de Sorbait de subitâ membri virilis retractione referre libet: Viennæ scilicet in plateà Dominorum habitans derepente privabatur membro virili, ita, ut nihil penitus appareret, præter ultimum præputii labrum, veneficium ratus, dictum Sorbait in consilium vocavit, & facto ex Carminativis fomento, membrum pristino statui restitutum fuit, erant enim duntaxat flatûs intra triplicem membranarum Vesicæ complexum inclusi & distensi, qvi membrum ad oculórum effugium retrahebant. vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obs.* 50. *p.* 89. Sic Civi cuidam Gedanensi post diuturnam Dysuriam Mentula tota derepentè ad interiora, sine tamen dolore, retrahebatur, ita, ut nec qvicqvam de Pene appareret, ne vestigium qvidem; sed in locô consvetô non nisi fovea demonstraretur, ex qvâ continuò Urina stillabat, teste Johanne Schmidiô *M. N. C. Dec. I. An.* 4. & 5. *Obs.* 155. *p.* 197. *seq.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part.* 1. *fol. m.* 819. Rustici filium, qvadraginta hebdomatas natum, Pene carentem, vidit Fridericus Lachmund *M. N. C. Dec. I. An.* 6. & 7. *Obs.* 179. *p.* 239. *seq.* Huic tamen puello per ignem seu calorem atqve titillationem Penem emergere solitum fuisse, testabatur ipsius Pater, inqviens: Wenn man ihn vor dat Für helt und streppelt, so kan he wohl hervor krupen. Studiosus qvidam viginti

ginti aliqvot annorum, hîc Dresdæ ante aliqvot annos sæpius Penis retractionem incurrebat, ita, ut hoc membrum qvandoqve ad glandem ûsqve, qvandoqve etiam totum in abdomen retraheretur; utplurimum tamen hoc tempore de Spasmô in abdomine & Colicâ flatulentâ conqverebatur, atqve post interna nervina & carminativa, externaqve Ungventa & Epithemata, ad tempus liberabatur. Auriga qvidam senex tantam Penis in imum Ventrem retractionem passus est, ut nec hilum, qvod ullô sensu percipi posset, extaret. Inter Pubem & Scrotum rimula visendam se præbebat, vulvulæ labiis destitutæ, aut rictui piscium qvorundam simillima, qvæ minimum digitum aliqvousqve nullô negotiô admittebat, uti observavit Henricus ab Heer, *Obs.* 7. *p.m.* 78. vid. etiam Theoph. Bonet. *Polyalt. Tom. II. Lib.* 4. *fol. m.* 1194.

§. 20.

Interdum etiam qvibusdam maribus Penis omnimodè deest, & qvidem iterum vel à nativitate, vel à morbò, vel ab infortuniô & resectione. De puellô decem jam hebdomadas emensô, cui Penis deficiebat, Vesica autem spongiola extra abdomen posita erat, vid. Christ. Ludov. Gockelius *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 43. *p.* 84. De qvôdam, Annæ nomine, in Latiô errante, qvi Pene planè caruit, ejusqve locó itidem Spangiam fungosam sub umbilicô excernendæ urinæ à naturâ gestavit, vid. Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib.* 1. *cap.* 24. *p. m.* 238. *it. Cent.* 1. *Histor.* 65. *p. m.* 101. Aliud exemplum reperimus etiam in Isac. Cattier. *Obs.* 19. *p. m.* 82. De Infante sine Mentulâ natô, qvi tamen Scrotum atqve Testiculos habuit, vid. Joh. Schenk. *Obs. med. Lib.* 4. *fol. m.* 523. hujusqve filii, Joh. Georg. Schenck. *Histor. de Monstr. p. m.* 43. it. Casp. à Reies, *Camp. Elys. Qvæst.* 48. *p. m.* 591. Cum Basileæ Barbitonsoris cujusdam ædes incendium paterentur, ejusqve

Penis defectus à nativitate.

qve uxor gravida expergefacta præ terrore indusium induere oblita, nuda prorumperet, à famulô nuditatis admonita, illicò manum pudendo præposuit: postmodum puellum membro genitali, non verò testibus carentem enixa est, qvi paucos annos supervixit. vid. Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 4. p. m.* 40. Gallus qvidam sine ano & Pene natus in anteriore parte, ubi Mentula virilis exsurgit, carnem paucam, rotundam, rubram, planam & spongiosam habebat, per qvam continuò Urinam per stillicidium ejiciebat, teste Dominico Panarolô, *Pentecost. II. Obs. 5. p. m.* 35. *seq.* A nativitate etiam Pene omninò carebat puer qvidam, ita, ut nihil, nisi Penis glans, Præputiô denudata, nec perforata, Ventrem versus cum ipsô frenulô inversa supra Scrotum appareret, juxta Cornel. Stalpart van der Wiel *Observ. rar. Cent. 2. Observ. 32. p. m.* 328.

§. 21.

à Gangræna. Penem ferè totum à Gangrænâ & Sphacelô consumi testantur etiam Observationes, tale siqvidem exemplum Penis gangrænosi ob incompescibilem Mali progressum ad abdomen usqve, absqve tamen fructu, resecti commemorat Thomas Bartholinus, *Cent. 6. Hist. 96. pag. m.* 370. Civi cuidam Ulmensi Penem Sphacelo corruptum in confinio vivi scalpello abscidit Johannes Sculketus, *Armament. Chirurg. Part. 2. Obs. 63. p. m. 92.* Totum membrum virile post Gangrænam adeò putrefactum, ut Cataplasmati adhærens exciderit & ablatum fuerit, totamqve Virgam radicitus ad Ventrem usqve ablatam, Delphis in Sartore qvodam, annum agente vigesimum nonum, vidit Petrus Forestus, *Obs. med. Lib. 26. Obs. 6. fol. m. 567.* Viro cuidam Cavsode cum inflammatione Abdominis insigni correpto ante obitum Intestina gangrænosa in Scrotum delabebantur, ut inde Testiculi deciderent, membrumqve virile

virile penitus disspareret; An verò membrum intra abdomen se receperit, an ut putridum natura segregaverit & inter lecti excrementa latuerit, adstantes declarare neqvibant, referente Samuele Ledelio, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 18. p. 49.* Inter Bononiæ prostibula erat qvædam insigni formâ, cum qvâ si qvi rem habuissent, livente pustulô statim glans illorum corripiebatur, qvâ paucis horis pudendum totum ita arrodebatur, ut amputatione tantùm Veretri & ustione ex multis pauci curarentur, vid. Joh. Schenck. *Observ. medicin. Lib. 4. fol. m. 526.* In Nosocomiô Scheveringanô, Viro cuidam septuaginta annos nato, maxima membri genitalis pars Sphacelô obsessa atqve emortua abscindebatur, atqve portio longitudinis, qvæ pollicis non excederet latitudinem, relinqvebatur, ut hac retentâ commodiùs urinam excerneret. Licet autem post abscissionem ad Ventrem usqve Sphacelus jamjam pervasisse animadverteretur, illa tamen siderata pars à sincerâ sese separabat, atqve senex hic aliqvot adhuc annos, qvibus supererat, cornu bovillô inferius perforatô utebatur, per qvod abdomini admotum erepturum Lotium exonerabat. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel, *Cent. 1. Obs. 84. p. m. 357. seq.* Attamen Penis Gangrænam non semper amputationem tum partialem, tum totalem reqvirere, sed interdum etiam manu medico-chirurgica hoc membrum conservari posse, docet Nicolaus Tulpius, *Obs. med. Lib. 4. cap. 33. p. m. 348.* ubi de Cole Gangrænâ obsessô agit; scilicet Chirurgi curaturi Colem Gangrænâ obsessum, imposuêre incisæ Cuti, præter Myrrham, Aloen, Extractum Absynthii ac Spiritum Vini, conveniens Cataplasma, qvô tamen parum aut nihil proficiente, devenêre tandem ad ferramenta candentia, qvæ latè profundèqve bis inusta adeò vitiosam hanc infregére labem, ut Coles, qvem verebantur pessum iturum, brevi ad pristinum Valetudinis statum sit rever-

versus. Aliud exemplum Gangrænæ Penis sanatæ annotavit Ehrenfridus Hagendorn, *Histor. med. Phys. Cent.* 3. *Hist.* 41. *pag.m.* 336. Item, Joh. Scultet. *Armament. Chirurg. Part.* 2. *Obs.* 65. *p. m.* 91. *seq.*

§. 22.

à Cancro. Cancrosi Penis optimum remedium absqve dubio est amputatio, & qvidem pro necessitate, circa ejusdem radicem instituta. Cancri siqvidem lethalis in Pene, ob intermissam ejusdem detruncationem, exemplum annotavit Everhardus Gockelius, *Consil. medic. Decad. Consil.* 52. *pag. m.* 524. *seq.* Econtra Civi cuidam Basileensi & Tubicini annos jam septuaginta præter propter nato, Chirurgus membrum virile cancrosum planè & corruptum circa radicem feliciter detruncavit. vid. Thom. Bartholin. *Epist. med. Cent.* 3. *Epist.* 9. *p. m.* 46. Membrum virile fungosum, cancrosum, ac planè monstrosum excrescens, nec non exulceratum in ipsô abdomine abscidit Gvilelmus Fabricius Hild. v. *Cent.* 3. *Obs.* 87. *p. m.* 494. & 496. Aliud exemplum membri virilis, ob carcinoma, circa pubem feliciter amputati, recenset Joh. Baptista Lanzweerde, *Append. ad Armament. Chirurg. Joh. Scultet. Obs.* 50. *p.* 262. *Observatio.* Et mihi ipsi ante paucos annos ejusmodi exemplum in Cive Budissinô observare licuit, qvippe qvi, ut mihi retulit, à primâ conformatione Phimosi, sine tantâ Præputii, circa extremitatem, coarctatione seu occlusione laborârat, ut urina vix ad Culmi straminei crassitiem exire potuerit. Adultus demum atqve ad matrimonium maturus factus hujus mali curandi gratiâ operationem chirurgicam curavit instituendam, à qvâ tamen denuò in præputio aliqvalis angustia remansit, ita, ut ad Urinæ & Seminis excretionem vix sufficienter glandem detegere posset; Nihilominus tamen, ductâ uxore, in matrimoniô fœcundo qvinqve, nî fallor, liberos genuit. Tandem ex im-

improvisô in Glande, â præputiô continuò obtectâ, primò pruritum, de hinc dolorosam pustulam atqve corrosionem sentiens Chirurgorum variorum, nec non consilio Circumforaneorum, absqve tamen ullo auxilio, usus fuerat, siqvidem malum hoc deniqve in tumorem cancrosum totumqve Penem ad radicem usqve occupantem, degenerârat, ut adeò ad conservandam vitam, præter amputationem totius membri virilis, nullum superesset remedium; Qvam etiam operationem, ad ipsius ægrotantis ipsiusqve uxoris petitum Chirurgus nostras in meâ & aliorum Medicorum præsentiâ feliciter exercebat, ut post aliqvot septimanas cœtera qvidem sanus, Pene tamen penitus privatus (siqvidem ne vestigium qvidem ejusdem, sed ejus locô fovea post Operationem remanebat,) ad patrios Lares redire posset, urinam per certum qvoddam Instrumentum ligneum mittens. Aliud exemplum de Penis cancrosi amputatione ejusqve operatione communicat Fridericus Ruyschius *Observ. anat. chir. 30. pag. m. 38. seq.* Rusticus qvidam, inqviens, â duobus annis incidit in Scirrhum extimam partem Penis obsidentem, tandemqve in Carcinoma exulceratum degenerantem, inqve tantam molem auctum, ut pugni magnitudinem adæqvaret. Chirurgus satis versatus Exstirpationem à Medicis commendatam instituit, & tantô cum successu, ut postea, qvantumvis Pene privatus, incolumis vixerit. Operatio autem hoc modô fuit peracta: Cathetero per Urethram in Vesicæ cavitatem immissô circumligavit Chirurgus Penem penè malum supradictum funiculô, tenuiori qvidem, sed tenacissimô idqve fortiter. Dolores ægrotus tam viriliter pertulit, ut omnibus admirationi fuerit. Injectâ hac ligaturâ ita munivit Catheterem filô, ut è canali Urethræ sese subducere haud potuerit. Seqventi die novam injecit ligaturam, ut eò citius emoreretur pars affecta. Interim totum

Operatio.

involvit penem Vesicæ madefactæ ad fœtorem arcendum, & lotium recipiendum. Qvinto die cultellô membrum emortuum fuit ablatum, sine ullâ hæmorrhagiâ, in totum enim erat emortuum. Relinqvebatur interim adhuc per diem unum atqve alterum Catheter in vesicâ, donec separatâ suâ sponte ligaturâ patiens eô non ampliùs indigeret.

§. 23.

à resectione.

Mentionem supra fecimus eorum, qvi vel sibi ipsis Testes & Scrotum amputârunt, vel ab aliis ejusmodi infortunium experti sunt, hoc locô etiam alia exempla resecti Penis inserenda mihi videntur. Scilicet Juvenis qvidam viginti annorum ex mœrore melancholiam tandemqve rabiem incurrens, totum Penem usqve ad Scrotum sibi ipsi cultrô præscidit, atqve rescissum in terram projecit, nihilominus tamen à Chirurgô in tantum fuit curatus. vid. Steph. Blancard. *Collect. Med. phys. Cent. 4. Obs. 40. p. m. 518.* Monachum qvendam ob zelum castitatis Colem sibi & qvidem pubetenus abscindentem vidit Antonius Benivenius, *v. Tract. de abdit. & mirand. Morbor. Caus. cap. 68. pag. m. 234.* De Principe qvodam Germano, qvi bombardæ ictu eviratus, argenteum sibi Penem fabricari curavit & felici successu liberis operam navâsse dicitur. vid. Paul. Ammann. *Irenic. p. m. 133.* Johann Jonston. *Thaumatograph. Class. 10. cap. 5. Art. 3. p. m. 406.* Casp. à Reies *Camp. Elys. Qvæst. 41. n. 24. p. m. 502.*

§. 24.

Totum membrum deficiens.

Magis tamen mutilati sunt illi, qvibus non modò Testiculos cum Scrotô avulsos aut exsectos, sed ipsum etiam Penem simul, sicqve omnes partes genitales externas rescissas apud Autores legimus. Ministro enim Chirurgo qvatuor latrones Penem cum Scrotô vasisqve Testiculorum suspensoriis

riis novacula abstulerunt adeò, ut ne minima partium genitalium, qvæ extra eminent, portio superstes fuerit. Licet autem hac resectione totali maxima exorta fuerit hæmorrhagia, ipse tamen Chirurgus mediante Musco terrestri vitam sibi servavit. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. 1. Mens. Febr. Obs. 6. p. m. 49.* Viri cujusdam Pene & Testibus truncati meminit Conradus Peyerus, qvippe qvæ ipsi in itinere apricanti petulantia militum abstulerat; ita, ut genitalium locô foramen duntaxat, superesset, qvô urina excernebatur. vid. *Pæon & Pythagor. Exercit. anat. med. Exerc. 27. p. m. 148.* Origenes pro evitandâ libidine totum sibi Patrimonium amputâsse fertur. vid. Chr. Franc. Paullin. Philosophische Lust-Stunden, *Part. 1. Num. 64. p. m. 435.* Alii tamen Origenem ideò seipsum excidisse credunt, qvia ratione officii multum cum personis seqvioris sexûs versari necesse habuerit, ut gentilibus occasionem calumniandi præriperet. vid. *Act. Erudit. An. 1708. Jul. p. 309.* Maniacum qvendam Sacerdotem sibi universum Penem cum Scroto & Testibus abscidisse, ex Observatione Prosperi Cecchini Chirurgi refert Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 5. Tit. 2. Qv. 2. §. 21. fol. m. 414.* Mercator Reutlingensis, nomine Hoffstetter, Anno 1665. in Bavariam profectus, ruri sub horreo cubans, subito terrore & capiendi metu perculsus fugit à sedalitio per sylvas & latebras, triduo jejunans, pastorem offendit, ab eoqve cultrum poscit, qvo abripiens se usqve ad trecentos passus sub qvercu caligis sepositis penem cum Scroto & testibus rescindit, hinc fugiens iterum per qvatriduum Augustam cruento indusio transit; unde & Reutlingam deductus à Völtero Chirurgo curatus fuit. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 7. p. 11.* Episcopi Nannetensis Oeconomus ex rabie amoris in profundas latrinas se dederat, qvô loci omnia ea, qvæ amoris morbum causabant, exscide-

 rat,

rat, maximâ cum hæmorrhogiâ, & tamen mortuus non est. vid. Franc. Rosset. *de Part. Cæsar. Sect. 4. cap. 6. pag. m.* 104. A porci morsu partium genitalium defectum in puerô decenni vidit Gregorius Horstius, *Epist. med. Sect. 19. Edit. in Quart. p. m. 513. it. Oper. Tom. II. Lib. 4. Obs. 55. fol. m. 259.* Aliud etiam exemplum Pueri, cui ad parietem humorem faecatum exoneranti Scrofa cum porcellis per plateas deambulans, partes genitales seu Testes cum Pene avulserat, ex Schenckio allegat Lucas Schrœckius *Schol. in Joh. Helwig. Obs. 131. p. m. 360.* Simile fatum etiam Musicus qvidam vocalis (all' Italiana, virtuoso) Germanus ante aliqvot annos in Aulâ qvadam Saxonica expertus dicebatur. A Canis morsu ablatos Testiculos cum totô Pene apud Christ. Franc. Paullini legimus: Magnâ scilicet Canis rustici catulos suos ad fornacem lactans, permingitur cum ipsis, à puello vix trienni. Insurgit rabida bestia, totumqve mebrum pueri unà cum Testiculis unô morsu aufert; ipse tamen puer servabatur. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p.* 42. Ibidem etiam *p. 27.* dictus Paullini Siculi cujusdam, hominis vagâ libidine inexplebilis meminit, cujus hircus supercilia & penis pediculis istis, qvos Gallicè morpions dicimus, adeò plena, ut paucas intra horas totam scatulam eorum plenam collegerit. Pruritus & morsus in partibus istis continuus. Hinc fricationibus crebrioribus humores magis magisqve allecti, dolores auxêre insigniter, donec tandem membrum genitale totum molle, flaccidum & putridum, unà cum pediculis, frustatim decideret, reliqvâ parte arte demptâ, ægrô autem gemitûs inter & cruciatus miserè pereunte. De Pene & Testiculis intra cavum abdominis latescentibus & percussô Podice in publicum prodeuntibus vid. *M. N. C. Dec. III. An. 4. Observ.* 104. *p.* 219. *seq. d.*

§. 25.

§. 25.

Huc pertinent etiam, qvi in bello membris genitalibus privati fuêre: scilicet Caffres Æthiopiæ populi ad oram maritimam, qvæ ad Caput bonæ Spei porrigitur, invicem variis bellis occupati, victores victis & cæsis pudenda rescindunt, qvæ resecata Regi, in reliqvorum Procerum præsentia, offerunt his moribus: Pudenda in Os assumunt singulatim, atqve ad Regis pedes ea exspuunt. Rex collecta & sublata in regium munus Victori restituit, qvæ Victor filô connexa, pro monili Sponsæ seu Uxori suæ de Collo suspendit. Sponsa hoc habitu incedens in tantum attollitur, ut se vel totius mundi Reginam, vel aureô Vellere insignem credat, uti ex Linschotti Itinerario refert Chr. Frid. Garmannus *de Miracul. mortuor. Lib. 1. Tit. 2. §. 5. p. m. 289.* Qvod de Incolis Monomotapensibus etiam scribit Dominus Mocqvet *Itiner. Lib. 4. p. m. 202.* Antropophagos Americanos Canibales hostibus mactationi destinatis membrum virile amputare, ex Dapperô refert Lucas Schrœckius *Schol. in Joh. Helwig. Obs. 131. p. m. 361.* vid. etiam Nic. Venette *de la Generation de l' Homme p. m. 4.* Chr. Franc. Paullin. *Obs. med. phys. Cent. 1. Obs. 16. pag. m. 24. seq. it. ejusdem* Langeweile, *cap. 59. p. 213. & M. N. C. Dec. II. An. 6. App. p. 5. seq.*

Membrum virile demtum.

§. 26.

Theobaldus, Umbrorum Dux, adversus Græcos, qvi Beneventum tenebant, bellum gerebat. Is, qvoscunqve ex hostium exercitu captivos facere poterat, amputatis virilibus dimittebat, donec qvædam mulier ante eum gemebunda, hominum Deûmqve fidem implorans constitit: Qvid, inqviens, Theobalde, fœminæ egimus, ut bellum nobis indiceres? Haudqvaqvam nos Amazones sumus, sed Minervæ operibus deditæ:

Historia.

tæ: armorum usum tenemus nullum; qvid ergo virorum nostrorum testes amputas nosqve nostris voluptatibus privas? Sunt illis oculi, sunt nares, sunt manus: qvid ad ea, qvæ nostro usui natura concessit, belli jura producis? Qvô Sermone delectatus Theobaldus ei pœnæ modum imposuit; uti ex Lintprando Diacono refert Henricus Salmuth, Annotat. in Gvidon. Panciroll. *Rer. memorabil. Lib. 2. Tit. 2. pag. m. 93. seq.*

§. 27.

Virilium amputatio Pœna stupri.

Sicuti autem adducti Nigritæ Africani, Caffres dicti & alii devictis atqve captivis suis absqve dubiô ex hac ratione membra genitalia exsciderunt, ne liberos, pariter olim hostes evasuros, generent, ita econtrà apud Ægyptios illis, qvi liberam mulierem vi constupraverant, virilia exsecabantur, uti ex Diodorô Siculô adducit M. Antonius Ulmus, *Physiolog. Barb. Sect. 3. cap. 4. fol. m. 219.* Aliqvando etiam adulterium in Viris Castratione & Virilium abscissione punitum legimus; Unde illud Diogenis de Didymono Mœcho: *ἄξιος ἐκ τοῦ ὀνόματος κρέμασθαι*; nam Græcâ *διδύμων* appellatione Testiculi intelliguntur. vid. Guid. Panciroll. *l. a. p. 86.* Ubi pergit; Testiculis cum nimiô plus lascivire soleant Clerici, Alachus Longobardus adversus Regem suum Cunipertum bellô conflato, juravit, si postridie Victoriam adnuisset Deus, puteum unum se Clericorum Testiculis oppleturum. Cui impietati seu crudelitati, qvamqvam votô frustratus, satisfecisse tamen dicitur. vid. etiam Ludov. Cœlii Rhodig. *Lection. Antiqvar. Lib. 4. cap. 7. fol. m. 127.* Ægyptios adulteriô deprehensorum mille plagis cæsorum virilia omputâsse pariter ex Diodorô allegat Franciscus Bosellus, *Amath. Medic. histor. Apparat. 2. cap. 11. p. m. 192.* ubi etiam adulteros Romæ & Athenis castratos fuisse refert. Exemplum vid. Jac. Saars *Itinerar. Indic. fol. m. 12.*

Pro

Pro aliô adhuc Scopô nonnullis etiam non modò Testes exsecantur, sed simul etiam Scrotum & Penis, sive tota membra genitalia resecantur, nimirum pro custodiendis Magnatum uxoribus. De qvibus tamen paulò infrà, ubi de Castratis, siqvidem hôc locô nobis adhuc alia de Pene dicenda restant.

§. 28.

De Penibus artificialibus seu Instrumentis, qvæ stantibus urinam excernendi gratiâ usu veniunt eis, qvi ob tenebrosa furta improbæ Deæ in pœnam membrum virile dederunt, vel ex aliis causis amiserunt, ne more sexûs fœminei incurvati mingere cogantur, vid. Joh. Bapt. Lamzweerd. *Append. ad Joh. Scultet. Armament. Chirurg. p. m.* 21. 22. de Cornu bovillô v. Stalpart van der Wiel, *Cent.* 1. *Obs.* 84. *pag.* 357. *seq.* de Pene argenteô, Principis cujusdam Germani, modò mentionem fecimus. *Penis artificialis.*

§. 29.

Monstrosum Penem observavit atqve depinxit Philippus Hœchstetterus *Observ. med. Dec.* 6. *Cas.* 8. *pag. m.* 713. *seq.* scilicet monstrosa hæc mentula Verrucis prægnans erat innumeris, acinos botryos agglomeratione æmulantibus. Pars qvædam tumida, renitens, Cuti concolor, instar globi rotunda abdomini adhærebat, qvæ Capiti modò nati infantis magnitudine respondebat, hæc carebat verrucis. Coles ad stuporem magnus tumidus, longitudinis cum Scrotô circiter Ulnæ Augustanæ. Præputium retroactum circa glandis radicem tumorem cristæ dedit, qvi copiosis subsulcis verrucis luxurians glandem instar collaris, qvod ex multiplici pannô, ad fimbriam floeculis ornatô, conficitur, ambivit. Glans tuberosa & in Vesicam ipsa sublata, palmâ fuit longior & pugnô major, *Penis monstrosus.*

jor,

jor, ob ligamentum aliqvô modô retracta, qvam Verrucæ obtegebant copiosissimæ, qvales in Collô gallorum Indicorum conspiciuntur, cum furor eos agitat. Monstrosum qvoqve Penem in filiô qvodam primigenitô observavit Johannes Christoph. Bauzmannus. Penis scilicet hujus glans erat inversa, cum inferiùs pendulô præputiô, frenô verò superiùs visibili. Glans, ut naturaliter debebat, in apice perforata non erat, sed in regione freni per parvulum foramen Urina paulisper scaturiebat. In radice Penis autem, ubi sulcus aliqvis sub Osse Pubis formatur, in conspectum se dabat fissura transversa, instar vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundô è duobus orificiis copiosior, qvàm â glande, Urina propullulabat, &c. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 26. p. 49.* Mentulam duas robusti Viri Spithamas longam & totam villosam & circa præputium circulô qvodam membranosô latiori munitam in Juvene rusticô observavit Dominus Parens Christiani Franc. Paullini, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 51.*

§. 30.

Incurvatus. Qvandoqve Penis vel sursum, vel deorsum incurvatur, qvem nonnulli Medici lunatum appellant; qvale exemplum refert Henricus ab Heer, *Obs. 7. pag. m. 80.* de virô qvodam qvinqvaginta qvinqve annos natô de Penis depravatâ erectione conqverente; flectebatur enim, in modum Cornu inversi, hypogastrium versus examinatus Penis, & sub medium digitô cis glandem nodum exhibebat, &c. & *pag. seq.* aliûs meminit, qvi repente lunari sibi Colem sentiebat, qvoties arrigeret, nodus Castanea crassior & durior ita sursum versus mediam regionem occupans Penem curvabat, ut post arrectionem mingens, thoracem supra cingulum urinam aspergeret. Aliud exemplum de Cive Campensi, recenset Nicolaus Tulpius, *Obs. medic. Lib. 3. cap. 39. p. m. 261.* huic scilicet Veneri operam

ram daturo incurvescebat continuò tam rigidè media Colis pars, ut cogeretur multoties ab inceptô desistere, &c. Heraclium Imperatorem ob ejusmodi lunatum Penem, nisi tabulam imo Ventri apponeret, faciem perminxisse, jam suprà de Priapismô diximus, vid. etiam Gothofr. Mœbii *Physiolog. cap. 19. p. m. 515.* item Christ. Matth. *Theatr. histor. pag. m. 783.* & Joh. Mauric. Hoffmann. *Disqvis. Corp. hum. anat. patholog. Specim. 8. §. 33. p. m.* 107. ubi, nescio an studiô, loco tabulæ, tubulum ventri opposuisse dicit. Sic Chr. Franc. Paullini Adolescentis Frisii meminit, qvi ex crebriori titillatione & subseqvente Seminis ejaculatione incurvum habebat Penem & ferè lunatum, umbilicum versus reflexum. Hinc si mingeret, facie longius aversâ latex in sublime saliebat. vid. Paullin. *Obs. med. phys. Cent. 4. Obs. 92. pag. m.* 513. it. *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obs.* 199. *p.* 358. Simile exemplum etiam mihi notum est juvenis tunc temporis salacissimi, posteaqve multorum liberorum Patris, nunc defuncti, qvi sibi semper versus superiora lunatum Penem in erectione apparere dicebat. In puerô qvinqvennali versus inferiora incurvatum Penem observavit Melchior Fribe; etenim in inferiore Penis parte internâ apparebat glans filo qvasi alligata, qvod filum unicô ductu per corpus Penis ad os pubis usqve sese extendebat, brevius indies factum Penem magis magisqve incurvabat, ita planè, ut postea difficulter mejeret. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 98. p.* 160.

§. 31.

Hactenus inter alia de Penis defectu egimus, nunc etiam ad ejusdem abundantiam accedimus; Sicuti enim suprà plurium Testium exempla adduximus, ita hóc locô pavea de duplici Pene referenda erunt. In Subjectô qvodam virili Bononiæ dis- Duplex Penis.

R

dissectô duplicem Penem repertum fuisse tradit Thomas Bartholinus *Anatom. reform. Lib.* 1. *cap.* 24. *p.m.* 238. de qvô vid. etiam Joh. Schenck. *Obs. med. Lib.* 4. *fol. m.* 523. item Joh. Georg. Schenck. *Histor. monstr. p. m.* 43. In Belgio vidit Petrus Schumacherus puerum bimulum, & qvidem optimi habitûs, cui Penis geminus erat, statim circa primum exortum è pube divisus, magnitudine pro istâ ætate, justâ & sibi prorsus similis, ut nec ovum ovo, nec lac lacti esset similius. Per vices etiam per utrumqve, interdum simul, Urinam excernebat. Testes, Scrotum & cætera omnia nihil à consvetô naturæ tenore recessêre, in Penis qvoqve conformatione non nisi duplici numerô peccaverat natura; de qvô vid. Thom. Bartholin. *Cent.* 4. *Hist.* 22. *p. m.* 269. *seq.* vid. etiam *Addition. ad Fort. Licet. de Monstr. Edit. Gallic. de Monsieur Palfyn. p. m.* 312. ubi tam Bononiensis, qvam Belgici exempli mentionem fecit. Qvendam Præcutinum, Nicolaum nomine, duplici Pene à naturâ donatum annotavit Carolus Musitanus, *Chirurg. Theor. Pract. Part.* 2. *cap.* 50. *pag. m.* 218. De puerò, duplici gaudente Mentulâ seqventem observationem communicat Michael Bernh. Valentini, *M. N. C. Dec. III. An.* 3. *Obs.* 77. *p.* 110. *seq.* Liberi, inqviens, vicinorum meorum in plateâ ludentes non sine risu observabant duplex membrum genitale in puello Sartoris Darmstatini, Rei novitate permotus puerum qvatuor præterpropter annorum, alacrem satis & vegetum mihi afferri curo, in eoqve reverâ duplicem Penem observo, ita tamen, ut superior & inferior ex unico trunco fuerint exorti, hac cum differentiâ, ut superior ex merâ glande nullo præputio gaudente constaret, inferior autem longior magis & pendulus præputio instructus esset, utrobiqve tamen lotium excludens.

§. 32.

§. 32.

In Monstris autem sæpius duplicia Membra genitalia annotantur. v. g. Romæ puer ex ancillâ natus est, qvadrupes, qvadrimanus, oculis qvatuor, auribus totidem, naturâ virili duplex, uti ex Orosio refert Simon Majolus *Dier. canicular. Tom. I. cap. 2. fol. m. 30.* Vel juxta Jul. Obseqvent. *de Prodig. num. 84. p. m. 79.* Ab urbe Romæ condita 616. puer ex ancilla qvatuor pedibus, manibus, oculis, auribus & duplici obscœno natus est. De ejusmodi monstrô seqventia habet Johannes Bened. Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 3. Tract. I. cap. 3. p. m. 257.* Puer qvindecim Mensium vivus, Romæ in Theatrum delatus est, qvi brachiis, coxis, cruribus, pedibusqve omninô carebat. Caput solum satis magnum obtinebat, cum pectore abdomineqve valde parvis gracilibusqve ipsius Capitis proportione & ætatis respectu. Scrotum locô suô cum Testibus ac superjacente Pene referebat, utrinqve tamen ad latera, ubi femora incipere deberent, carunculæ absqve Scrotô tamen, prominebant; sinistra qvidem teres, oblonga, velut coliculus, carnosus tamen potius, qvàm nerveus & imperforatus, muliebri Clitoridi valde similis: dextra verò non ita prominens, sed veluti Verruca qvædam aut Umbilici apex exsurgebat. Ambæ tamen intendi videbantur, & præsertim, dum urinam reddebat, protendebantur subrigebantqve, præcipuè sinistra illa, qvæ Penis figuram magis expressam referebat. Credidit etiam Sinibaldus, futurum fore, ut in adultâ ætate sinistra illa particula qvoqvô modô Venereis more Tribadum implicari potuerit. Editus etiam est in eodem partu gemellus alter, qvi eosdem partium defectûs eandemqve Caruncularum multiplicitatem retulit, sed obiit. Locô allegatô Sinibaldus ad qvæstionem, cur natura, de generatione maxime sollicita, duos potiùs in maribus non effinxerit phallos?

Duplicia genitalia in monstris.

Respondet: Absit certe, nimius est unus. Numqvid non intolerabilis est, qvæ ab uno recipitur molestia? qvi in unô excitatur pruritus? Si duobus indulgendum foret, qvid cæteris negotiis relinqveretur? Utinam & unô carerent homines; longè etiam pacatiorem traducerent vitam, nec tantâ corporis corruptione polluerentur, aut animi æstuarent cupidine; imò vitam viverent, qvalem in cœlis cohors beata possidet. Præstringat homo libidinem, æthera conscendet ilicet. Ex unô Veretrô inqvies, anxietas, æstus, furor, insania manant; qvid ex duplici? &c.

§. 33.

In brutis. In aliis etiam animalibus reptilibus, aqvatilibus & terrestribus, duplicia membra virilia annotata reperimus. Duplici enim Pene & Utero, lacertas, viperas, serpentes, &c. instructos esse, videmus apud Joh. Jacob. Harderum, *Apiar. Obs. 21. Schol. p. m. 89.* Cancri seu Astaci mares duobus penibus armati sunt, qvorum apices per foramina pedunculis penultimis excusa exitum habent. vid. Gerard. Blas. *Anatom. Animal. Part. 3. cap. 4. p. m. 260. & 462.* Gallos gallinaceos duplici Pene præditos esse scribit Johannes Muys *Podalir. rediviv. pag. m.* 106. De duplici Pene in asinô Johannes Benedictus Sinibaldus *l. a. Lib. 2. Tract. 1. cap. 5. p. m.* 105. ita scribit: In patriâ vidi asinum, duos mutones habentem, unum alterô majorem, per qvorum unum mingebat; per alterum, an coiret, scire non potui; vidi eqvidem hunc etiam alterum ab asellô erigi, ut ideò credi posset eodem Venerem exercere. Duplicia etiam genitalia mascula in pullô felino abortivô deprehendit Johannes de Witte. *vid. Pæon & Pythagor. Exercitat. annot. & med. Exercitat. 57. pag. m.* 203. Tiburonum piscium in Oceano degentium masculos duplici Veretro, humani cubiti magnitudinem æqvante dotari, ex Ovie-

do

do refert Paulus Zachias *Quæst. med. Legat. Lib. 7. Tit. 1. Qu. 8. §. 34. fol. 600.*

§. 34.

Osseos Penes in Canibus, lupis, vulpibus, gliribus & vespertilionibus deprehendi, testatur Johannes Muys, *Podalir. rediviv. p. m. 105.* In Cane, Lupo, Vulpe, Balæna & qvibusdam aliis brutis Penis substantia ossea est, juxta Christian. Franc. Paullin. *Cynograph. curios. Sect. 1. cap. 3. §. 39. pag. m. 50. seq.* hinc crura attollit inter mingendum adultior canis, catuli verò, cum membrum molle habeant, ut versus terram flecti qveat, non elevant pedem, & cum sublatô crure mingunt, apti sunt ad venerem. In Civetta Membrum virile perinde ac in lupis & canibus osseum est; in hoc tamen differt à canibus, lupis & vulpibus, qvod horum genitale totum in mediô sit osseum, glans verò carnosa solum sine Osse; Contra Civettæ Officulum est in solâ glande admodum breve, reliqva pars genitalis nervosa Osse carens. vid. Petr. Castell. *de Hyen. odorif. cap. 3. pag. m. 19.* ubi addit, se vidisse, Caniculum Indicum, Romæ dictum Pancelletto d' India, in genitali continere ossiculum in summô tenue, in basi qvadratum seu depressum. In Castore Penem osseum, præputiô tectum, observavit Johannes Jacobus Wepfferus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 251. p. 350.* scilicet, juxta *pag. 364.* pars ejus anterior Unciæ longitudine ossea esse solet. Hoc Os Virgæ in Castore à Parisiensibus observatum depingit Gerardus Blasius *Anat. Animal. p. m. 370.* Item in Latræ Penis extremitate Os durum in extimâ sui parte divisum, incurvatum & cartilagine obductum atqve longitudine minimum digitum æqvans observavit atqve depinxit Georgius Sigerus, *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 195. p. 370. seq.* Phocæ Maris Penem ossiculô canino simili, esse instructum, observavit G. C. Schel- Penis osseus.

hammerus, *Anatom. Phocæ Maris p. m. 16.* Hinc etiam mas & fœmina in Coitu inviti cohærent, vid. Ol. Wormii *Muf. Lib. 3. cap. 15. fol. m. 289.* Item Rosmari Penem totum osseum, spithamas tres æqvantem, pollices duos crassum utroqve extremô tuberosum & spongiosum esse, refert Thomas Bartholinus *Cent. 2. Histor. 43. pag. m. 207.* Et juxta Christian. Warliz. *de Morb. Biblic. cap. 12. p. m.* 385. in Lupo, Vulpe, Balæna, Glire, Mure Indico, Ichnevmone dictô, in Ictide,

in Homine, Vespertilione & Cane Penes ossei reperiuntur. In Homine autem rarissimè osseus Penis occurrit, qvalem tamen, & qvidem planè osseum, ideoqve semper rigidum, in Bubulcô Hassô adnotavit Christiani Francisci Paullini Parens, unde etiam uxori in copulâ maritali acerrimi suborti dolores. vid. Paullin. *Obs. med. phys. Cent. I. Obs. 72, pag. m. 88. & M. N. C. Dec. II, An. 5. Append. p. 71.*

§. 35.

Abdomini connatus, Penem abdomini connatum observavit Gerardus Blasius in puero qvinqve annorum, cui Urethra erat valde angustata, sic, ut ne qvidem stilo subtiliori daretur via: hæc se extendebat versus umbilicalem regionem, ubi Urina, qvoties fortiter comprimebatur Vesica, exstillabat. Causa hujus rei firmior erat Penis cum Ventris musculis externis cohærentia, similis omnino illi, qvi in Canibus aliisqve bestiis notatur. Nulla hîc membri mobilitas, qvalis in homine naturalis, eò, qvod liber à corpore dependeat. vid. Gerard. Blas. *Obs. med. Part. 4. Obs. 21. p. m. 60. & 113.*

§. 36.

Penis robur. Robur insigne in Pene habuit juvenis duorum de viginti annorum, ita, ut stanneum cantharum, mensuras cerevisiæ qvinqve continentem, citra molestiam, nec sine intuentium stupore & risu, ultra horæ dimidium peni appensum circumferret,

ferret, uti ex Schenckiô allegat Christianus Franciscus Paullini, *M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. p. 12.*

§. 37.

Extrema Penis pars ab Anatomicis caput, Glans, à Qvercuum fructûs similitudine, græcè βάλανος, item à Marcello Cumano, *Obs. 4. p. m.* 30. Castanea, & à nonnullis nationibus Faba nominatur, & qvidem juxta Gvernerum Rolfincium, *de Part. Generat. Lib. I. cap. 52. p. m.* 104. non ineptè, Osculum enim summæ Glandis repræsentatur ab eô, qvod in fabâ hilum veteres appellabant. Est autem Glans omnium maximè sensibilis, cujus causam hanc reddit Regnerus de Graaf *de Organ. Viror. pag. m.* 104. ut coitus melius peragatur. De ejusdem structura & Anatome evolvantur Autores, supra circa Penem allegati; præsertim autem de Glandis in Pene verâ structura noviter detecta, vid. Frid. Ruysch. *Obs.* 100. *pag. m.* 127. *seq.* & 133. *seq.* Glandem Penis à Verheynio pessimè esse descriptam, indicat Laurentius Heisterus. *vid. Act. Erudit. Lips. An.* 1717. *p.* 369. *Glans.*

§. 38.

Glandem longiorem, qvàm naturaliter esse solet, item imperforatam atqve crispatam in puerulô undecim mensium observavit Salomon Reiselius, *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 8. p.* 14. In puerô trium annorum Penem imperforatum Glandemqve Præputiô privatam vidisse dicit Gerardus Blasius *Observat. medic. Part. 2. Obs. 5. p. m.* 34. & *Observat. anatom. pag.* 134. Anno 1695. Coctori Cerevisiæ filius primigenius nascebatur, cujus Glans Penis inversa erat, cum inferius pendulo Præputiô, frænô verô superiùs visibili. Glans in apice perforata non erat, sed in regione fræni per parvulum foramen Urina paulisper scaturiebat. In radice Penis autem, ubi fulcus *Glans monstrosa.*

cus aliqvis ſub oſſe pubis formatur, in conſpectum ſe dabat fiſſura transverſa inſtar vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundo, è duobus orificiis copioſior, qvàm â Glande Urina propullulabat, teſte Johanne Chriſtophoro Salzmanno, *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 26. p. 49. ſeq.* Fœmina qvædam nimiô Limacum appetitu laborans filium peperit, cujus membri Glandem formoſiſſima Limacis figura qvoad omnia condecoravit, juxta Johannis Adami Lospichleri Obſervationem, *vid. Ephemerid. Academ. Nat. curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 150. p. 314.* Ob calculi dolores Illuſtrem qvendam Senem Glandem ſibi ad pollicis latitudinem præſecari paſſum eſſe, ex Henrico ab Heer refert eqvidem Daniel Hartnaccius, *Admirand. phyſ. p. m. 653.* Ipſe autem Heerius, *Obſ. 7. pag. m. 83.* non tam præſectionis Glandis, qvàm potius ejuſdem ob Calculi majoris ingreſſum & extractionem aperturæ vel inciſionis mentionem facit. Hirudinem petulantia ſodalium cujuſdam ſervi, caleſactoris balnearum, hirudines ad rivulum qværentis, dum ſomno obrueretur, Glandi virili applicuit, qvi expergefactus nil mali inde habuit, niſi qvod erectio Penis ad aliqvod tempus ceſsârit, qvæ tamen paulatim poſtea rediit, referente Samuele Ledelio, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 19. pag. 51. ſeq.*

§. 39.

Præputium. Dicta hæc pars ſeu Penis Glans in ſtatu naturali ordinariè perforata capſulâ tegitur cutaneâ, & qvidem propter duplicaturam admodum mobili atqve volubili, Præputium dictâ; cujus mobilitatem ſeu lubricitatem du Verny & Littre certis glandulis exiguis adſcribunt, qvas Præputio aut Glandi adnatas, imprimis in ambitu coronæ reperibiles, certum liqvorem, ad imbuendum & lubricandum Præputium & Glandem deſtinatum transcolare, hisqve glandulis compreſſis materiam

albi-

albicantem & crassiusculam, in filamenta abientem, ad modum illius, qvam e glandulis palpebrarum exprimere datur, educi statuunt. *vid. Histor. Academ. reg. Scient. Paris. An. II. pag. m. 266. seq.*

§. 40.

Ipsum Præputium juxta divinum mandatum Judæis & aliam ob causam etiam Turcis aliisqve Nationibus præscindi solet, de qva Circumcisione infra, Capite undecimô, pluribus agemus. Qvandoqve etiam Præputium â nativitate deest, uti jamjam ex Gerardi Blasii Observatis anatomicis de puero trienni, cui Penis valde exilis omniqve privatus Præputiô & imperforatus erat, adduximus. De Præputio ferè inciso & inversô in puellô, cujus mater, tribus tantum à partu septimanis, hospiti cuidam peregrino, Judaicam Circumcisionem, cui tanqvam rei singulari matutinis horis interfuerat, recitanti & exactè describenti, attentè auscultârat, vid. Marcill. Donat. *de med. Histor. mirabil. Lib. 7. cap. 3. p. m. 667.* De Præputii Gangrænâ seqventem Observationem communicat Johannes Jacobus Wagnerus, *M. N. C. Dec. II. An. Obs. 76. p. 160.* In Orphanotrophio puer decennis lectum crebrò noctu perminxit, ac ob id ferulâ pœnas dedit: ut verò plagas in posterum evitaret, Præputium ita valde constrinxit, ut Penis seqventi die magnopere intumuerit & Præputium Gangræna correptum fuerit. Qvi tamen puer, admotis in eam rem idoneis medicamentis, intra paucos dies integræ sanitati restitutus fuit. Non solùm Præputium, sed etiam Cutem per totum Penem totumqve Scrotum Gangræna consumptum in Sartore me observâsse, ex superioribus patet. De Præputiis maximis trium & novem librarum, vid. infra *Cap. 10. §. 10.* De Præputio ex Sacris Literis notum est, Regem Saulem filiam suam Michalem Davidi hac conditione in Uxorem obtulisse, ut loco dotis *Præputium defectus.*

tis centum Philistæorum Præputia ipsi exhiberet, *juxta Lib. I. Samuel. cap. 18. v. 25. & 27.*

§. 41.

Flatus per Penem.

Per foramen, in Glandis extremitate reperiundum, Urinam, inqve Coitu sperma excerni, notum est; interdum tamen non modò flatus seu olidos ventris crepitûs per dictum Penis foramen prodiisse, sed etiam qvandoqve stercora per mentulam exclusa fuisse, exemplis probat Joh. Schenckius, *Obscrv. med. Lib. 4. fol. m. 526.* Flatûs, per Penem, emissionem Georgius Wolffg. Wedelius in Viro qvodam primariô Gothanô observavit, qvippe qvi Colicâ aliqvoties per annum affligebatur cum Borborygmis, tensione abdominis, doloribus circa Umbilicum, & qvod peculiare est, flatûs tunc per Penem, qvasi solenni & consvetâ excernebatur viâ, sæpe cum, sæpe sine Urinâ. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. Obs. 44. p. m. 135. & M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 46. p. 85.* Vir qvidam Castra secutus, cui post Dysenteriam Corpus Tympani instar intumuerat, Mugitus ac flatus summis cum cruciatibus percepit, qvi aliqvando ibi substiterunt, ut ultimum agere halitum adstantes crediderint, mox non solùm per inferius guttur, sed majori cum impetu per fistulam urinariam cum maximâ qvantitate materiæ viscosæ eruperunt, tumor hinc ac dolores remiserunt. Idem Johanni Henrico Hottingero, se nunqvam vesicam absqve talium ventorum Urinæ permixtorum, ac cum vehementis sibili associatione exonerare posse, retulit. *v. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obs. 34. p. 251. seq.* Casparus Goldberg, vir doctus & peregrinationibus clarus, febre vagâ putridâ ἀγρυπνία, doloribus hypochondriacis diu vexatus, opem Olai Borrichii imploravit, præcipuè sollicitus, ut novo symptomati occurreret. Erat autem ejusmodi: Qvotiescunqve reddebat urinam, sine sensu qvidem doloris hôc mi-

ministeriô naturæ defungebatur, pôst brevem autem moram obortus in mediâ Urethrâ cruciatus tendebat nonnihil vasa, unde subsecutus cum strepitu fœtente sibilus è pudendô emanabat; nec id semel, sed crebrò qvotidie, eratqve ipsi prognosticon certissimum prodituri per Colem Crepitus, qvoties Urethræ medium obsidebat dolor. vid. *Act. Hafn. Vol. III. Obs. 40. p. 74.* Scribit etiam Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. IV. Tr. 2. cap. 3. p. m. 457.* se audivisse interdum salaces qvosdam juvenes œstrô libidinis percitos, qvi dicerent, è suis pudendis fervidum pnevma qvasi flammam emicare, &c.

§. 42.

Stercoris per Penem tam puerorum, qvàm adultorum factam excretionem pariter annotârunt Medici; siqvidem Balduinus Ronsseus *Epist. med. 14. pag. m. 54. seq.* puelli anum imperforatum habentis atqve excrementa vel sola per se, vel cum Urinâ simul excernentis meminit. Et Petrus Porellus *Cent. 3. Obs. 16. pag. m. 211.* scribit: Visos esse pueros imperforatos fæces liqvidas micturientes. Talemqve puerum *Cent. 1. Observ. 77. p. 82.* ex Sennertô allegat. In puerô qvatuor dies natô idem observavit Henricus Vollgnadus, *M. N. C. Dec. I. An. I. Observ. 11. p. 33. seq. Schol. p. 36.* Item in alliis infantibus Nicolaus Tulpius, *Obs. med. Lib. 4. cap. 35. p. m. 350.* vid. Zacut. Lusit. *de Prax. med. admirab. Lib. 3. Obs. 72. fol. m. 112.* Gvilelm. Fabric. Hild. *Obs. Chir. Cent. 1. Obs. 75. p. m. 88.* Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 527.* Nov. literar. German. Hamburg. *An. 1703. Mens. Aug. pag. 290. seq.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 12. Obs. 24. fol. m. 874. it. 884.* Talem vitiosam fæcum alvinarum per Penem excretionem etiam in adultô, Mercatore scilicet, annotavit Petrus Borellus *Cent. 3. Obs. 16. p. m. 210.* in Petro de Schardes, *Stercus per Penem.*

Medicô celebri, Theoph. Bonetus *l. a. fol.* 874. *Obſ.* 23. in virô qvodam reverendô Jacobus Wagnerus. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 4. *Obſ.* 75. *p.* 159.

§. 43.

Mercurius per Penem.

Mercurium ſeu Argentum vivum Cyatho vini clam infuſum & à Muſico qvodam epotum, diutius in Corpore morari tandemqve per Penem tranſire annotavit Philippus Hœchſtetterus *Obſerv. medicin. Dec.* 3. *Caſ.* 4. *pag. m.* 228. Muſico ſcilicet Nobilibus & Baronibus à Conſiliis Mappæ, à qvibusdam Baronibus clam in vinum enulatum ſatis copioſa argenti vivi qvantitas injecta fuit eiqve oblatas hauſit is affatim, genio cum aliis indulgens, reliqvi cachinnantes conſpurcationem fruſtra caligarum expectant, qvam alias ob viam lubricam & motum ejus celerem facilè cauſat. At qvia priùs oſtreis cum Oleo coctis Ventriculum impleverat, exitus argenti vivi tardatus per poſticum fuit: & cùm largiter biberet rurſusqve Oſtreis veſceretur, oleumqve hauriret, non deterius habuit. Attamen nox à primô ſomnô muſico dolore & inqvietudine moleſta, Generoſis, ôb periculum, qvod Muſico poſſet accidere, anxia. Aurora eo tempore licet tardigrada, tamen ambobus fuit fauſta. Argentum enim vivum cum urina per Penem Muſici non ſine magno ardore permeâvit & hunc â dolore, illos â timore liberavit.

§. 44.

Sangvis per Penem.

Sæpius etiam in iis, qvi Calculo, febribus, Hæmorrhoidum ſuppreſſione laborant, ſangvinis per Penem, qvandoqve menſtrualem excretionem annotarunt Practici. Bina ejusmodi fluxûs menſtrui in Viris exempla communicat Johannes Baptiſta de Wenckh. *vid. M. N. C. Dec. III. An.* 9. & 10. *Obſ.* 136. *p.* 258. *ſeq.* ſcilicet Villicus qvidam Centum & qvinqve an-

annorum grandævus, multarum prolium fœcundus parens à pubertatis annô ritè menstruale ejusmodi tributum usqve ad septuagesimum sextum annum persolverat, sanitate & viribus pollens, atqve tunc temporis adhuc sanus & robustus hilariter vivebat. Alterum exemplum præbet Civis Leobiensis, qvi pari modô â pubertatis annis Menstruum patiebatur profluvium, pluresqve, qvamdiu fluxus ille menstruus perduravit, genuit proles: Hoc autem cessante cessavit fœcunditas & supervenit infirmitas, nimirum febris lenta, Corporis emaciatio, deliria, tandemqve mania & mors. Mihi ipsi ante viginti annos Amicus academicus referebat, se longo tempore fluxu hæmorrhoidali laborasse, qvi tamen post externa medicamenta à Chirurgô ordinata, in narium demumqve in Penis fluxum menstruum degeneraverit; à qvô ultimô tamen, meô consiliô, in pristinum fluxum hæmorrhoidalem restitutus liberabatur. Anno 1718. Mense Januario, obtingebat in Juvene plethorico nocturno tempore, sub erectione Penis cum aliqvo strepitu (mit einem Puff,) excretio sinceri sangvinis, qvalis per vices postea cum erectione, sed sine strepitu recurrebat, restitutus tamen est. v. Act. Berolinens. *Vol. IV. p. m. 68.* Plura ejusmodi Exempla, Deo volente, in Hæmatologia nostra allegabimus.

§. 45.

Ratione perforationis Penis notum est, in statu naturali in ejusdem glande unicum tantum reperiri foramen, qvandoqve tamen bina, qvandoqve etiam planè nullum. In uno eodemqve Pene duo foramina observavit Andreas Vesalius *Anatom. Lib. 5. cap. 14. fol. m. 408.* in Adolescente è nobili Familiâ ortô, qvi in glandis apice duos obtinuit meatûs, unum Semini, alterum Urinæ paratum. Item Nobilis qvidam Capitaneus præter foramen in Glandis mediâ anteriore sede, secundum

In Pene duo foramina.

naturam formatum, aliud quoque subtus circa Glandis radicem & Præputii exortum ab ortu habuit, teste Felice Platero *Obs. Lib.* 3. *p. m.* 844. Aliud Vesalii exemplo simile extat apud Petrum Borellum, *Obs. med. Cent.* 4. *Obs.* 13. *p. m.* 288. Gondalus scilicet Burgundus, duplex in Veretro foramen habuit, unde Urinam & Semen in duas simul partes divisa effunderet. Et Puero cuidam duodecim annos nato Natura duplicem Ductum urinarium dederat, qvi per utrumqve Urinam sine ulla difficultate emittebat. Erant autem in locô solitô alter super alterô siti, tenuissimâqve membranâ & interstitiô distincti; sed inferior aliqvantulum incurvabatur, ita, ut ex eô lotium non rectà, qvemadmodum ex superiori, sed nonnihil deorsum fluitaret. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Cent.* I. *Obs.* 76. *Oper. fol. m.* 88.

§. 46.

Glans imperforata

Qvandoqve Penis glans planè est imperforata, qvod ὑποσπαδιαῖον & taliter imperforatos ὑποσπαδιαίους vocant Medici. vid. Balduin. Ronssei *Epist.* 14. *pag. m.* 55. & Rod. à Castro *de Natur. Mulier. Lib.* 3. *cap.* 12. *p. m.* 144. ubi dicit: Sunt hypospadii, qvi ex generatione Urinæ iter inferius sub canale habent, qvà præputium alligatur glandi. Tuncqve utplurimum Penis pro excernendâ Urinâ & ejiciendô Semine in aliô Penis locô, vel circa finem glandis & prope frenulum, vel in mediô, vel circa radicem, perforatus est; qvales Observationes non modò Infantum, Urinam per ejusmodi foramina extraordinaria mittentium, sed etiam adultorum, Urinam & Semen per eadem ejaculantium hinc inde apud Autores Medicos occurrunt; De qvorum illis videri etiam potest Urogtogia nostra, cum Deô proditura, de his autem hoc locô agendum erit. Scilicet in adultis qvibusdam, glandem in locô anteriore imperforatam habentibus, ex foramine circa frenulum

Circa frenulum.

Glan-

Glandis non modò Urinam, sed ipsum qvoqve Semen prodire, testatur & confirmat Melchior Fribe, & qvidem exemplô Viri, sex liberorum Parentis, cui Penis in parte inferiori retrô glandem fuit perforata. vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obs.* 98. *p.* 158. *seq.* Sic Gottofredus Samuel Polisius qvendam novit, qui ejusmodi Conformationis vitiô in hanc lucem editus fuit. Foramen scilicet eqvidem aliqvod, vel potiùs vestigium foraminis in extremitate glandis conspicuum erat, non tamen pervium pro emittendô lotiô atqve ejaculandô semine; paulò verò infra glandem natura viam adinvenerat, per qvam tam Urina, qvàm Semen, sine aliqvô impedimento effluebat. *vid. ibid. An.* 9. & 10. *Obs.* 105. *p.* 265. In Nautæ cujusdam filiolo masculi membri anterior pars non erat perforata, vel minimum saltem aperturæ indicium solitô gerebat loco, qvæ tamen transmittendo lotio non esset apta; ita, ut procedente tempore aliam sibi aperuerit Urina prorumpens viam, sub freno videlicet Penis, &c. v. Cornel. Stalp. van der Wiel, *Observ. rar. Cent.* I. *Obs.* 86. *pag. m.* 365. Puer triennis Glandem Penis habebat inversam atqve imperforatam, in regione autem fræni per parvulum foramen Urina paulisper scaturiebat, & in radice Penis erat fissura, transversa instar vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundo è duobus orificiis copiosior Urina propullulabat. v. *M. N. C. Dec.* III. *An.* 7. & 8. *Observ.* 26. *p.* 49. *seq.* uti qvoqve paulò supra recensuimus. Nobilis qvidam Capitaneus præter foramen in glandis mediâ anteriore, sede, secundùm naturam formatum, aliud qvoqve subtus circa glandis radicem & præputii exortum, uti modò diximus, ab ortu habuit, per qvod micturus Urinam deorsum mitteret, ita ut, nisi caveret, se commacularet; Per eandem qvoqve viam semen emisit. vid. Fel. Plater. *Obs. Lib.* 3. *p. m.* 844. De Nobili Francô, qui Urinam & Semen per foramen infra Penem, ubi

ubi præputium ad natum est, emisit, naturali foramine concretô, vid. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 3. fol. m. 508.* ubi etiam celebris familiæ meminit, ex qvâ masculi pleriqve omnes pronati Urinam ex foramine sub meatu propriô, subtus Penis glandem, sic â naturâ, non vitiô aliqvô, constituto, qvâ parte vinculum, Canis seu frænum dictum, existit, urinam semper excreverunt, nullô valetudinis aut sterilitatis incommodô.

§. 47.

Foramen infra glandem. Interdum etiam in pueris aliqvot annorum Urina paululùm infra glandem, interdum in mediâ penis parte, vel etiam circa ejusdem radicem, effunditur, & qvidem per foramen nunc connatum, nunc accidentarium, v. g. per nimis arctam Penis ligaturam, & usqve ad Urethræ incisionem, qvale exemplum recenset Antonius Benivenius *Medicin. Observ. cap. 68. pag. m. 233. seq.* de puerô, qvi medium sibi Colem linô & qvidem arctè deligaverat, eôqve tam diu vinctus fuerat, donec plagæ altitudo ad iter urinæ ascenderet, duobus locis: qvibus, & qvod urina ipsa inde mitteretur, & qvod utrinqve oræ obcalluerint, coire ulcus atqve conglutinari nullis unqvam remediis potuit. Alius puer novennis mentulam in mediâ parte filô sibi adeò constrinxerat, ut ne guttula qvidem Urinæ exire posset, post triduum autem Urina supra ligaturam per Urethram & Cutem foramen sibi pararet. vid. Steph. Blancard. *Collect. phys. med. Cent. 4. Observat. 48. p. m. 537.* Sic puer sexennis petulanter præputium retrahens filô qvodam non procul à scrotô Penem firmiter vinxerat, unde hic ita intumuit, ut Chirurgus, propter magnum undiqve tumorem, filum, qvod dissecaret, non videret, donec alius tumorem digitis comprimens filum conspectum forcipe acutâ tenuiqve secaret, simul animadvertens, per arctam fili constrictionem apertam fu-

fuisse Urethram; qvæ apertura propter Urinæ, illac continuè pro parte affluentis, acrimoniam callô undiqve obducta sanari neqvivit, teste Cornelio Stalpart van der Wiel *Observat. rar. Cent. 2. Obs. 39. pag. m. 402. seq.* A Calculô ejusmodi foramen accidentarium, per qvod puer mingebat, annotavit Philippus Salmuth, *Cent. 1. Obs. 60. p. m. 29.* Puer, inqviens, trium vel qvatuor circiter annorum laborabat Vesicæ calculô, qvi tandem in Canalem, sed eò loci, ubi Perinæum egreditur, & jam propendet mentula, protrudebatur; ubi subsistebat & adeò qvidem, ut neqve regeri, neqve propelli ulterius posset. Urina hinc supprimebatur & Calculus ibi hærens Canalem & Cutem erodebat; qvi tandem extrahebatur, sed foramine ibi relictô; qvod postmodum Callum contrahebat, ut puer per illud urinam mitteret, &c. Amatus Lusitanus, *Curat. med. Cent. 1. Curat. 23. fol. m. 52.* Infantis annos duos nati meminit, cui ab ortu suô glans perforata non fuit, nec vestigium aliqvod in eâ ubi foramen esse debuerat, apparebat: ad radicem tamen ejus, prope testiculos foramen erat, per qvod lotium non guttatim fluebat, sed directè emanabat. Glandem imperforatum & Urinam circa ejusdem Penis radicem effluentem in infante trium annorum annotavit Gerardus Blasius, *Obs. anat. p. m. 123.* scilicet ad radicem Penis exhibebat se colore livido Perinæi aliqva pars, digitorum duorum transversorum latitudine â radice dictâ distans, qvæ foramine gaudebat exili, per qvod Urina liberè profluebat. Circa Penem utrinqve se exhibebat Testis sat notabilis, hi sibi invicem accumbentes locum dictum, per qvem Urinam effluere diximus, abscondebant. Qvæ qvidem exempla qvamvis de pueris tantum loqvantur, dubitandum tamen non est, qvin etiam ipsis posterô tempore adultioribus factis per eadem foramina non solum urina, sed etiam Semen effluxerit. Id qvod etiam aliis jamjam adultis â Calcu-

lô & aliis Symptomatibus accidere poteſt; ſiqvidem Henricus ab Heer in Spa vidit Senem Illuſtrem & ampliſſimâ Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutum, cui cùm Calculus colem ingreſſus, nullâ arte eximi poſſet, glans ad pollicis latitudinem ſecari debuit; eductô Calculô volebat dictus Heer, vulneris labiis callô duratis, foramen apertum relinqvi, ut aliis fortè ſecuturis exitum præberet: negante Chirurgô, cui plurimum patiens fidebat, claudi vulnus paſſus eſt. Cæterùm ſeqventi annô novô Calculo eundem meatum obſidente nova molienda fuit ſectio. Tunc apertum ſervatum vulnus, per qvod poſtea Calculi vel integri, vel gruis roſtro fracti educti fuerunt. vid. Henr. ab Heer, *Obſ. 7. pag. m. 83.*

§. 48.

Penis niger. Qvoad hiſtoriam Penis medicam pauca adhuc referenda reſtant, & qvidem ratione imaginationis maternæ, qvod nimirum in puello qvoad reliqva membra candido Penis niger, in alio, totum corpus nigro, Penis albus fuerit obſervatus. v. g. Æthiops Cerdo Ergaſtulo Hafnienſi detentus amore puellæ ſervæ accenſus, clanculum illam compreſſit; Gravida inde legitimo partûs tempore enixa eſt prolem virilis ſexus, qvæ matrem univerſo corpore Cutis candore referebat, ſolus verò Penis paternum genus nigrore prodebat, qvod oculati teſtes plures & viderunt & mirati ſunt, juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 4. Hiſtor. 5. p. m. 120.* Item Æthiops Aulæ cujusdam alumnus laſcivâ utitur venere cum meretrice Germana albâ. Hæc tempore legitimo parit filium omnia membra album; excepto ſolo illo, qvo virum ſeſe præſtitit, Taurus iſte in ventrem ruens, nigrô & patriſſante, ſecundum Obſervationem Gabrielis Clauderi *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 190. p. 381.* *albus.* Penem econtra album in puellô totum reliqvum corpus nigrô, annotatum legimus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Append.*

pend. p. 208. scilicet in lepido quodam puello ex Æthiope & venustâ matre nato observabatur 1.) Nasus fere cæruleus. 2.) Lunæ imago pectori manifestè impressa. 3.) In vertice pili albi, cum cæteri essent atri & crispuli. 4.) Virilitas plane alba, &c.

§. 49.

Deinde Mentulæ figuram in fronte habuisse sutricem Pari- *Mentula in*
siis viventem refert Petrus Borellus, *Cent. 4. Obs. 74. p. m. 336.* *fronte.*
De puellâ in Italiâ natâ, qvæ in facie locô nasi carnis frustum in- *Loco nasi.*
star membri virilis vel pyri habebat; item de Monstrô duas facies, instar Jani, habente, & cujus utraqve facies loco nasi membrum virile monstrabat, vid. Fort. Licet. *de Monstr. Lib. 2. cap. 30. Edit. Gallic. p. m. 142. &* 144. De Mentula *In Occipite.*
in occipite pronatâ seqventem Observationem communicat Christianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 42. p. 70. seq.* Sutoris cujusdam Uxor Gemellos diversi sexus, fœmellam mortuam, vivum autem puellum peperit. Puellus cœtera nil monstrosi alens & sanus, uti videbatur, Occipiti annatum sacculum, figuram Priapi, seu fascini, veteribus φάλλος dicti, apposite referentem gestabat. In hoc sacculô, ob qvem infans supinus cubare non poterat, dictus Garmannus non solùm humorem fluctuantem deprehendebat, sed & eâ Cranii parte, (qvia ad suctum & vagitum erigebatur & extendebatur,) qvâ annatus erat, foramen ad ipsum Cerebrum pertingens subesse rebatur. vid. etiam Garmann. *Epistol. Cent. I. Epist. 76. p. m. 325.*

§. 50.

Mammam mentulatam annotavit, Michael Fridericus *In Mamma.*
Lochnerus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 125. p. 228. seq.* scilicet
tus profectus Vir Illustris Conjugem gravidam reliqverat

 Pe-

Penelopem, non inter Procos, ut illa olim, sed inter suspiria, absentem Ulyssem expectantem; qvippe servati semper pudoris fuerat fœmina, fido fidissima. Cùm ultra consvetum tempus moram traheret, nec promissa reditûs exsolveret Veneremqve castissimæ Costæ sic longiusculè non recoleret, fame percita tandem expetit maritum. Cogitationibus sic maritalibus immersa, ut penè naufragium immineret, in lectulum pulvillis ventosè tumentibus plumâ delicatâ repletis sese prosternit, certô asserens, amare amari solas opes esse mortalibus. Exoptat millies absentem, moram increpat, amorem ejus in dubium vocat, initia basia columbatim expetit, portiunculam mariti, qvâ maritus erat, anxiè desiderans. Impatiens tandem facta tangit gemipomas & fraterculantes vel sororiantes mammas, carpit papillarum nitidas gemmulas geminas, tandem, somni Conjux facta, lumina claudit. Expergiscitur & consvetis muniis fungitur, venereô desideriô cum somnô evanescente. Redux factus tandem, qvem tot noctes cum viduâ turture compellâsset, in gratiam redit & partûs tempore instante eam puellâ beat, ipsissimâ formositatis Ideâ. Pectori solummodò circa mammarum qvandam deformitas, adnata erat mentula, crescentibus annis qvoqve cæteris cum partibus augmentum capiens, sub vestimentis tamen latitans, ideoqve nullam pulchritudini hujus Veneris pariens incommodum, qvippe qvæ annis maturâ & viribus maritales tandem cupedias facesqve hymenæas experta est.

§. 51.

Penis figura in foco. De nativitate Genitoreqve Servii inter mira enumerant, in focô regiô, ubi à Romanis qùm alia sacra solebant fieri, tum cænarum libari primitiæ, supra flammas è Cinere virilis membri extitisse speciem, ex qvâ impragnatam Ocrisiam, ancil-

cillam Tanaqvilis Reginæ forte assidentem, natumqve Servium, cui è Capite flamma primùm nato effulsit, judicarunt, uti ex Dion. Halicarn. refert Thomas Bartholinus *de Luc. Humin. & Brutor. cap.* 18. *p. m.* 156. v. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. I. cap. 8. pag. m. 88.*

§. 52.

De Penis cultu atqve dignitate ut pauca annectamus, testantur Autores, Ethnicis olim in more positum fuisse, Peni divinos honores tribuere. In Oppido enim Lavinio Libero seu Baccho integer mensis dicabatur, qvibus diebus unusqvisqve spurcissimis utebatur verbis, donec pudendum Liberi patris membrum, exultante neqvitiâ, palam per forum transveheretur. Cui, inspectantibus omnibus, matremfamilias honestissimam coronam necesse erat imponere. vid. Ludov. Cœlii Rhodig. *Lect. antiqv. Lib. 4. cap. 6. fol. m.* 123. vid. etiam Joh. Riolan. *Anthrop. Lib. 2. cap. 28. pag. 265.* ubi addit: Romanas Mulieres velatas, togis prætextis huic parti sacrificasse Asino immolato. Asinum etiam Baal-Peori sive Priapo Deo sacrum fuisse, ex Histor. Academ. reg. Inscription. *Tom. I.* referunt Erudit. Lips. *Act. An.* 1718. *Mens. Aug. p.* 341. ubi etiam de origine fabulæ, qvâ Ethnici Judæis tribuerunt cultum asini, agitur. Apud Romanos in nuptiis adhibebatur Priapus nimis masculus, cujus super immanissimum & turpissimum fascinum sedere nupta jubebatur nova, more honestissimo matronarum & religiosissimô. Eundem ritum locupletare volentes, cubiculo, qvô maritus cum sponsâ concumbere debebat novus, appendebant pistillum, uti Gvernerus Rolfincius *de Partib. generat. dicat. Part. I. cap. 43. pag. m.* 85. ex aliis Autoribus allegat, insuper adhuc addens: Magnâ virile membrum olim fuisse in veneratione, contestatur principalis ejus significatio. Imago

Penis cultus.

 ejus

ejus tot Columnis in antiqvis Ægyptiorum monumentis incisa, tot Obeliscis notata, tot monumentis insculpta, magnum & rectum viri fortis designabat animum, &c. ubi plura reperies. Mulieres Ægyptiacas steriles spe ingravidationis impetrandæ Sacerdotum suorum Priapum osculari, refert Thevenot *Itinerar. Part. I. Lib. 2. cap. 74. pag. m.* 349. Fuit olim inter Ethnicos Priapi Idolum majus, qvod Mutinus vel Fascinus dictum fuit, huic nubentes virgines insidere vel alias illicitas actiones cum eôdem exercere tenebantur. vid. Jac. Wolff *de Amulet. cap.* 1. *Sect.* 1. *pag. m.* 9. Omnes Religiosorum in India ordines Sanctitatem affectant, precarium exercentes qvæstum, dumqve Cineribus se aspergunt, vaccinoqve stercore corpus jam sordidissimum uberius inqvinant, tam pestilentis putoris effluvia exhalent, ut præ illis Cloacæ omnes latrinæqve balsamum spirare videantur. Stupendâ hac sorditie apud stultissimam plebeculam venerationem sanctimoniæ & venantur & revera accipiunt. Mulierculæ imprimis sordidos hos mystas omni dignantur honore, usqve adeò, ut eorum membra, mephitim certè exhalantia, & qvæ pudor nominare prohibet, & osculentur & alia committant turpissima dictu, uti ex Neuhofio recenset Michael Frid. Lochnerus in Descript. animalculi Mungos dicti, *vid. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. App.* 69. 70. Imò juxta Walther. Schultzens Ost-Indianische Reise, *cap.* 15. *fol. m.* 161. ehren die Einwohner des Königreichs Canonor den Priapum als einen Gott, und richten sein Bildniß öffentlich in ihren Pagoden auf, wohin sich die angehende Eheleute verfügen müssen. Durch diesen Priapum wird den Jungfern, auff eine schmertzliche Art und mit Gewalt, mit Hülffe der gegenwärtigen Freunde und Verwandten, ihre Jungferschafft genommen, worüber sich alsdenn der Bräutigam erfreuet, daß der schändliche und verfluchte Ab-

Abgott ihr diese Ehre bewiesen, in der Hoffnung, er werde nun einen bessern Ehe-Segen erhalten. Plura de Cultu Penis seu Priapi, cujus nomine nil aliud, qvam rerum omnium Semen designari dicitur. v. Joh. Ben. Sinibald. *Geneanthr. L. 2. Tr. 2. p. m. 128. sq.* Priapi, simulacra in hortis statui ab antiqvis solita proventûs, qvi deposceretur significatum habebant. vid. Joh. Pier. *Hieroglyh. Lib. 34. cap. 29. p. 416.* qvô locô à pag. 413. usqve ad 419. varia reperies. vid. etiam Christ. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. I. Tit. II. p. m. 287. seqq.* Deliciar. Med. Chirurg. *p. m. 42. seq.* Item virilia seu partes, licet generationi humanæ necessarias, apud Ægyptios Verecundiæ ac pudoris causâ in secretis ac mysticis fuisse, videatur Joh. Petr. Lotich. *de Casei neqvit. §. 1. p. m. 3.*

§. 53.

Historica. Deniqve ad Historica qvoqve pertinet, qvod de Indâ qvâdam fœminâ refert Johannes Mocqvet, *Itinerar. Lib. 4. pag. m. 252.* eam scilicet ob suspicionem de clandestinô Mariti erga Mancipium qvoddam seu servam captivam amore, Instrumentum qvoddam ferreum, instar membri virilis, seu Penem ferreum igne condentem, hujus servæ partibus genitalibus applicari, hacqve incredibili torturâ mortem ipsi inferri curâsse. Indos alioqvin in Corporis cultu valde negligentes fistulâ aureâ Verpum inclusum exornare solere, cum reliqvas Corporis partes nudas habeant, refert Johannes Riolanus, Anthropograph. *Lib. 2. cap. 28. pag. m. 266. & p. 269.* ubi etiam scribit: Eleusinæ Cereris impostores Sacrificulos, postqvam per qvinqvennium anxios & anhelabundos advenas epoptas, magni alicujus oraculi cognitionem expectantes, & rei cujuspiam divinæ Majestatem qvandam videre gestientes, reliqvissent; tandem simulachrum virilis membri tot integumentis tamdiu coopertum, revelatum ostendisse. Ridiculam nimis-

misqve religiosam Impotentiæ Magiâ productæ curationem recenset Johannes Wierus, *Oper. Lib.* 4. *cap.* 36. *p. m.* 448. Mulier, inqviens, Catharina Loë nomine, cujus mihi nota Soboles, Viro nupta, hunc in initio comperit impotentem. Qvare â vario temerè qvæsitô consiliô, hæc in arâ D. Antonio sacra, Everfeldi in Ducatu Montensi, ubi degebat, ceream membri virilis effigiem, religionis ergo, ut à suo malò levaretur maritus, suspendit offertqve Sacrificus rei ignarus canone ad altare demissis oculis recitato, ut fieri solet, suspicit Priapumqve illum cereum inopinatò intuitus, Tollatur Dæmonium illud acerbe inqvit. Paulus Ammannus *Irenic. pag. m.* 157. post hæc verba addit: qvô facto impotens esse desiit. Qvod credunt hodie, non cras.

CAPUT IV.

De Seminis usu naturali & Generatione.

§. 1.

Seminis usus. QVantum Seminis virilis usum attinet, per se satis notum est, eidem nostram nos debere originem, idqve nos immortales qvasi reddere, dum redivivos nos in aliis Entibus, nobis similibus, exhibet. Negari tamen non potest, semen hoc masculinum etiam ipsi Subjecto, seu Individuo, in qvô producitur, insignes usûs præstare, qvanqvam modus id explicandi sit adhuc difficilis, nisi à spirituum præsentiâ, vel Seminis circulatione seu motu ejusdem regressivo ad sangvinem, deducere libeat. Illud autem qvendam perfectionis, vigoris atqve roboris gradum nobis largiri, non modò ex viribus & potentiâ generandi, circa annos pubertatis

Ratione subjecti.

tatis auctis, ſed etiam exinde cernimus, qvoniam Evnuchi, fœminæ, ac illi, qvi per continuos actus venereos nimium evacuantur, ferè inſtar infantum ac puerorum imbelles & imperfecti exiſtunt. Ob eandem qvoqve rationem barba producitur voxqve in Virô gravior redditur. Qvandoqvidem enim inter Evnuchum & alium virum nulla intercedit differentia, niſi qvantum ad liqvoris ſeminalis generationem attinet, exinde, ipſum hunc liqvorem in maſſam ſangvinis revertentem egregios hoſce nobis fructus afferre, credere fas eſt, juxta Daniel Tauvry *Anatom. nov. Part. I. cap. 11. p. m. 192. ſeq.* ubi etiam modum hujus uſus ita deſcribit: Semen vaſis ſeminalibus incluſum fermentatur & ibi morans qvandam acqvirit conſtitutionem, qvâ antea non gaudebat, plus nempe motûs & ſubtilitatis acqvirit. Qvando igitur in maſſam ſangvineam revertitur, mutationes in illâ producit, qvas producere non potuiſſet, niſi in vaſis ſeminalibus exaltatum fuiſſet. Qvando hæc vaſa ſemel repleta ſunt, & alius liqvor ad ea accedit, tum antea inibi contentus in poros venarum, ſenſim abire cogitur, atqve cum ſangvine circulans, ſpiritus qvaſi inviſcat, retinet & diſſipationem illorum impedit. Indeqve eſt, qvod poſtqvam inſignis hujus Olei copia in actu venereô pluribus repetitis actibus eſt profuſa, ſpiritûs aufugiant. Et ex hôc principiô debilitas illorum, qvi hoc liqvore deſtituuntur, debet explicari. Semen enim roborat partes membranoſas & potiſſimum pulmones & adverſus ſalia acria, qvæ tenues partium membranas lædere poſſent, munit; retinet etiam partes nutritioni deſtinatas & pilos creſcere facit. Præter hos effectûs etiam porrò excitat imaginationem, fermentationem in ſangvine ciet & hominem amori aptum reddit, &c. Plura de Seminis ad Maſſam ſangvineam regreſſu reperimus apud Sigismundum Schmiederum, *v. Ephemerid. Acad. Nat. Cur.*

Cent. III. & IV. Observ. 79. pag. m. 180. seq. Item Thomas Willisius *Tr. de Febrib. cap. 2. pag. m. 72.* hanc Seminis virtutem pariter à fermentô derivans, qvantus, inqvit, ab uterô & partibus genitalibus sangvini accedit vigor, hinc constat, qvia ab horum privatione aut Dyscrasiâ in Virginibus χλόρωσις, in viris barbæ sterilitas, vox tenella & virilitatis amissio seqvuntur. Item Vasa seminalia & partes genitales fermentô adeò turgere statuit, ut nihil supra. Videri enim sibi, ait, hîc locorum spiritum, Sal & Sulphur, simul compacta summeqve exaltatâ, in Semen, velut in Elixir nobilissimum, redigi. Actuosa hujusmodi principia non tantùm in Uterô pro fœtu efformandô fermentescere, sed etiam juxta ac vividum fermentum, universo sangvini, ut volatilior fiat, & acrior effervescat, inspirari. Hoc fermentô itaqve ritè se habente, in fœminis facies colore floridô suffundi, nec non ob luxuriantem sangvinem singulis mensibus, necesse habere ex Utero profluvium. Eandem esse virorum conditionem, qvibus ratione fermenti seminalis esse plurimum Caloris, vocem sonoram, pilorum in barbâ, inqve ingvinibus eruptionem, deficiente verò seu depravato ejusmodi fermento, in utroqve Sexu observari pallorem anhelationem, &c. viros fieri plurimum imberbes. vid. Joh. Conr. Barchus. *Histor. Medicin. Dialog. 17. pag. m. 510. seq.* Et Johannes Riolanus *Commentar. in libr. Fernel. p. m. 233.* de Præstantia Testiculorum & Seminis ita scribit: Carere eqvidem Testiculis possumus, non tamen sine manifestô detrimentô: qvandoqvidem hoc veluti focô & caloris fonte privati venas & arterias habent exiles, pulsûs parvos, gracilem vocem, corpus glabrum atqve, unô verbô dicam, evirantur. Faciunt ergò, non, ut vivamus, sed, ut meliùs & commodiùs vivamus. Et juxta Alphonsum Borellum Semen in Testibus de novô elaboratum talis est energiæ,

giæ, ut virilem perfectionem conferat, perficiat & roboret animum & corpus animalis. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 4. Observ. 32. p. 87.* Unde etiam videmus, illos viros, in qvibus Seminis generatio, à qvacunqve causâ, prohibita est, esse frigidos, timidos atqve segnes; id qvod exemplô cujusdam, qvi omnibus partibus externis ritè formatis nunqvam erectionem Virgæ senserat, nec ullô tempore Semen ejaculatus fuerat, probat Christianus Helwichius, *l. a.* Idem confirmat sicqve explicat Franciscus Zypæus, *Fundament. Medicin. cap. 3. Art. 6. §. 11. pag. m. 80.* Virile, inqviens, Semen Corpus roborat, qvatenus pro parte Spiritûs genitalis ex illô Venus intrat partibusqve distribuitur; Item, qvatenus illô in locis suis existente, non debet de novô tot spirituum animalium & vitalium ad Testes, eorum nervos aliaqve Seminis receptacula affluere, cùm eatenus viæ plenæ sint, & sic Spiritûs non ita à Corde, Cerebro & reliqvis partibus divertuntur, &c. vid. etiam Joh. Chrysostom. Magnen. *de Tabac. Exercit. 6. pag. m. 122.* Et secundum Ludov. Bellefont. *Medicin. Dogmat. Mechan. Physiolog. cap. 7. p. m. 36.* La Semence corrobere & fortifie tout autant qve les Esprits, dout elle est remplie, entrent dans les veines & se melent avec le sang, le quel par la Circulation les distribue ensvite à toutes les parties. D'ailleurs d'autant qve ces Esprits existent, il n'est pas besoin, que tant d'autres Esprits animaux & vitaux soient envoiez aux testicules & autres reservoirs de la Semence, puisqve ces parties en sont deja remplis & ainsi les Esprits ne sont pas tant divertis du Cerveau, ni du coeur & des autres parties. Par fois cependant la Semence se melant en trop grande quantité avec le sang, lui cause de grandes alterations & des Symptomes etonnans, introduisant une nouvelle sorte de fermentations dans les humeurs & troublant toute la masse. Ibidem etiam

dictus Autor pag. 37. rationem annectit, cur in castis non tantum Seminis generetur, en ceux, inqviens, qvi vivent châtement, il ne se produit pas tant de Semence; La raison est, qve les Esprits animaux enflent moins les parties & ainsi leurs fibres en sont moin dilatées. Cela fait, qve ces canaux s'etrecissent peu à peu & la matiere de la Semence n'etant pas admise, s'epand dans les lombes & autres parties voisines, & est emploiée à la nutrition. Circa qvem Ludovici Bellefontaine allegatum locum monendum mihi videtur, totum ex Francisci Zypæi Fundamentis Medicinæ exscriptum, verbisqve gallicis expressum esse, uti non modò ex proximè antecedentibus Zypæi verbis, sed etiam ex seqventibus patet. Ipsius enim verba, *l. a.* §. 12. sic sonant: Qvi Veneri non indulgent & castè vivunt, illis non ita multum Seminis generatur; nam paulatim angustantur viæ & materia Seminis, velut pedem retroferens in lumborum aliarumqve partium, qvas impingvat, nutrimentum cedit.

§. 2.

Ratione Propagationis.

Secundus virilis Seminis usus ad speciei propagationem pertinet, siqvidem, ad Conceptionem atqve liberorum generationem tam mas, qvàm fœmina concurrant, Semenqve suum conferant, necesse est. Neqve fœminæ per imaginationem impraegnari aut concipere possunt, qvin potiùs ordo divinus necessitatem utriusqve sexus ad hoc negotium infert, ubi in qvalibet specie viventis & generantis subjecti, masculinum & fœmininum subjectum & conjunctum observatur, juxta Michael. Albert. *Introduct. in Univers. Medicin. cap. 2. p. m. 28.* Hinc fabulis non immentè annumeranda Pomponii Melæ narratio de fœminis qvibusdam Insulanis hirsutis & sine Coitu marium suâ sponte fœcundis; item Relatio illa de Magdalena d' Auvermont, Hieronymi Augusti de Montelione, Eqvitis Gallici,

An sine Coitu conceptio?

lici, uxore, qvæ solâ imaginatione Emanuelem concepisse ante qvoddam tempus in Galliâ promulgabatur. v. Thom. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap. 31. p. m. 286.* Georg. Wolffg. Wedel. *Physiol. Sect. 3. cap. 28. pag. m. 204.* Casp. à Reiv. *Jucund. Qvæst. Camp. Elys. Qvæst. 41. §. 13. pag. m. 498.* Dan. Hartnacc. *Admirand. phys. Lib. 9. cap. 3. pag. m. 651.* Platonem qvoqve antiqvorum scripta fabulata sunt, non aliter, qvam Virginis partu editum, Berictione Matre Apollinis oppressâ phantasmate, vid. Lud. Cœl. Rhodig. *Lection. antiqv. Lib. 14. cap. 1. fol. m. 516.* Casp. à Reies, *Camp. Elys. Qv. 41. p. m. 498.* Imò prodiit Parisiis Anno 1631. typis publicis memorabilis sententia Parlamenti Gratianopolitani in causâ matronæ cujusdam, qvæ filium peperit sine virô, qvatuor post ejus absentiam annis, sine alterius viri consvetudine; qvam sententiam Medici Monspelienses & Obstetrices dicuntur approbâsse. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Epist. 16. pag. m. 88. & Histor. Anatom. Cent. VI. Hist. 61. p. 298.* ubi sententia dicta Parlamenti extat. Certe juxta Georg. Frid. Rall. *de Generat. anim. Sect. I. pag. m. 50.* hodie vix invenies adeò credulos maritos, qvi sibi tale qvid ab Uxoribus persvaderi patiantur, accedente licet Judicis sententiâ. Hanc tamen graviditatem fabulam esse, atqve à nebulonibus qvæstûs gratiâ inventam, ad allegatam Bartholini epistolam respondet Petrus Sanchius *l. a. pag. 90.* Plura de hac materia reperies apud Johan. Bened. Sinibald. *Geneanthr. App. de Hist. Fœtus Mussipont. p. m. 112. s.*

§. 3.

Circa Generationem autem, & qvidnam utraqve persona seu uterqve sexus ad eandem contribuat, diversorum temporum Autores diversas qvoqve foverunt sententias; qvorum pleriqve & qvidem veteres utrumqve, Maris & fœminæ Semen in utero convenire sibiqve conjungi, & ex utrôqve con- *Qvid contribuat uterqve sexus.*

 jun-

junctó seu ex eorum commiscelâ per varias alterationes fœtûs partes formari statuebant. Siqvidem juxta Godefridi Steegbii *Art. med. Lib. 1. cap. 4. fol. m. 3.* ab utrôqve parente in uterô maternô permistum Semen, acqvisitæ genitricis facultatis vi, uteri Calore adjutæ, segregat diversas, qvas in se habet, partes, easdem suis locis convenienter disponit, cùmqve tantillum sit, qvod etiam actu Caloris consumitur, egeatqve propterea ad nutritionem & augmentationem alimentô, continuò trahit ad se, per Uteri venas & arterias, sangvinem eumqve concoqvit, & assimilat sibi particula qvælibet, pro ratione suæ temperaturæ, ut maneat in generandô homine, qvalis semini erat à principiô indita proportio membrorum. Cui sententiæ etiam ex recentioribus subscribit Daniel Bechherus *Microcosm. medic. Lib. 1. cap. 13. pag. m. 68.* ab utroqve, inqviens, parente in Uterô maternô permistum semen varias ibidem subit alterationes & elaborationes, ut in perfectum deniqve abeat fœtum. Qvam sententiam, hominem scilicet ex mixto Parentis utriusqve Semine oriri, variis rationibus ex recentissimis Autoribus defendit Josephus Maria Vidussi. v. Act. Erudit. Lips. *An. 1718. Mens. April. p. 185. 187.* Alii cum Semine ad fœtûs formationem simul qvoqve sangvinem admittunt, qvia tantillum seminis ad omnium partium formationem non sufficiens exinde alimoniam ulteriorem susciperet; hinc etiam distinctio inter partes spermaticas & sangvineas ortum trahebat. Alii econtra putabant, ex solâ matre venire materiam producendo infanti aptam, ex genitura verò à patre collatâ solam venire formam. Locô tamen materiæ â Matre concessæ referebant non semen fœmineum, qvod in Uterô inveniri, aut ad eum pervenire negabant, sed sangvinem menstrualem in gravidis retineri solitum. vid. Joh. Paul. Pernum. *Philosoph. natural. Lib. 4. cap. 4. fol. m. 99.* Joh. Frid. Ortlob. *Histor.*

ftor. Part. Differt. 35. §. 10. *feq. pag. m.* 277. Jacob. Primeros. *Enchirid. medic. pag. m.* 34. Plura de Veterum circa hanc materiam opinionibus congessit Matthias Tilingius *Disqvisit. de Placent. uterin. p. m.* 2. *seqq.* De materiâ, an homo sine Patre & matre è terrâ putrescente, aut ex putrefactione provenire possit? vid. Chr. Frid. Garmann. *Oolog. curios. Dissert.* 2. §. 116. *pag. m.* 142. *seq.*

§. 4.

A veterum verò opinione recedentes Physiologi recentiores alias amplectuntur sententias, dum qvidam foetûs materiam in semine virili, qvidam in Ovariis muliebribus, & qvidam in utrisqve simul, qværunt. In Semine virili tam humano, qvàm aliorum animalium Vermiculos seu animalcula reperiri, jam supra *Cap. I.* ex variis Autoribus adduximus; ex ejusmodi animalculo foetum humanum ortum sumere, nonnulli recentiorum Medicorum, differenter tamen, sibi imaginantur; & inter hos expressis verbis scribit Antonius van Leeuwenhoeck *Epistol. ad Christoph. Vren in Arcan. Natur. detect. pag. m.* 30. *seq.* hominem non ex ovô, sed ex animalculô in Semine virili oriri, multò certiùs statuo, ac præsertim, cum reminiscor, me in Semine masculino hominis & etiam canis vidisse duorum generum animalcula. Hoc videri mihi imaginabar, alterum genus esse masculinum, alterum foemininum, &c. Scilicet tale animalculum aliqvod Semini masculino inexistens in foecundo congressu Matris utero adhærere, & exinde nutrimentum sugens, in foetum tandem abire, sive masculinum, sive foemininum, prout animalculum diversi sexus fuerit. Idem etiam passim docet, non Spiritus suggeri à mare, sed animalcula viva, longis caudis instructa, tam ineffabili copiâ, ut ad unicum ovulum muliebre plus qvam decem millia deferantur. Ejici hæc cum semine virili

Generatio secundum recensiores.

Ex vermiculo.

intra Uterum dicit, inibiqve hærere per moram plurium dierum, ac perreptare universa ejus interiora spatia, tandemqve emori cuncta, exceptô unô (vel alterô, si plures fœtus nascantur, unâ vice) qvod ad ovaria usqve, & in illis ad Cicatriculam seu punctulum illud pertingit, cui ad fovendum aptitudinem inesse deprehendit. Ibi hærens de die in diem crescit, suamqve, qvam prius præ se ferebat, vermis figuram immutans, penitus tandem in marem vel fœmellam humanam transformatur, prout scilicet sexus hic jam inerat vermi, fortè non absimili modo, ac sub diversissimâ figurâ apparet animal, ex spermate ranæ Solis ope exclusum, anteqvam in ranam perfectè abeat; uti ex eodem Autore allegat Christianus Johannes Langius, *Physiolog. Thes. 38. Oper. med. Tom. I. fol. m. 229.* Dicit etiam Abrahamus à Gehema, *Obs. med. Dec. 1. Observ. 8. p. m. 46.* Hominem non ex ovô, uti ab Anatomicis Seculi nostri præclarissimis usqve adhuc receptum est, sed ex vermiculô ortum ducere, Microscopiorum ope oculisqve attonitis cernimus, &c. vid. etiam Jac. Augustin. Hünerwolff. *Myster. fœcund. Gynæc. pag. m. 4.* it. Chr. Franc. Paullin. Langeweile, *cap. 58. p. m. 210. seqq.* Medicus Londinensis, F. Franciscus Billingerus, Embryonem conceptum pro vermiculo Seminis masculini, cum ovulo aliqvo intra ovarium matris unito habet, uti ex ipsius Dissertat. de Fœtus nutrit. referunt Acta Erudit. Lips. *An.* 1718. *Mens. Januar. p. 6.* Sic Benjaminus Brœchuysius *Ration. Philos. medic. theor. pract. cap. 4. p. m. 56.* generationis modum descripturus, dicit, ipsum semen masculinum exactam omnium partium continere qvandam delineationem, ut sit qvasi extractum aliqvod integræ cujusdam massæ, repræsentans Characterem in materiâ scilicet & formâ nobis per rationem, perceptibilem Microscopio deprehensum animatum, vel qvasi animalculis multis vividum.

Qvod

Qvod autem idem extractum aliqvod sangvinis humani existat, inde liqvet: cùm alioqvin non Corporis humani machinam produceret, sed promiscuè hujus aut illius bruti corporis Auctor foret. Et Ludovicus Bellefontaine hinc inde *in Tract. dela Medicine dogmat. mechaniqve* eandem defendit sententiam. v. g. *Exercit. 7. p. m. 35.* je croi, inqviens, ces petits animaux étre le vrai principe de la generation, & tous les animaux, qvelsqu'ils puissent étre chacun en son espece, avoir éte premierement un tel ver, lors qu'un ou plusieurs sont conduits à l'Ovaire par le ferment seminal, & sont insinuez dans les pores des ceufs. *Item p. 37.* inqvit: Les femmes n'ont point de Semence, si on n'entend par là leurs ceufs, desquels elles ont leurs testicules ou ovaires tous remplis & qvi lorsqu'ils sont rendus féconds par les vers & le ferment seminal, recoipent plus d'extension & tembent de leurs alveoles, &c. Et *Exerc. 20. p. 82. seq.* Generationem prolixè his verbis describit: Voici la mechanique de la Generation selon mon sentiment. La Semence virile est jettée dans la vagina de la matrice, & par sun certain mouvement peristaltiqve de cette partie elle est conduite dans la Cavitaté de l'Uterus. Cependant il s'éleuc de cette Semence un certain ferment avec les petits vermisseaux, qu'elle contient, aux trompes de Fallope & par là aux Ovaires. Lorsqve les trompes sont irritées par les sels volatiles de la semence, il y afflue beaucoup d'Esprits animaux, par les nerfs, à l'occasion de qvoi elles dilatent leur conduit, principalement l'extremité, qvi touche l'ovaire, appellée par les Anatomistes fimbria, en sorte qu'elles embrassent l'ovaire pour la plus grande partie; & le ferment Seminal avec les petits animaux entrent à l'aide d'un certain mouvement vermiculaire, dans les ceufs par un pere, qvi est dans leur envelope. Alors l'humeur contenue dans les ca-

neux de l'oeufs est agitée & rarefiée ; les femmes en ce temps-là à cause de la volupté & chatouillement qve leur cause l'injection de la Semence virile, dechargent par certains vaisseaux excrétoires ouverts dans le vagina beaucoup d'humeur sereuse, qve j'ai prouvé ailleurs n'etre point semence ; elle peut pourtant aider à la Conception en delarant & rarefiant la Semence, afin qve le ferment seminal avec les vermisseaux s'en puissent mieux separer pour être puis aprés par le mouvement vermiculaire conduits aux ovaires. Porrò *pag. 94.* scribit : Le Vermisseau dans la matrice deja grandelet & aiant la forme humaine, change de nom & est appellé Embrion. Et *pag. 333.* Les vrais principes de la Generation sont certains petits animaux ou vermisseaux, visibles dans la semence des animaux mâles, par le moyen du Microscope, lorsqu'elle est recente & écumante, de figure longue & ronde, ayant la téte grosse à proportion du reste du corps, les bras & les jambes invisibles à la verité faute d'extension, mais ils sont mens d'un mouvement rapide. Les Vermisseaux sont formez dans les replis des Vaisseaux des testicules & epididymes, apres la Cribration des parties dela Semence, Tans les delineamans & le type du Corps humain sont dans les vermisseaux de la Semence virile. Il en est de même dans les autres animaux, chacun selon son espece ; de sorte qu'il n'est besoin d'autre chose, lorsqve le vermisseau est dans l'oeuf feminin, si non qve le ferment seminal survienne, à fin d' exciter la chaleur dans ce petit Coeur, & que les humeurs soient mises en mouvement, &c. Alius Autoris Gallici, nomine Andry, cogitatum de Generatione vermiculi seqventibus verbis exprimit Johannes Conradus Barchusen *Histor. Medicin. Dialog. 4. pag. m. 64. seq.* videlicet arbitratur, vermiculos spermaticos, separatô priùs ab Ovario, & casô in Uterum ovulô ultrò citroqve Uteri

Uteri cavitatem perambulare tandemqve dicto ovulo fieri obvios idemqve gyrare supergrediqve. Præter hæc conjectat, ovulum in extremitate, qvâ ovariò adhæsit, habere foramen aliqvantulum, juxta ac pomum decerptum à pediculô, cui adnectitur. In hoc tandem unicum vermiculum irrepere occludiqve, qvem deinde sepositâ caudâ, sicut hoc ranulis usu venit, transformari verum in homunculum: exire autem modò memoratum vermiculum ex ovulô non posse, qvia valvula impediat, qvæ qvidem ingressum ei permittat, sed deneget exitum. Cœterùm deniqve vermiculorum ineffabilem numerum mori præterqvam plura ovula ad ingrediendum invenirent. Prolixè hanc opinionem defendit ipse Nicolaus Andry Tr. dela Generation des Vers dans le Corps de l'homme cap. II. p. 190. seq. ubi de vermibus spermaticis agit, qvòdqve omnia animalia ex Verme fiant, monstrat. Item *H. G. Herfeld. Tr. de Origin. Morbor.* hinc inde Semen modò animalculum, modò Ideas vocat, ejusqve in Uterô elaborationem *§. 30. p. m. 36.* ita describit: Hoc semen, sive sit animalculum, sive Idea, signaturas totius creaturæ producendæ in sese comprehendens, qvando per Penem in Vulvam Matris, tanqvam semen sinui terræ committitur, penetrat vi suæ spirituositatis, ibiqve fermentescit, indies per appositionem particularum ex spermate matris segregatarum, magis magisqve nutritur & jam mater fœta redditur gravida. Qvodsi matris sperma huic patris animalculo respondet, ita, ut pori sese accommodent ad socios hosce sui similes in poris illius sese insinuantes amplectendos, fœtus exultat vegetus: Sin minus, contrarium eveniet. Proin qvò pater & mater sunt vegetiores, semine constantiores, eò reddent fœtum vegetiorem constantioremqve, &c.

§. 5.

Aliis displicet. Hanc tamen per vermiculum & animalculum cum Semine virili Utero virili commicatum factam conceptionem & generationem fœtûs humani aliis Autoribus non æqve approbari videmus. Licet enim Martinus Lister *de Humorib. c.29. p. m. 297.* Seminis genitalis maximam partem ex animalculis consistere concedat, nihilominus tamen eosdem solum ad Veneris incitamentum, ad inflammandam virorum venerem, non autem ad futuram aliqvam alterius generis animalium procreationem vermiculos hos generari statuit, *l. a. cap. 42. p. m. 396.* Et modò allegatus *H. G. Herfeld. l. a. §. 47. p. 67.* ita sentit: In coitu ejaculatur Semen seu Sperma imprægnatum multitudine Spirituum animalium, ut inde Semen moveatur, qvod per Microscopium D. Leuwenhœck observat, atqve propterea putat, esse hoc Semen animalcula congregata, eò qvod moveatur; Sed qvàm absurdè illud statuunt, qvisqve facilè conjicere potest, cùm potiùs dicere debuisset: esse Ideas seminales, Spirituum multitudine imprægnatas, &c. Item Christianus Vater, *Physiolog. experiment. Sect. 7. Art. 2. cap. 7. Qv. 2. p. m. 671. seq.* dictam Opinionem his rationibus impugnat, qvia 1.) Vermiculi isti à nemine observantur in Seminibus. 2.) Etsi observarentur interdum, illi tamen non statim erunt futuri fœtûs. Dantur præter naturam Vermes in aceto, lacte, sangvine & forte etiam in Semine. 3.) Non apparet, qvomodo Vermiculi isti, qvos depingit Leeuwenhœck in Canes, cuniculos, homines possint transformari. 4.) Hac ratione nullus usus ovorum fœmineorum esset nec Conceptio per fœcundationem Ovorum fieret, cùm tamen Embryones in oculis, etiam primô, secundô, tertiô Conceptionis mense reperiantur. 5.) Hac ratione generatio & productio animalis & hominis à solo mare dependeret, & qvæ plura absurda exinde seqvuntur.

Ut

Ut deniqve etiam Opinionis hujus vermicularis refutationem Christiani Johannis Langii satis prolixam, pace benevoli Lectoris addam, ex ejusdem Physiologia, *Thes. 38. fol. m. 232. sq.* seqventia adserere liceat: Fateor, inqvit, opinionem hanc Leeuwenhœckii incautum lectorem facilè posse decipere, cùm eam avtopsiæ tam multiplici innixam elegantiqve exemplô generationis ranarum illustratam sistat. Qvoniam verò paucissimis licuit esse adeò felicibus, stupenda hæc phænomena in seminibus propriis usurpare oculis, Inventor enim sibi soli scrutinium hoc servavit huc usqve, unius verò hujus Autoris observata paradoxa assensum communem haud potuerunt adipisci. Postqvam autem alii artifices æqvè exqvisita microscopia composuerunt, uti imprimis sunt illius ingeniosissimi Angli, cui nomen Joh. Mallet, insigniter à præconceptâ opinione deceptum esse Leeuwenhœckium, ad oculum nunc constat: Illud siqvidem, qvod pro vermibus caudatis adeò copiosis habet, nihil est aliud, qvàm activa portio seminis intra viscidas moleculas agitata, qvausqve sensim sensimqve consumpta, fibrillas qvasdam immobiles post se relinqvat, qvas pro Cadaveribus vermium Autor hic venditat. Qvæso enim, qvid opus esset decem millia ad minimum animalcula emitti in qvovis coitu, ut in uniparis unicum saltem ex illis in vivis maneat? Reliqvis cunctis miserè sineqve ullô emolumentô aut fructu intereuntibus? Qvomodo concipi poterit transitus hujus animalis seu vermiculi ad Ovulum, sine ejus manifestâ destructione? Nam qvi instantiæ loco opponuntur Vermes fructuum, nucum, lignorum, non per Cortices & putamina transeunti, nisi cum illorum læsione notabili, & sine dubiô organis instructi sunt, operationi huic aptis, qvem apparatum tamen in his vermiculis nondum demonstravit Lynceus illorum Inventor. Sed licet darem adversario, occultum talem in-

ingressum horum vermium ad interiora ovuli, qvomodo explicabit arctam illam connexionem & contiguitatem cum vitello ovorum in Ovi paris, & cum Cotyledonibus, aut glandulis vel placentis, in animalibus viviparis? qvæ tamen à primis originibus ad partum usqve inter fœtum & has partes notatur. Advenam ergo istum vermem mox indigenum fieri, res est omninò mirabilis. Et qvid dixerit Adversarius de illis animalibus, qvæ ova adulta ipso in coitu ejiciunt, num & in momentô illô, ac vermiculi adhærescunt externis ejus partibus, à seminis adspersione ad interiora perrepere & sedem sibi adeò fixam parare poterunt? Postremò mirandum, cur solùm in Semine & humoribus Uteri serosis, & non in oculô ipsô Vermes hos per sua microscopia animadvertat Adversarius, qvale qvid me apud ipsum legisse non recordor? Hæc Langius.

§. 6.

Porro contra hanc hominis ex Vermiculô generationem argumentum ex Myssenbrochio, & aliis Autoribus à variis vermiculorum in Semine humano observatorum generibus, petit Christianus Fridericus Garmannus, *de Miracul. Mortuor. Lib. 3. Tit. 1. §. 89. p. m. 879. seq.* Qvæ de Vermiculis, inqviens, in Semine animalium protulit Leewenhœck, hactenus in Microscopiis exercitatissimos fugerunt oculos, Myssenbruchium si excipias, qvi Microscopii ope Semen humanum animalculis multorum generum, qvod attendi velim & inde ad generationem hominis nihil conferre concludi, repletum, idqve verissimum esse postea dixit D. Voller. *Act. Hafn. Vol. V. Observat. 7. p. 24.* Frid. Schrader. *Epist. de Microscop. p. 34.* Fr. Ign. Thiermaier. *Lib. 1. Cons. med. cap. 7. in scholo*, cùm contra Ovorum, è qvibus bruta, conspectus vel lippos non lateat, eaqve oculô non armatô conspici valeant & demonstrari.

ſtrari. An præjudicium occœcarit Lynceum, non dicam, an ſtrias & ſtamina, aut aliud qviddam armatum confuderit oculum, nec mihi ſatis conſtat. Talia verò ſtamina in Chylo, lacte & Semine facile viſui ſe objiciunt, qvod ſi moveri videntur à motu humorum inteſtino, in mortuo etiam ad aliqvale tempus perennante, oculos faſcinante continget. Qva ratione autem numerum iniverit animalculorum, etiam mentis acrimonia vix poterit eruere. Cur hominem ὠοτόκον fecit σκωληκότοκον? & ſi dantur hujusmodi animalcula. Oviparorum Ova impprægnantia, cur hominum & brutorum Ova explodendo non eandem methodum naturam ſervare in brutis & hominibus contendit? Demum cum imprægnando ovo aut Utero unus ſufficiat Vermiculus, cur tot mille, in qvibus etiam idea animalis, peſſum eunt, dumqve unum generatur lucemqve videt, centena millia orcum ſubeunt & tenebras? Prolixè etiam pluribusqve rationibus Leeuwenhœckii ſententiam refutat Autor Medicus, Andreas Ottomar Gœlickius, cujus verba pace dicti Autoris huc inſerere liceat. Inqvit autem Exercitation. ſubſecivar. Francofurt. *Tom. I. Sect. 1. Exerc. 1. §. 7. pag. 13.* Ingenioſum qvidem, ſed ridiculum inventum, vel potius figmentum eſt Leeuwenhœckii; is enim mirabilium ſuorum Microſcopiorum beneficiô in Semine maſculinô, pauca tepidâ dilutô detexiſſe ſibi viſus eſt innumerabiles exiguas, aliilongas, caudatas, vivas angvillulas, alteri humoris ſeminalis parti innatantes, qvibus, conſvetâ ſibi, qvavis in re qvidvis fingendi, licentiâ id inſuper adfinxit, qvòd prima futuri corporis humani rudimenta in ſe contineant. Qvotiescunqve verò in has ſimilesqve Leeuwenhœckii ſpeculationes incido, toties vel animam verminoſam habuiſſe, vel vermiculos morales in cerebrô aluiſſe eundem, invitus agnoſcere cogor. Qvàm fabuloſa autem videatur omnis hæc traditio,

tio, tantanere nihilominus mirandum eſt, adplauſum eandem inveniſſe planè penes illos, qvi Juventuti Academicæ in arte ſalutari inſtruendæ ſunt præfecti. Vellem autem, hos maximopere ſibi cavere, ne ἀλλοτρίωσιν talem committerent, neqve vacuos Philiatrorum animos talibus ſpeculationibus imbuerent, qvæ non ſolùm varia impedimenta Theoriæ medicæ veræ objiciunt, ſed & falſas & ab attentâ Obſervatione clinicâ remotas intentiones curativas alienamqve planè praxin gignunt, atqve adeò plus ſemper damni, qvàm emolumenti adferant. Hermannus Bœrhaave, qvi Medicam artem in Academiâ Lugdunô Batavâ publicè profitetur, curioſâ Leeuwenhœckii detectione, Microſcopiorum ſuorum ope factâ, allectus non modô calculô ſuô adprobat, caudata talia animalcula viva in recenti Semine maſculinô, & omni qvidem homine, qvadrupede, ave, piſce, amphitio, inſectô &c. reperiri; ſed & probabile inde reddi exiſtimat, exigua hæc oblonga, viva animalcula, humori genitali innatantia, vera futuri corporis humani rudimenta intra ſeſe continere. Tandem fiendi modum, juxta qvem conceptionis negotium in fœmellâ fiat ac peragatur, ita inſtruit: Maſculinum ſcilicet Semen, angvillulis vivis undiqve ſcatens violentô impetu in uterum muliebrem, eô pariter tempore turgidum & levi qvaſi inflammatione adfectum, ovulo occurrens, parte ſua vivaci, utut incredibiliter parva, per dilatatos tum poros membranulæ ovi intrare, ibi retineri, ſuſtentari, foveri ac nutriri, donec umbilico ſuo adhæreſcat, reliqvis interim animalculis minùs vivacibus ſuffocatis & invalidis factis; atqve eô demum modô fieri conceptionem in fœmellâ. Hîc autem qværit allegatus Medicus Francofurtenſis, unde Leeuwenhœckio ejusqve adſentatoribus conſtiterit, particulas illas, qvas in ſemine maſculino recens emiſsô hinc inde motitatas obſervarunt fuiſſe animalcula viva?

Si

Si caudata (ex hypothesi) conspecta fuerint ista animalcula, eaqve prima futuri embryonis rudimenta contineant, cur non pariter foetus prodeunt caudati? Si in perpetuô & nunqvam interruptô motu constituta sint animalcula ista, miraculo proximum videtur, qvomodo nihilominus figuram suam in transitu per subtiles membranarum ovuli porulos tam constanter sartam & inviolatam conservare qveant? Si innumerabilia sint, unde qvæso est, qvòd reliqva omnia fatua sint, inertia, minùs vivacia & qvasi suffocata, unô vel alterô tantum existente foecundô, vivaci & ovulum in actum concitandi energiâ instructô? Qvomodo sine subtilium suorum organorum dislocatione vel distorsione partium fieri unqvam potuit, ut per arctos tubarum Fallopianarum ductus ad Ovarium usqve ascenderent dicta animalcula, ibidemqve hærendo vel foetus ovarios vel tubarios constituerent? Utroqve enim in locô, rariùs licet, embryones repertos esse, Observationibus Auctorum nimis comprobatum est, ut negationi nullus relictus esse videatur locus. Si in solô Semine masculô resideat futuri foetûs rudimentum, frustra sterilitatis culpa rejicietur in foemellam. Si humor prostatarum Semini crassiori in transitu permixtus eidem vehendo ac planè diluendo inservit, metus est, ne vel figura embryonis destruatur, vel, si hoc non fiat, nullam certè proportionem spissum tale liqvamen habebit ad tenellum ejusmodi animalculum nutriendum: Ubi verò manent totidem animalcula, sine dubiô animata, cùm viva esse fingantur, in frivolo qvodam & frustraneo coitu? An una, vel qvod secundum assumptam hypothesin maximè probabile videtur, plures simul angvillulæ per poros membranarum ovuli, undiqvaqve coitus tempore hiantes, insensibiliter irrepunt? & si hoc, cur mulieres ordinariè non sunt multiparæ? cur, qvæ unâ ovuli parte ingressa est angvillula, non alterâ, eâdem denuò facili-

tate, elabitur? an ideò forte retinentur, qvia caudatæ sunt, aut qvia muscipulæ instar ovulum, qvod semel ingressum est, evadere non sinit? Cur verò, si plura simul ingrediantur animalcula, unicum tantùm cæteris omnibus vivacius est? Qvare reliqva minus vivacia? Et à qvâ causâ suffocantur? An penetrant in uteri cavum usqve, an verò, peractò coitu, una cum crassamento Seminis, denuò elabuntur? An verò per tubas ad Ovarium usqve adscendunt? Si Conceptio fiat, semine masculinô vel in aliqvô Tubæ Fallopianæ recessu ovulo occurrente, vel in ipso Uteri cavô illud offendente, qvæ obsecro causa est, qvæ ovulum ab ovario & reliqvorum ovulorum consortio, cum qvibus arctissimè cohæret, separaverit & vel in Oviductum, vel planè in ipsum Uteri cavum devoluerit? Taceo innumeras alias difficultates, qvibus monstrosa Leeuwenhœckii Chymæra undiqve premitur & urgetur. Huc usqve Medicus Francofurtensis. Contra illam Leeuwenhœckii sententiam, qvod scilicet ejusmodi Vermiculus Semini masculino inexistens in coitu fœcundo matris utero adhæreat atqve exinde nutrimentum sugens tandem in fœtum abeat, pugnat etiam Conceptio tubaria. Qvodsi enim Conceptio statim fit in Utero, unde conceptiones tubariæ oriuntur? Prætereà non tantum in Canibus fæmellis tertiò aut qvartô, sed etiam in hominibus sextô aut septimô post fœcundum Coitum die in utero planè nihil, bene tamen in ovariis aliqvot ovulorum mutationem eorumqve per Tubas Falliopianas ad uterum progressum observare licet.

§. 7.

Conceptus tubarii. Dari autem Conceptûs tubarios confirmant exempla à Medicis annotata. Ejusmodi fœtus Parisiis in dextra Uteri Tuba reperti meminit Casparus Bartholinus, Thomæ filius, *Actor. Hafniens. Volum. V. Observat. 13. p. 53.* Et in Epistol.

de

de Ovar. Mulier. pag. m. 36. hanc Obſervationem, Venetiis à Jacobo Grandio factam, ſibi à Franciſcô Nazario monſtratam fuiſſe refert, & ita qvidem delineatam, ut non ſolum fœtus extra Uteri cavitatem, ſed & ovum delapſum, in qvô primum fœtus rudimentum viſum fuit, cerneretur. Qvatuor fœtuum ex Tubis Uterinis exſectorum ex Johanne Riolano meminit Thomas Bartholinus, *de inſolit. Partus viis Cap. 11. p. m. 74.* in qvô capite de Embryonibus ex Tuba Uteri erumpentibus diſſerit. Eadem Riolani exempla allegat etiam Regnerus de Graaf, *de Organ. Mulier. cap. 14. pag. m. 351.* Et Benedictus Vaſſalius, Chirurgus Pariſienſis, in mulieris triginta duorum annorum ætatis, corpore Anno 1660. die 6. Januarii, diſſecto duas matrices repeiſſe putans ſeqventia annotavit: Hæ duæ matrices tam egregiè diligenti naturæ curâ diſpoſitæ erant, ut, qvæ vera erat, undecies conceperit, nempe ſeptem maſculos, & qvatuor fœminas, omnes juſto tempore natos & ad amuſſim efformatos. Hos verò demum ſecutus eſt frater, tantum fœtus, qvi in adjuncto Utero conceptus eſt, in locô extenſionis adeò impatienti, ut cùm ampliorem locum qværeret, poſtqvam matri per duos menſes & ſemis graviſſima ſymptomata effecerit, demum circa trium vel qvatuor menſium ætatem repagula ſolvit & ſuum in matris tumulo reperit; vaſtâ ſangvinis effuſione in tota abdominis capacitate effecta, qvæ matrem in tam violentos motus convulſivos totum triduum conjecit, ut diem ſupremum obierit. Qvid autem poſt ſectionem repererit & partium figuras, de qvibus ſermo eſt, typis commiſit. *vid. Henr. Oldenburg. Act. Philoſ. Angl. A. 1669. Menſ. Jun. p. m. 814. ſeq.* Qvodſi autem ipſius figuram *p. 815.* conſideramus, facillimè apparet, Uterum ſpurium, à Vaſſalio dictum, revera non eſſe uterum, ſed Tubam Fallopianam ad magnitudinem fœtu expanſam; ſicqve Conceptionem hanc

 fuiſ-

fuisse tubariam. Aliud fœtus in Tubâ concepti exemplum die 15. Aprilis 1673. Amstelodami publicè in Theatro demonstravit Fridericus Ruysch in muliere, qvæ brevi postqvam concepisset repentinô aliqvo casu interierat. In hac Tuba non solum dextri, verum etiam sinistri lateris, solito rubicundiores, crassiores & magis distentæ erant. Dextri lateris tuba versus ovarii aperturam erat intorta; Uterus solitò crassior, rubicundior & fungosior, ejusqve cavitas liqvore limpido repleta, cui innatabat fœtus rudimentum, substantiæ mucilaginosæ; qvod rudimentum seqventi die ita resolutum est ab aëre, ut ejus ne vestigium qvidem sit relictum. In illo fœtus rudimento nullam humani corporis figuram videre potuit Ruyschius, itaqve etiam, an illud rudimentum embryo; an vero ad Ovum fœcundatum sit dicendum, anceps hæret. Observatu qvoqve dignum est, Ovarii fœcundati Cavitatem, aut aperturam, è qvâ ovum exciderat, haud solum fuisse coloris intense rubicundi, verum etiam spongiosam sicut in uterô, fœtu jam jam in lucem editô, semper videre est, adeò, ut videatur ovum in ovario ferè foveri, qvemadmodum fœtus in Utero. vid. Isbrand. de Diemerbr. *Oper. anat. Libr. 1. cap. 24. fol. m. 135.* Anno 1682. Parisiis perfectum fœtum in dextro Ovario post matris mortem se vidisse testatur Dominus de S. Mauritio. vid. Mich. Ernest. Ettmüller. *Epist. ad Frid. Ruysch. de Ovar. nov. Nabothian. p. m. 4.* Conceptionem tubariam in aliqvot Cadaveribus dissectis se observasse scribit Benjaminus Benedictus Petermannus, *Observ. medic. Cent. 2. Obs. 9. pag. m. 40. seq.* Lectu maxime digna est Epistola, qvam Abrahamus Cyprianus Anno 1700. ad Thomam Millington *de Historiâ fœtus humani* post viginti & unum Menses ex Uteri tuba, matre salvâ ac superstite excisi Lugduni Batavorum edidit, ex qva hunc Casum ob varias annotatas cautelas huc transscribere li-

liceat; Die 17. Decembris, inqvit pag. m. 5. Anno 169¼. vocabar Franeqverâ Leovardiam invisurus uxorem Henrici Lewis, sub signô Capitanei Peterson, militis Prætoriani Hermentie ten Boom vocabulo Belgicô appellatam. Hæc annos circiter triginta duos nata & cessantibus menstruis jam tertium imprægnata ad nonum usqve mensem, se experta est, qvoad omnia ingravidationis signa in eodem statu ac dum aliàs Uterô gereret, hoc unô exceptô, qvòd totô illô tempore nihil lactis in mammis apparuerit. Molestior etiam ipsi videbatur & insolita gestatio, imprimis cùm fœtûs vivacis motum fortiorem & auctum persentiret; Crevitqve maximè molestia gestationis, cùm locô non consvetô, sed paulò altiori situm esse fœtum deprehenderet. Ubi verò instaret pariendi tempus, tum magnos dolores sensit, tum etiam motûs in fœtu vehementiores, adeò, ut jam partus appropinqvare videretur: verùm omnia irritô prorsus successu. Nam præter crebras & magnas insvetô in locô motiones nullus fœtum egerendi conatus adfuit; neqve ulla aqva Amnii effluxit. Exinde omnis spes partûs legitimi evanescebat & cessante tunc omni fœtûs motu, ac paulatim meliûs sese habente ægrâ fœtum in hoc infanti fœto cessisse non est, qvod dubitemus. Elapsô Mense decimô fluxerunt de novo menstrua per totam gestationem suppressa, neqve jam ampliùs motus aliqvis in fœtu deprehensus, sed pondus tantùm iners & incommodum. Hæc indies augebatur molestia, sed præcipuè circa mensem decimum octavum ea fuit Symptomatum ingravescentia, ut lecto decumbere mulliercula cogeretur. Paulò post de dolore acutô circa umbilicum partesqve vicinas conqveri cœpit; huncqve dolorem duabus septimanis ante fœtûs extractionem Ulcus fungosum in regione Umbilici subseqvebatur. Ego cùm primùm ægram conspexissem, & tam præteriti, qvàm præsentis

 ejus

ejus ſtatûs circumſtantias omnes ad examen revocâſſem, eam fœtum mortuum geſtare aſſerere non dubitavi, ægramqve admonui, ſi ſectionem admittere vellet, ſpem adhuc aliqvam ſalutis ſupereſſe, cùm cæteroqvin mors miſeranda eam præſtolaretur. Ipſa admonitioni meæ faciles præbens aures conſtanti animô ſe qvodlibet paſſuram dixit, ut fœtus qvamprimum eximeretur. Omnibus igitur ad excisionem paratis hoc modô procedebam. Introductô per Ulcus ſtylô abdomen à latere dextrô aperui, ac Indicem digitum immiſi: ubi verò me intra Tubæ Fallopianæ Cavitatem perveniſſe deprehendi juxta rectitudinem lineæ albæ, forcipe ſupra digitum poſitô deorſum ſciſſuram feci, qvantam unâ vice poteram. Tunc fœtus illicô in conſpectum venit, isqve juſtæ magnitudinis. Hunc ut faciliùs absqve ullâ vi eximerem, aperturam utrinqve produxi ad pedalem usqve longitudinem, manuqve ſiniſtrâ leviter premendo inteſtina, aliàs operationem turbatura, ſi motu Diaphragmatis extruderentur, in Cavitate detinui ac fœtum absqve multô negotiô integrum extraxi. Qvin etiam in majorem cautelam, ne Inteſtina delaberentur, ægram ita collocaveram, ut ſuperiores corporis partes aliqvantulum eſſent depreſſæ; imò in eodem hoc ferè ſitu permanſit muliercula, donec prorſus convaleſceret, ad vitandam ſcilicet Herniam ventralem, &c. Reliqva in hoc Caſu obſervata & circa ejusmodi Enchireſin obſervanda, *vid. l. a. p. 10. ſeqq.* atqve ſic poſt ſectionem qvodammodo cæſaream convaluit hæc mulier & tertiô ab operatione menſe, decimo ſeptimô nempe Martii 1695. domô exivit bene ſe habens & pancratiçè vivens. Tandem, neqvidqvam deſit Caſui huic extraordinario, poſtridie Kalendas Januarii 1696. filiam feliciter peperit, iterumqve ſubſeqvente anno 1697. gemellos, filium & filiam enixa eſt. Hæc Cypriani Epiſtola etiam Gallicè reddita reperitur

in

in qvarta Editione du Chirurgien d'Hopital de Belloste. Aliud exemplum reperitur *dans les Nouvelles Observations anatomiques sur les Os de Monsieur Jean Joseph Courtial Obs. 10. pag. m. 86. seqq.* ubi infans perfectus atqve maturus instar puelli novem mensium in abdominis latere sinistrô sub Epiplao repertus est; de qvô ita judicat dictus Autor: Je crûs, que cet Enfant s'étoit echappé dela matrice, ou de ses trompes, & je m'attachay à decouvrir, d'où il étoit sorti. J'examinay la matrice dans toute sa superficie externe, & je la trouvay par tout fort unie, sa Cavité le fut de méme, les trompes dans l'etat naturel & les testicules aussi. Je croirois, que cet accident peut étre arrivé d'une de ces deux maniere. La premiere, que l'œuf de cette femme fecondé par la semence du male n'a put étne pris par la trompe, & qu'il est tombé dans le bas ventre & s'est attaché dans la suite aux vaisseaux de l'estomac & de l'Epiploon, où il a pris norriture & accroissement. La seconde, que cet oeuf a pû rester dans l'extremité dela trompe jusqu'a un certain temps, au quel l'Enfant s'est echappé de là dans le ventre, & la trompe s'est remise en son état naturel, &c. An verò ejusmodi Conceptionem tubariam Partus fœtûs vivi seqvi possit, benevolo Lectori judicandum relinqvo; qvalem nihilominus observationem communicat Verderius, Medicus Pictaviensis: Muliercula, juvencula obtulit se Verderio, tumoris duri & rotundi gratiâ, amborum pugnorum magnitudinem propemodum æqvantis, infra nothas costas lateris dextri eminentis: Etsi tunc temporis vivido esset & floridô vultûs colore, menstruæ purgationes non cohibitæ, anorexia non adesset, nul a Fica vel malacia, mammarumqve intumescentia, nullumve graviditatis familiare Symptoma conspicuum; ex fententiâ tamen Verderii tumor ille ortum duxit â fœtu in tubâ Uteri con-

conceptô. Opinionis fundamentum fuit, qvod tumor dictus non solùm doloris expers, caloris, gravitatis, febris nulla conseqvuta esset, in superficie nulla coloris immutatio, sed præsertim qvòd indies augmentum capesseret, prægnanti nullam molestiam inferens, si qvasdam concussiones exceperis, iis propemodum similes, qvas fœtus se commovens infert. Reverà â præscriptô levi exercitiô, per Verderium, ab opinione conceptâ non recedentem, litu præterea partis tumidæ ex oleô Liliorum ad partium relaxationem exitumqve facilem fœtui procurandum, tribus exactis hebdomadis peperit muliercula puellam vivam, terminum naturalem propemodum adeptam. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. Medicq - Gallic. An. 1. Mens. Decembr. Obs. 1. pag. m. 178. seq.* De ejusmodi Conceptione tubariâ ita scribit Carolus Drelincurtius, *de Conceptu Conceptus seu fœt. human. format. Perioch. 22. pag. m. 22.* Seminis virilis mascula virtus est tanta, ut spiritu suo genitali fortiori atqve generosiori impetum qvandoqve faciat in uteri prurientis ostia lateralia & sese in Oviductûs evehat. Exinde est, certè, ut ovum inibi præoccupet, nec in Uteri fundum prolabi permittat, sed obvium illud mediâ in viâ, in Oviductu sclicet, prole imprægnet sibi haud minùs, qvàm matri perniciosâ. Illinc qvippe, viâ ad partum nullâ, misellus infans peccati nescius, peccati fit reus, dum cæde nefariâ sese suamqve matrem miserè cruentat; uti Parisiis atqve Londini tantæ cædis patratores in flagranti delictô haud semel deprehensi sunt.

§. 8.

Ovula imprægnata. Deinde Ovula in Testiculis muliebribus seu Ovariis, post aliqvot à Conceptione dies, aliqvam mutationem atqve incrementum pati, confirmant non modò sectiones Canum fæmellarum recens imprægnatarum & aliorum animalium, sed eci-

etiam Autores Medici. Inqvit enim Johannes Conradus Peyerus, *Merycolog. seu de Ruminat. Lib. 1. cap. 5. p. m. 49.* Profectò fœminarum testiculos à coitu affici ac immutari, palam indicant pullulantia tubercula fibrosa & glandulosa, qvibus ovum qvodlibet fœcundum admirandô naturæ ingeniô liberatur atqve secernitur. Vidimus hoc & palpavimus aliqvoties, cùm in vaccis, ovibus & capris, tum præcipuè etiam in Damis vulgaribus cervini generis. Exigui qvidem, fateor, sunt Damarum testiculi, sed post Coitum fœcundum in alterutrô eorum papilla sive tuberculum fibrosum semper succrescit, qvô ovum seu conceptus ab ovariô liberatur, ut per tubam postea descendat in Uterum. In Ovulo cum Ovario etiamnum cohærente fœtum, eumqve tres lineas longum unamqve lineam cum dimidiâ crassum, & interveniente tenuissimæ chordâ membranis vesiculæ annexum observavit Autor Gallicus, Titre, v. Act. Eruditor. Lips. *An. 1706. p. m. 265.* Et alius Autor Gallicus, Bussiere, Epistolam de Ovo in Tuba Fallopiana Cadaveris fœminini dissecti reperto scripsit. De qva vid. Act. Erudit. Supplement. *Tom. III. Sect. 1. p. m. 45. seq.* Expresse etiam dicit Gulielmus Cockburn, *Oeconom. Corpor. animal. pag. m. 97.* ovula in Testiculis ipsis impraegnari, cùm ex Observationibus Harveis, qvi animalium Ova recenter in testiculos decidua nonnunqvam etiam in Itinere in Tubis Fallopianis sæpius reperit, ridiculum sit, qvod recentiores creduli ex Lewenhœckii figmentis de animalculis in Semine masculinô commentati sunt, qvæ si reperirentur, ad Uterum non facilè deferri poterint, nec adhuc satis unionem cum mulierum ovulis aut Semine explicuêrunt. Tale ovum fœcundatum in mulieris cujusdam Ovariô vidit & sistit Fridericus Ruyschius, *Thesaur. Anatom. VI. Prodrom. pag. m. 10. it. in ipso Thesauro p. 29. & 30. it. 89.* Item ovulum muliebre, maturum &

aurâ genitali turgidum, ex Ovario muliebri qvaſi petiolo pendulum, in Anatomiâ publicâ Cadaveris fœminini, Infanticidæ repertum & in Theatrô anatomicô Academiæ Viadrinæ die 7. Aprilis 1717. & ſeqventibus demonſtratum legimus Exercitat. ſubſecivar. Francofurtenſ. *Tom. I. Sect. 1. pag. m. 1. & §. 16. p. 29.*

§. 9.

Generatio ex Ovulo. Hinc potiùs pleriqve recentiorum Medicorum non à viris eorumqve Semine, ſed à mulieribus earumqve ovulis materiam fœtus petentes Geneſin hominis oviformem amplectuntur, qvi ſcilicet fœtûs ex ovulô in Teſticulis muliebribus ſeu ovariis primordia capere ſtatuunt: Non deſunt eqvidem ex Neotericis, qvi varia contra hanc ſententiam dubia movent, v. g. Johannes Ludovicus Hannemannus, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 55. p. 92.* & du Verney, Chirurgus Regius Pariſienſis, qvi diſſertatione qvadam de Generatione hominis, validis rationum argumentis & demonſtrationibus palam facere conatur, doctrinam Conceptionis per Ova eſſe erroneam. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. 2. Menſ. Mart. Obſ. 1. p. m. 57. & Jun. Obſ. 22. p. 158.* Item S. J. ſeu Sam. Janſon. *de Generat. homin. pag. m. 6.*

à qvibusdam rejicitur.

§. 10.

Defenditur Nihilominus tamen alii Conceptionem ovularem ſeqventi modô fieri validioribus adhuc argumentis defendunt; qvod nimirum, qvando Vir cum Uxore congrediens Semen ſuum in arvum muliebre ejaculatur, hoc eqvidem nunqvam aut rarò ad ipſam Uteri Cavitatem perveniat, Spiritus tamen genitalis, qvô in fœcundô præprimis coitu Sperma virile turget, ſive per vaſa uterina, ſive per alias vias, exempli gratiâ, per Tubas Fallopianas, teſticulis muliebribus ſeu ovariis imper-

tia-

tiatur, ibidemqve ovulum unum aut plura motu peculiari actuet; atqve hoc modô Impraegnatio fit atqve in Testiculô muliebri, ibidemqve prima foetûs stamina formentur. Exinde post aliqvot dierum spatium Ovulum impraegnatum per Tubam Fallopianam, qvae tunc temporis, in foeminis aestrô percitis turgescens erigitur atqve testiculum amplectitur, aut successivè Ovario se appropinqvat, ad Uteri Cavum feratur; cui postmodum mediante placentâ annectatur atqve in suis membranis ad certum partûs tempus commoretur. Ex qvo patet, solam matrem foetui materiam, Patrem verò formam suggerere.

§. II.

Qvam opinionem de foetus materiâ non tantummodò recentiorum pleriqve, sed etiam veterum nonnulli foverunt, siqvidem, uti jam suprà ex Hieronymo Mercuriali adduximus, jamdudum Avicenna dixit, paucum Viri Semen ad generationem sufficere, qvod in ipso posita sit vis formatrix, & pro materiâ & generandis membris postmodum praestare ipsum semen muliebre. Succum illum in Testibus elaboratum, qvem alii Medici Semen virile nuncupant, Bernardus Connor *Evangel. med. Art. 10. p. m. 62.* fermentum tantùm Viri seminale vocitare mavult, qvia non in ipsô, sed in foeminâ tantùm Semen seu Germen continetur; Et *pag. 64.* ita de generatione loqvitur: Post elapsos qvosdam aetatis annos Vir & Foemina ab auctô nativô Calore & humorum fermentatione venereô qvodam oestrô perciti ad oscula & mutuos amplexus libidinem satiaturi ruunt. Hoc in congressu Vir, non sine voluntate in Uteri muliebris cavitatem seminale illud fermentum seu succum illum fermentaceum emittit, qvi in Testibus elaboratur. Hic succus partim cum circumeunte sangvine, partim rectâ viâ per tubas Fallopianas ad Seminaria fertur, &

ab Autoribus;

explicatur;

Semina in illis, tanqvam in totidem diversis nidulis latentia, auræ instar prolificæ subit & penetrat; & prout unum aut alterum ex seminibus erit maturum, nempe prout debitam dispositionem seu magnitudinem acqvisiverit, fermenti instar illud rarefaciet, intestinum inqvam & expansivum motum cum limpidô & lymphaticô seminis latice, in qvô delineata fluctitant Corporis stamina, inibit, eundem attenuabit, stamina ipsa expandet & distendet, porulos eorundem aperiet; sicqve attenuatus ambiens liqvor dilatatos staminum porulos subibit, ipsos ampliabit & largiùs nutriet, donec crescente indies Seminis mole, membraneum domicilium tandem præ magnitudine disrumpet, & per annexas tubas in Uteri cavitatem Semen delabetur, &c. Qvid uterqve sexus ad hoc negotium contribuat, seqventibus verbis dicit Christianus Johannes Langius, *Oper. Medic. Tom. III. Disp. 38. fol. m. 509.* Mas, inqviens, Semen in Testiculis è sangvinis flore secretum inqve vesiculis seminalibus ad tempus usqve coitus asservatum, una cum liqvore prostatarum utero inspergit muliebri, dum nerveo suo bipalio arvum illud fodit. In qvô momentô mirâ jucunditate perfunditur fœmina venereo œstrô jam flagrans, ipsius namqve verenda loca, turgida tum ac verè inflata, arctè amplectendo tantorum gaudiorum autorem reciproca, satisqve amœna titillatione afficiunt non solùm, sed Semen qvoqve emissum avidè admodum excipiunt, perqve Tubas Fallopianas ad ovaria mittunt, pro fœcunditate unius aut plurium ovulorum inibi sub membranaceo tegmine latitantium, Michael. Alberti *Introduct. in Univers. medicin. cap. 2. §. 26. & 73. pag. m. 31. & 37.* ad Generationem principium, aliqvod formans rationale, loco spirituum, & ovulum præsupponit. Et *§. 6. p. 35.* asseverat, qvod in negotiô Generationis Pater suppeditet principium formans, sive animam; Mater verò reliqvis re-

qvi-

qvisitis ad generationem spectantibus diversimode prospiciat. Plura de illâ Hypothesi vid. Frider. Hoffmann. *Fundament. Medicin. cap. 8. p. m. 32.* Joh. Muralt. *Colleg. anat. Lect. 11. p. m. 180. & Lect. 12. p. 196.* Oliger. Jacobæi *Observat. de Ran. & Lacert. cap. 1. p. 2.* Act. Hafn. *Vol. II. cap.* 104. *p. m. 254. seq.* Joh. Andr. Fischer. *Princip. Philosoph. natur. cap. 7. pag. m.* 139. *seq.* Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. II. Lib. 8. fol. m. 695.* Philip. Jacob. Hartmann. *v. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Observ.* 191. *pag. 350. seqq. 356. seq.* Act. Erudit. Lipſ. *An. 1706. Menſ. Novembr. p. 524. seq.* Christ. Joh. Lang. *Physiolog. Theſ. 38. Oper. med. Part. I. fol. m. 226. 228.* Michael. Bernhard. Valentin. *Medicin. Nov. antiqv. Part. I. cap. 8. & 22. pag. m. 42. seq.* Mangell. & le Clerc. *Biblioth. anat. Tom. II. fol. m. 507. seqq.* Casp. Bartholin. *de Ovar. Mulier. p. m.* 31. *seq.* Item *de insolit. Partus viis cap.* 16. *p. m.* 132. Gugliel. Cockburn. *Oeconom. animal. p. m. 96. seq.* Georg. Wolffg. Wedel. *Physiolog. Sect. 3. cap. 28. p. m. 204. & cap. 30. p.* 213. *seq.* Corn. Bontek. *Chirurg. cap.* 10. *p. m. 252. 262.* Georg. Frid. Rallii *Tract. de Generat. animal. Sect. 2. p. m.* 59. *seqq.* Eliæ Camerar. *Medicin. Conciliatr. cap. 8. p. m. 114. seq.* Jacob. Moller. *de Hermaphrod. cap. 4. p. 162. &c.* Franc. Maria Nigrissoli, v. Act. Erudit. Lipsienſ. *Ann.* 1714. *Menſ. Novembr. p. 321. seq.* Joh. Jacob. Harder. *Exercitat. 19. ad Joh. Conr. Peyer. p. m. 106. seqq.* & alii qvamplurimi Autores.

§. 12.

Hanc eqvidem de fœtûs in Ovariis seu Testiculis mulieribus factâ conceptione sententiam ex recentioribus labefactare atqve destruere ante aliqvot annos etiam conatus est Martinus Naboth, novum in ipsô Uterô Ovarium sibi & aliis, se invenisse, persvadens; qvam Opinionem etiam disputatione *Nabothii sententia.*

ne publicâ de Sterilitate defendere allaboravit. Qvia verò hydatides seu Vesiculas in Cervice imprimis Uteri qvandoqve reperibiles pro veris conceptioniqve maximè destinatis ovulis habuit, non immeritò alii Medici dictæ Nabothi sententiæ variis validisqve rationibus contradixerunt. Utrorumqve rationes & verba Epistolæ suæ problematicæ ad Frid. Ruyschium de Ovariô novô inseruit Michael Ernestus Etmüllerus, qvò benevolum Lectorem remitto. Prolixè etiam hanc Martini Nabothi Opinionem refutatam videmus Exercitat. subsecivar. Francofurt. *Tom. I. Sect. I.* §. 12. *seq. pag.* 21. *seqq.* vid. etiam Benjam. Bened. Petermann. *Observat. med. Dec.* 2. *Obs.* 9. *p. m.* 39. *seq.* ubi refert, se in Cadavere Meretricis Hydrope extinctæ circa cervicem Uteri ab extra Glandulas Ovariorum maximè similes deprehendisse, in qvibus dissectis, nihil aliud se offerebat, qvàm lympha viscida, uti aliàs in glandulis hydropicorum, hinc etiam Glandulas Nobothianas scirrhosas neutiqvam pro ovario novo ac tertio haberi posse concludit.

§. 13.

Ovulum modificatum.

Attamen Semini muliebri, præter solam fœtus materiam adhuc aliam vim inesse, sive in Ovulô reqviri materiam modificatam, negari non potest, qvia senex mulier, cum virô etiam juvene, non concipit, de qvâ materiâ evolvi poterunt Autores Medici, v. g. Gugl. Harvæus *de Generat. animal. & de Partu*, per totum Tractatum; Joh. Bohn. *Circul. Anat. physiol. Problem. I. pag. m.* 2. *seq.* Cosmopolit. *de animal. generat. pag. m.* 19. *seq.* 25. *seqq.* & H. G. Heerfeld. *de Origin. Morbor.* §. 22. *p. m.* 25. *seq.* ubi dicit: Ex Matre, tanqvam ex terrâ orimur; Non orti fuissemus, si omnia reqvisita, qvæ ad fœcunditatem spectant, non adfuissent. Nimirum maturitas reqviritur in Semine ad fructum producendum, ita etiam reqvi-

qviritur, ut Semen matris, id est ovarium, ita sit præparatum, ut idoneum sit, maturum Semen virile accipiendo, fovendo, nutriendo. Item circa hanc ex Ovô generationem non immeritò monet Johannes Jacobus Franciscus Vicarius *Bas. univers. Medicin. Lib. 1. cap. 3. p. m. 33.* non integrum Ovum mulieris fœcundum esse, sed solùm partem minimam, scilicet verum Semen, qvod in minimâ Ovi parte residet, ideòqve & mole minimum est, inde Harvæus ait: nascitur ex tantillô Seminis apice annosa qvercus lata, expandens brachia & producta qvævis transcendens, ita & ex punctô qvasi homo magni hujus mundi non minoris momenti Microcosmus surgit; inde Creatorem omnipotentem ex minimis initiis maximum apparere voluisse. Et sanè minimè dubitandum mihi videtur, qvin in eodem ovulô simul etiam nutrimentum pro infantuli seu fœtuli minimi primis diebus sustentatione atqve incrementô reperiatur.

§. 14.

Diximus hactenus, secundum plerorumqve Autorum recentiorum Opinionem, Semen virile non æqvè ratione materiæ, qvàm auræ seu spiritûs genitalis in illâ latitantis atqve mediante coitu per tubas Fallopianas aut alias vias Ovulo muliebri prædisposito communicati, ad hominis generationem concurrere, ob certam tamen observationem ex Neotericis hanc sententiam suspectam reddit atqve ad Conceptionem Semen virile substantialiter concurrere defendit Fridericus Ruyschius *Thesaur. Anat. VI. Prodrom. pag. m. 10.* ubi dictam Observationem recenset de Uterô è corpore cujusdam mulieris, qvæ in adulteriô deprehensa à maritô, paulo post Coitum, occisa erat, ab ipsò Ruyschiô excisô; In cujus scilicet Uteri cavô, ut & Tubis Fallopianis repertum est Semen virile & tantâ qvidem copiâ, ut utraqve tuba eodem adhuc Semine referta fue-

Semen materialiter concurrere dicitur.

fuerit. Et in ipsó Thesauró sexto *N. XXI. p. m. 15. seq.* hanc Observationem prolixiùs & variis circumstantiis recenset cum annexô judiciô: Vocatus, inqviens, ad Cadaveris mulieris, â maritô in adulteriô deprehensæ & occisæ, apertionem, reperi Uterum aliqvantò esse tumidiorem, itaqve suspicabar, illam concepisse. Uterum itaqve mecum assumpsi, ut suspensâ manu omnia investigarem; eoqve apertô inveni, ejus substantiam esse crassiorem; Cavitas autem referta erat Semine albô & bene coctô, aut saltem substantiâ, qvæ Semini virili, ad colorem & visum similis erat, utraqve tuba eodem liqvore qvoqve referta erat. Hisce visis, summâ cum cautelâ hæc omnia liqvori meo qvidem indidi: Uterô autem apertô contentum Semen omne in Uterô continere haud potui, portio tamen, liqvoris ope, in coagulum redacta, in Uteri cavô, ut & in Uteri ore, hucusqve hæret. Tubæ autem, qvæ integræ remanserunt, adhuc dum præ copia tument; cùm autem tubas nonnihil premerem, semen liberè effluebat. Cum jam consideramus, pergit idem Ruyschius, mulieres affirmare, sese (si non semper, saltem utplurimum) factas esse gravidas, aut concepisse, cùm sentiunt, Semen maximâ parte remansisse in Uterô, & contra in coitu improlificô Semen exitum sibi qværere percipiant: Qvid hinc aliud concludendum, qvàm qvod non solùm aura seminalis, verum etiam substantia ipsa ad conceptionem sit necessaria. Dixerit forsan aliqvis, reperiri mulieres, qvæ dicunt, sese concepisse, qvamvis Semen non retinuerint. Resp. Credibile esse illas saltem tantum retinuisse seminis, qvantùm reqvirebatur ad Conceptionem prolificam. Hoc deniqve contendo, auram seminalem haud sufficere, sed necesse esse, semen ipsum Uterum intrare in coitu prolifico. Hæc Ruyschius. Attamen materiam illam, in tubis post Coitum repertam, qvam qvidam pro Semine masculino venditant,

tant, illis etiam fœmellis, qvæ non coierunt, inexistere, adeoqve haud infallibiliter genituram masculinam extrinsecus advenientem pronunciari posse, contra Regnerum de Graaf defendit Johannes Bohnius, *Circul. anat. physiol. Progymn. I. pag. m. 14.*

§. 15.

Ad generationem autem, ut animalium, ita etiam hominis, naturaliter qvælibet ætas apta non est, sed certum qvoddam tempus certaqve Seminis & ovulorum dispositio & maturatio in utroqve sexu reqviritur, ita, ut canis, v. g. post octavum mensem coitum fœcundum exercere possit, & eqvus bimus vel trimus ad generationem habilis sit; & qvò tardius animalia per naturam ad Coitum stimulantur aut speciei propagationi operam navant, eò longioris ætatis esse creduntur. In specie autem de homine notum est, nec primam ætatem ante annos pubertatis, nec ultimam senectutem ad generationis opus aptam esse, licet fœmineus sexus præ masculinô pubertatem seu maturitatem suam citiùs acqvirat, ut adeò fœmellæ ante duodecimum, mares autem ante completum decimum qvartum ætatis annum pro capacibus sive ad cohabitationem fœcundam habilibus non judicentur. Deinde terminus, qvousqve Mares & fœminæ ad generationem habiles sint, adeò certè determinari non potest; qvamvis fœminis utplurimum iste terminus â qvadragesimô ad qvinqvagesimum usqve ætatis annum qvamdiu scilicet aliàs sanæ sua menstrua patiuntur, constitutus sit, & mares, utplurimum ad sexagesimum vel septuagesimum usqve ætatis annum liberos procreare possint. *Generationi apta ætas.*

§. 16.

Sicuti autem, ut vulgò dicitur, nulla regula sine exceptio- *Pueri generantes.*

Aa

ceptione, ita etiam hôc in passu dantur exempla partim eorum, qvi annos bis septem, circa qvos pubertas demum plerumqve contingere solet, nondum supergressi, sed in pueritiâ adhuc constituti Venerem, & qvidem cum effectu, exercuerunt; partim etiam eorum, qvi in seniô Veneri libantes liberos generârunt. Exemplum pueri, qvi vix novem annorum, Nutricem suam imprægnavit, ex Gregoriô refert Henricus Salmuth, *Commentar. in Gvidon. Panciroll. de Reb. memorab. Lib. 2. Tit. 10. pag. m. 172.* qvod idem etiam de puerô decennali ex Hieronymô recenset. Item, Salomonem nondum decem annos natum suô complexu Nutricem filiô Roboam gravidam fecisse & Achaz undecimô annô Ezechiam filium genuisse. Verba Hieronymi de Salomone & Achaz seqventia allegavit M. Antonius Ulmus, *Physiolog. Barb. human. Sect. 3. cap. 9. fol. m. 292. seq.* si duodecimô annô Salomon super Israël accepit Imperium, & qvadraginta annis regnavit in Hierusalem, & filius ejus Roboam, cùm qvadragesimum & primum annum ageret, ætatis, Patris successit in Regnum, perspicuum est, undecim annorum fuisse Salomonem, sive decem, qvia decem menses à Conceptu usqve ad partum, sibi mater vendicat. Rursus Achaz, Filius Jonatham, cùm viginti esset annorum, Rex constitutus est super duas Tribûs, i. e. Judam & Benjamin, regnavitqve annis sexdecim, qvô mortuô Ezechias, cùm vigesimum & qvintum annum ageret ætatis, Patri succesit in Regnum, ex qvô intelligitur, Achaz qvoqve undecimo sive duodecimo anno Ezechiam Filium procreâsse! Aliud adhuc exemplum ibidem refert Hieronymus his verbis; Audivi, Dominô teste, non mentior; qvædam muliercula, cùm expositum nutriret infantem & instillaret cibos ac nutricis officio fungeretur cubaretqve cum eâ parvulus, qvi usqve ad decimum, jam excreverat annum, ac-

accidit, ut plùs, qvàm pudicitia patitur, se merô ingurgitaret, accensaqve libidine obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima Ebrietas alterius noctis & cæterarum deinceps fecit consvetudinem, nec dum duo menses erant evoluti & ecce fœminæ Uterus intumuit, &c. De puero septenni aut octenni, qvi in coitu fœdâ Gonorrhœâ fuit inqvinatus, vid: D. Manche in Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. I. Mens. Jul. Obs. 7. p. m.* 122. Puellam octennem in Misniâ à novenni juvene imprægnatam justo tempore puellam esse enixam, scribit Johannes Sophronius Kozac, *Tr. de Sale cap. 8. Sect. 12. p. m. 353.* De homine qvodam, qvi septem annorum spatio & puer fuit, & adolescens, & vir, & senex, & uxorem duxit, & progenerata prole mortuus est, ita, ut, si vera est historia, senex in septennio mortuus sit. vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 3. cap.* 13. *pag. m. 242.* qvo loco etiam ex Fuchsio & Savanarolâ, puellam novem annorum concepisse refert. Anno 1621. Bergis Norwegorum puer duodecim annorum puellulum progeneravit, uti testatur Thomas Bartholinus *Histor. anatom. Cent. 5. Hist.* 17. *pag. m. 33.* Sic etiam puellam novennem fuisse prægnantem, & aliam octavô annô concepisse apud Mosellam sub Benedictô XII. Pontifice Maximô, ex aliis Autoribus adducit Franciscus Torreblanca *de Magia Lib.* 2. *cap.* 18. *p. m.* 218. De puellâ septenni, nec vel Mense alterô, sive tertiô superiore, qvæ à famulô Antonii Ulmi fuit compressa, vid. ipse Ulmus *l. a. fol. 293. seq.* Une jenne fille demeurant dans un village à deux ou trois lieûes dela Ville d'Ypres, qvi n'avoit point encore neuf ans accomplis accoucha au mois de Mars del' Année 1681. d'un gros garçon plein devie au grand etonnement deses parens, qvi ne s'attendroient pas à une telle fecondité. L'âge de la Fille a esté justifié par le Registre Baptistaine, & tout le païs a sceu

un accident auſſi ſurprenant qve celuy-là. *vid. Journal des Scavans de l' Année* 1684. *p. m.* 186. An antem juxta Plinium apud qvosdam populos in India, qvos Mandros & Calingas vocant, fœminæ qvinqvennes ſeptennes concipiant, dubitat eqvidem Rodericus à Caſtro *de Natur. Mulier. Lib.* 2 *cap.* 12. *p. m.* 89. Interim tamen & nonô ætatis annô nubentes atqve decimô parientes fœminas in Indiâ reperiri, in Thevenot. *Itinerar. Part.* 3. *Lib.* I. *cap.* 29. *p. m.* 100. & *cap.* 48. *p.* 165. Item in Arnoldi Montani Geſandtſchafft in Japan, *fol. m.* 441. legere licet. Javanorum Liberos utriusqve ſexus circa annum ætatis decimum tertium vel qvartum matrimonium contrahere refert Waltherus Schultz, *Itiner. Indic. fol. m.* 229. In Novellis ſeu Relationibus ordinariis Noribergenſibus de die 12. Aprilis Anni 1715. referebatur, Sartoris cujusdam filiam decem annorum cum puero qvatuordecim annos natô, â qvô ante tres menſes fuerat imprægnata, fuiſſe copulatam. Puerum ſedecim annorum petulantem, ſalacem, puellasqve laſciviùs inſectantem, ideò captivum in carcerem deductum fuiſſe, qvod tres puellas, trium, qvinqve & novem annorum, imò & adultiores ancillas ſtupraſſe diceretur, refert Andreas Ottomar Gœlickius *Exercitat. ſubſeciv. Francof. Tom.* I. *Sect.* I. *p. m.* 29. *ſeq.*

§. 17.

Senes generantes, Qvantum autem illos, qvi in Seniô jamjam conſtituti uxores duxerunt atqve generandi potentiâ adhuc valuerunt, attinet, non tantùm qvotidiana experientia ejusmodi exempla profert, ſed Autores etiam Medici annotarunt. Maſiniſſam Regem poſt octuageſimum ſextum ætatis annum filium genuiſſe, notat C. Plin. *Hiſtor. nat. Lib.* 7. *cap.* 14. *fol. m.* 110. De Muliere ſexagenariâ ex ſeptuagenariô Sene concipiente, vid. Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib.* 4. *fol. m.* 558. *ſeq.* ubi plura

ra exempla. Joachimus Narim, Cancellarius Episcopatûs Caminensis, annô ætatis septuagesimô sexto filium genuit, teste Bald. Timæo à Güldenkle, *Respons.* 23. *p. m.* 1010. qvi *pag. seq.* se in Borussiâ qvendam Nobilem annô Parentis sui septuagesimô primô natum novisse addit. *vid. etiam p.* 1014. & 1043. *seq.* Sincerum ipse novi amicum à Patre multorum liberorum atqve annum septuagesimum qvintum agente ex qvartâ Uxore natum. Benedictus Harling, Bubulcus Colmensis, septuaginta annorum, Justinam Klingiam, personam miserabilem, contractam & fatuam, in campô imprægnavit. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Cas.* 2. *pag. m.* 34. Germanum qvendam nonagenarium prolem ex castâ Conjuge suscipientem se vidisse scribit Marcellus Donatus, *de med. Histor. mirab. Lib.* 4. *cap.* 14. *p. m.* 382. ubi etiam ex Alexandrô Benedictô refert, Nicolaum de Palavicinis habuisse filium à se in centesimô annô genitum, & Catonem octogesimô exacto ex filiâ Salonii filium procreâsse, &c. Sic refert Johannes Jonstonus, *Thaumatograph. natural. Class.* 10. *cap.* 6. *Art.* 3. *p. m.* 481. Levinum Lemnium qvendam Nauclerum centum annorum Stockholmiæ vidisse, qvi trigiuta annorum sponsam in matrimonium adsciverit, aliqvot post liberorum parentem. Circa qvem tamen Jonstoni locum monendum mihi videtur, juxta ipsius Lemnii *de Occult. natur. miracul. Lib.* 4. *Cap.* 24. *p. m.* 464. verba, non ipsum Nauclerum tam senem Sponsum fuisse; sed ita sonant verba: Enarrantem audivimus Nauclerum qvendam fide dignum, quùm Stockholmiæ negotiaretur, se accitu Regis Gustavi interfuisse nuptiis Viri cujusdam centum annorum, qvi in matrimonium asciverat triginta annorum sponsam, &c. Qvod etiam confirmat Johannes Schefferus *de Memorabilib. Svetic. Gent. cap.* 32. *pag. m.* 226. Temporibus, inqviens, Gustavi Primi Holmiæ accidisse observarunt

fide dignissimi Autores, celebrasse qvendam centum annorum nuptias cum puella annorum triginta & ex ipsâ sustulisse liberos. Ibidem etiam dictus Autor ita pergit: Certè nostrâ etiam memoriâ factum, qvod ex auctoritatis magnæ viro compertum habemus, ut nonagenarius duceret puellam octodecim annorum, exqve eâ filium susciperet, sic oris corporisqve lineamentis omnibus referentem Patris imaginem, & dubium posset esse nemini, verum genuinumqve ipsius esse filium. Notarium qvendam Donatum Pedarram nonagenarium gravidam fecisse uxorem suam, refert Christianus Warlizius *Valetudin. Senum. Salom. p. m. 43.* ubi etiam fœminam nonaginta sex annorum concepisse, item Vinariæ Anno 1677. Viro septuaginta septem annos nato ab Uxore octuaginta annorum filium fuisse natum refert. Senex qvidam viduus octogenario major ductâ juvenculâ viginti qvinqve annos natâ, incidebat in morbum gravissimum, tandemqve cùm ex eô emersurus esse videretur, non solùm comam Capitis, imò verò barbæ decus canescentis per defluvium deperdebat, Epidermis decidebat, succrescente novâ comâ barbâqve novâ, viribus firmissimis, uti ex Petrô Lotichio allegat Valentinus Mœllenbroc, *de Varis. cap. 13. pag. m. 230.* Thomam Parr, Anglum, centum & qvinqvaginta annos excessisse Annales testantur. Natus is memoratur Anno 1483. vixitqve ad Annum 1635. Anno ætatis octuagesimo primam uxorem duxit, ex qvâ spatio triginta annorum duos tantum filios suscepit. Alteram uxorem, post prioris obitum, in thalamum decennio viduum induxit Senex annorum centum & viginti, qvâ cum 1635. adhuc vixit. Viduus autem anno ætatis centesimo decimo qvinto, amore Catharinæ Milton deceptus, eandem insigni Corporis robore compressit. vid. Th. Bartholin. *Cent. 5. Histor. 28. pag. m. 47. seq.* ubi etiam Felicis Plateri Patrem post centesimum

simum annum filium suscepisse refert. Ipse autem Felix Platerus dicit *Quæstion. Physiol.* 38. *p. m.* 67. Genitorem suum post septuagesimum secundum ætatis annum novis nuptiis contractis liberos sex & postremam filiam anno ætatis octuagesimo secundo procreasse; Item hujus avum post centesimum vitæ annum filium adhuc genuisse & ad nuptias illius supervixisse, refert v. etiam Phil. Salmuth. *Cent.* 3. *Obs.* 59. *pag. m.* 140. ubi qvoqve scribit, capularem qvendam senem Anno 1565. ætatis verò septuagesimo sexto, in Valle Joachimica propter adulterium commissum decollatum fuisse. Cato octuagesimo anno exacto Avum Uticensis Catonis ex filiâ Salonis Clientis sui genuit. v. Jas à Pratis *de Uter. Lib.* 1. *cap.* 10. *p. m.* 157. de qvo paulò ante. Hortulanus qvidam in Normandia anno ætatis nonagesimo nonô uxorem duxit, subseqvente autem anno centesimo, die, qvo ipsi uxor infantem peperit, mortuus est. vid. Christ. Warliz. *Valetudinar. Sen. Salomon. p. m.* 41. Andreas Christiani anno ætatis centesimo in Templo Malensi testis fuit in Baptismo puellæ, qvæ vocata est Johanna Jani filia; ex hac posteà ipsi pro uxore copulatâ tres liberos, nempe filium & filias duas suscepit, tandemqve annos centum & viginti septem habens mortuus est. v. Act. Hafn. *Vol. IV. Obs.* 10. *p. m.* 35. *seq.* Agmen claudat Observatio Rosini Lentilii de memorabili juxta atqve detestando facinore, qvod vetula, qvæ centésimum ætatis annum jamjam compleverat, in Districtu Hœchstettensi perpetravit: Adulterium nempe anus fœdè & insolitè libidinosa commisit, cum duobus non minùs putidis Siliceriniis, utrisqve maritis, qvorum alter octoginta septem, alter septuaginta sex annos numerârant. Reperti sunt in Sylvâ coëuntes, cùm insuper petulca Tisiphone superincumbentem Demea identidem admoneret, ut impetu majori uteretur, se enim vix mutonem sentire. Cùm in examen

men vocaretur res gesta, compererunt Judices, utrosqve istos non Susannæ, sed fœtidissimi, edentuli, corrugati & exsucci semicadaveris fraterculos ab anu, congressum solicitante, seductos fuisse. Dederunt autem nefandi facinoris pœnas. v. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 238. p. 452.* Plura Senum liberos procreantium exempla allegat Franciscus Torreblanca *de Magiâ Lib. 2. cap. 18. p. m. 118.* Marcell. Donat. *de Medic. Histor. mirabil. Lib. 4. cap. 14. pag. m. 385. seq.*

§. 18.

Morbi hæreditarii. Porrò mediante Semine à parentibus non modò Vitam & varias tam externas, qvàm internas qvalitates, v. g. Corporis, vultûs & animi similitudinem, variosqve nævos, sed etiam sanitatem & morbos per generationem Liberis communicari, atqve ab illis per transplantationem in hos propagari, qvis est, qvi ignoret? cùm à laudabili sanorum & robustiorum Parentum Semine firmam corporis texturam omniumqve functionum vigorem Soboli induci observemus, atqve nonnullas familias peculiari Corporis agilitate, qvandoqve etiam formositate gaudere videamus, ut adeò verum sit, qvod fortes creentur fortibus, & nigri à nigris, candidi à candidis, longævi à longævis, parvi à parvis, atqve proceri à proceræ staturæ parentibus generentur. *Virtutes & vitia.* Præterea etiam Parentum ad Virtutes & vitia propensiones, qvæ potiùs animi, qvàm corporis diatheses sunt, mediante semine in prolem propagari, sæpius experimur; Imò materiales etiam & corporeos magis affectus seu morbos parentum seminali virtute ipsorum liberis communicari, plurima ejusmodi exempla sufficienter testantur, juxta versum:

Qvi viret in foliis venit à radicibus Humor,
Sic patrum in natos veniunt cum Semine morbi.

Vel

Vel juxta Mich. Verini Versus:

Sæpe Patris mores imitatur filius infans:
Qvalis erat mater, filia talis erit.
Casta refert castæ genitricis filia mores;
Lascivæ nunqvam filia casta fuit.

v. Chr. Matthiæ *Theatr. Histor. pag. m. 601.*

§. 19.

Tales affectûs morbosi à Parentibus in liberos propagati seu morbi hæreditarii modò in partibus liqvidis, modò in solidis se manifestant; hinc nephriticos à nephriticis, scorbuticos à scorbuticis, arthriticos ab arthriticis, biliosos à biliosis, lienosos à lienosis, gibbosos à gibbosis, elephantiacos ab elephantiacis, lue gallicâ laborantes ab eadem lue affectis, pituitosos ex pituitosis, tabidos ex tabidis, epilepticos ab epilepticis, calvos à calvis, cæsios à cæsiis, distortos à distortis, mancos à mancis, phthisicos à phthisicis, &c. generari qvotidie observamus. Qvinimò juxta Dermutium de Meara *de Morb. hæreditar. cap 1. p. m. 243.* qvamplures cernere licet familias, qvarum singulæ peculiares qvosdam morbos ita sibi vendicant, ut omnes de eadem stirpe sati eosdem ferè morbos patiantur, eorumqve multi eodem ætatis annorumqve circuitu & curriculô, cumqve iisdem symptomatibus aut parum diversis vitæ terminum claudant. Qvod si qvis, ut aliqvando contingit, iis non sit morbis obnoxius, qvi familiæ, unde ortus dicitur, peculiares sunt & indigetes, non levem inde conjecturam vulgus capit, hominem illum in alienum omninò genus transiisse spurioqve de Semine natum esse. *Qvales sint.*

§. 20.

Exempla. Pro hactenus dictorum confirmatione exempla qvædam morborum hæreditariorum seqventes exhibent Autores, v. g. Petrus Borellus *Histor. medic. Cent. 1. Observat. 7. pag. m. 12.* hanc observationem de duobus claudis spontè factis à naturâ annô eodem, qvô Pater casu claudus factus fuerat, communicat: In suburbiô qvodam prope Tholosam villici cujusdam genu Anno decimô qvintô ætatis suæ ictu luxatum fuit, unde per totam vitam claudus factus est. *Claudicatio.* Post illum ictum uxorem duxit & duos ab illa suscepit pueros rectos & probè conformatos, usqve ad annum decimum qvintum, sed qvindecimô elapsô, sponte suâ genuum eorum ossa luxata sunt, vitiô Patris in iis hæreditariè expergefactô & eodem annô in iis erumpente, qvô ipse luxatus fuerat. Eodem locô etiam dictus Borellus seqvens exemplum annectit: D. le Faucheur, Pastor Ecclesiæ Carentoniensis, novit virum rectum, qvi tres duxit uxores, rectas etiam & tamen omnes ejus filii claudi fuerunt. Ipse etiam aliqvot filiorum pedibus incurvatis, à simili patre natorum, nihilominus celeriter currentium memini.

§. 21.

Sudor. De Sudore hæreditario seqventem Observationem refert Nicolaus Tulpius *Obs. medic. Lib. 3. cap. 42. pag. m. 267.* Virgini malè natæ fuére ab ineunte ætate, ob sudores prægnanti matri crebriùs permotos, adeò pervia ac patula Cutis spiracula, ut continenter fermè maduerint, cum tam profusô ac perenni diffluentis sudoris cursu, ut cottidie indiguerit tribus, qvatuorve indusiis, ad detergendum madorem, cuti indesinenter inhærentem. Qvod immodicum sudoris effluvium, divexavit ipsam non aliqvot menses, sed septem ampliùs an-

nos

nos; licet interim minimè omitterentur remedia convenientissima. Adeò difficulter eradicatur morbus hæreditarius.

§. 22.

Chalcedone cùm Pater brachiô esset compunctô, filius idem retulit, confusâ tamen notâ minùsqve explanatâ. vid. Aristot. *de Generat. Animal. Lib. 1. cap. 17. fol. m. 535.* *Punctura brachii.*

§. 23.

Herniam qvoqve morbum hæreditarium esse, non modò ex Valesio de Taranta, qvi herniosos ex parentibus herniosis usqve in tertiam generationem vidisse refert; sed etiam, ex propria Observatione, Hernotomi cujusdam prosapiâm magnâ ex parte, imò etiam mulieres, Herniis obnoxias fuisse, attestatur Gvilelmus Fabricius, Hildanus *Obs. Chirurg. Cent. VI. Obs. 73. Oper. Fol. m. 592.* De puero hernioso, cujus avus & proavus Hernia umbilicari laborarunt, ut & omnes masculi ex iis geniti, vid. Christ. Mich. Adolphi *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. V. & VI. Observ. 92. pag. 171.* In certa qvadam familiâ omnes ferè masculos Herniæ obnoxios se novisse, scribit Michael Bernhardus Valentini. *Polychrest. pag. m. 81.* *Herniæ.*

§. 24.

Erysipelas malignum & hæreditarium primâ vice incurrebat Generosus Dominus Nicolaus à Zaffrau, sexaginta qvatuor annorum & qvod excurrit, robustæ adhuc constitutionis, qvi preces ad Deum fundens nihilqve mali metuens subitò sine ullô præcedente indiciô, horrore, qvatuor horarum spatiô continuante obruebatur, qvem excipiebat calor insignis, manum tangentis qvasi adurens, pulsus erat vehementissimus & celerrimus, angustiâ & anxietate cordis prævalidâ vexabatur, *Erysipelas malignum.*

 sitis

sitis continuè instabat & ob nimiam virium debilitatem nulla erigendi potestas ipsi erat concessa. Alterô die crus dextrum rubore insigni & splendidô perfundebatur, qvi pressum digitorum subterfugiebat, moxqve redibat; Calor verò in totum ipsum relinqvebat, remanente solummodò virium dejectione. Aliàs singulis annis istam vehementem passus est invasionem, &c. Ejus Patrem qvoqve sæpissimè hujus mali contagium afflavit, donec succumbente morbo in cœlestem patriam migravit. vid. Caspar. Theoph. Bierling. *Adversar. Obs. 63. p. m. 124.*

§. 25.

Dolor Capitis. De dolore capitis periodicè recurrente in certâ familia hanc Observationem annotavit Johannes de Muralto: Mulier crassô corporis habitu ac temperamentô sangvineô prædita dolore capitis sæpius afficiebatur, ita qvidem, ut per singulos menses hôc affectu plecteretur; vel etiam pro levi datâ occasione paroxysmi redibant: qvô tempore appetitus dejiciebatur, vomitus proritabatur, & debilis facta supra lectum jacere necesse habebat; tragœdiâ peractâ, imprimis vomitu exantlatô functiones omnes perbellè agebat, viresqve corporis & animi, qvasi per feriationem qvandam interpolatæ, exsuscitabantur, donec post certum qvoddam temporis intervallum eodem symptomate ac prius corriperetur. Fratrem hæc mulier habebat, qvi iisdem paroxysmis ex intervallô recurrentibus afficiebatur, qviqve pariter ac ipsa per vomitum Symptomatis solutionem adipisci solebat. Huic affectus familia ista qvasi originaliter obnoxia atqve ad hæc tam corporis, qvàm animi dotibus prædita erat. v. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 12. p. m. 47.*

§. 26.

§. 26.

In Studiosi cujusdam Tubingensis post mortem dissecti pulmonibus tantum Calculorum diversæ magnitudinis agmen repertum est, ut aliqvot centum eruere ex iisdem qvis potuisset; imò in tantâ copiâ apparuere, acsi manu inseminantis injecti fuissent. Non absimilem in substantiâ pulmonum germinantem Calculorum prolem aluit etiam Parens defuncti Studiosi; idcirco ex semine, morbosis hujusmodi tincturis inqvinatô, per hæreditariam dispositionem in filium etiam hunc affectum derivatum & propagatum esse credit Johannes Fridericus Huldenreichius, *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 1. Obs. 221. p. 327.* *Calculis in pulmonibus.*

§. 27.

Consulis Hildesheimensis uxor qvoties medicamentô purgante opus habebat, assumtis saltem jusculi carnis vitulinæ aliqvot cochlearibus eum experiebatur effectum, qvi aliàs ab alloëticis, scammoniatis & aliis catharticis expectari solet; hancqve jusculi vitellini efficaciam se à matre qvasi hæreditario possidere hæc fœmina dixit. v. Joh. Paul. Albrecht. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 169. p. 419.* ubi etiam illustris cujusdam familiæ meminit, in qva multi fuerunt liberi, qvorum alii aliqvid retinuerunt nativum à Patre, alii à Matre: Pater minimò Medicamentô repurgabatur: Idem liberis paternum qvid habentibus accidit. Qvi maternum qvid habuerunt, non nisi validis medicamentis, cùm mater simile qvid passa fuerit, commoti sunt. *Alvi laxatio.*

§. 28.

Melancholiam & Maniam malum esse hæreditarium, docet exemplum Studiosi à Patre maniacô nati, qvi ob Melancholiam Studiis valedicere tenebatur. v. Bald. Timæi à Gül- *Melancholia.*

denklee *Respons. 4. pag. m. 976. seq.* Vir qvidam, qvem plures ob integritatem vitæ commendârunt, cùm aliqvot Melancholiæ gravioris insultûs devicisset tandem in Maniam tam gravem incidit, ut & ipsa lora vix suffecerint ad eundem à violentis actionibus detinendum. A fide autem dignis personis Vito Riedlino hanc Observationem referenti, relatum est, ejus Patrem olim hoc ipsô morbô æqve graviter decubuisse; & fratrem ante qvosdam annos, cùm, qvi eum observare debuissent, recessissent paululum, per fenestras se præcipitasse, & sic ante tempus vitæ filum sibi abrupisse; Imo & Sororem maniacam illum olim habuisse. Ex his itaqve non ita malè colligi, qvod hoc malum hæreditariis interdum, annumerandum sit, vix qvisqvam dubitabit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 49. p. 75. seq.* Fœmina qvædam aliqvot annos insana, gravida facta peperit infantem: post partum illa ad sanam rediit mentem sanæqve mentis, novendecim mansit annos, econtrà infans seqvioris sexus insanîvit, & adulta postmodum facta insana fuit, ast stupendi roboris, juxta Johannem Ludovicum Hannemannum, *vid. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 61. p. 73.* De Maniâ hæreditariâ incurrabili à fastu seqventem Observationem recenset Johannes Hoyerus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. Vel. VI. Obs. 171. p. 329.* Novi, inqviens, Generosissimam familiam, in qvâ, qvantum mihi qvidem constat; Mania in tertiam generationem jam propagata, avô, filiô & nepote cum ferociâ delirantibus eoqve nomine vinculis oneratis. Avus qvidem in deliriô leviori tandem fatis cessit; Filius autem & Nepos Vinculis adhuc dum tenentur. Pater, qvi aliqvando Primarii Præfecti belli munere functus erat, inter operationes bellicas cum ferociâ delirare cœpit; Et cùm paucis abhinc annis dictum Nepotem, Juvenem, sanè formosum, robustum atqve doctissimum, in peregrina-

tione

tione, Viennæ, idem malum corripuisse animadverterent, non desinebant experientissimos Medicos in consilium vocare, sed absqve optatô successu. In patriam revocatus demens inter plures deliros sermones, qvos singulari gravitate & affectatâ autoritate proferebat, sese à Regia stirpe Davidis prognatum esse, omnibus Principibus, Regibus, Imperatoribus superiorem fore jactabat, qvinimò blasphemas loqvelas subinde eructabat. Qvibus nugis qvi refragabantur, eis mortem minari & manus violentas inferre non verebatur:

§. 29.

Novit Zacutus Lusitanus epilepticum, cujus octo filii & tres nepotes in medio ætatis flore per multos annos miserrimè epilepticis insultibus excruciati vitam ducebant, qvos omnes hic inseparabilis morbus usqve ad mortem, nullis proficientibus auxiliis est comitatus, exceptô infante unô, bis nepote, qvi eodem tentatus morbo Cauteriô ad nuchum evasit. vid. Zacut. Lusitan. *de Prax. medic. admir. Lib. I. Observ. 36. fol. m. 8.* *Epilepsia.*

§. 30.

Noribergæ mulier qvædam longo tempore angebatur, deglutiendi difficultate maximâ & maximô gulæ ardore; dehinc auctâ gulæ angustiâ vix aliqvid liqvidi in Ventriculum immisit, sed omnia vomitu rejecit. Qvæsita num juxta ingressum gulæ in Ventriculum vel ventriculi orificium qvid, tanqvam clavi infixi, vel globulum persentisceret? respondit, se totô octenniô tale qvid in eâ regione percepisse atqve transglutiendi magnâ difficultate laborasse similiqve morbo & Patrem, & Sorores, & alios suos amicos occubuisse affirmabat, juxta Volcher. Coster. *Obs. annat. chirurg. f. m. 121.* *Deglutitio difficilis.*

§. 31.

Urinæ retentio. Urinæ retentionem multorum dierum citra molestiam & omne sanitatis dispendium, qvasi hæreditariam communicat Christianus Franciscus Paullini ex ore Benedicti Constantini Bergschmieds, qvi de seipsô sanctissimè retulit, sibi & familiæ suæ paternæ commune & qvasi hæreditarium esse, ut vix intra sex, imò octo aliqvando dies, urinam emittat, seqve nullum planè scire gentis suæ, qvi vel calculò, vel colicâ, seu stranguriâ laborasset unqvam. v. *M. N.C. Dec. II. An. 6. Append. pag. 11.*

§. 32.

Paralysis digitorum. Mirificam qvandam ægritudinem hæreditariam observavit Olaus Borrichius, in Magistrô qvodam Organi pnevmatici Hafniensi, qvi Roscius in arte suâ, & loqvi digitis promptissimus trigesimò sextô ætatis annô usum digitorum in utraqve manu, prætereqvam pollicis & indicis, paulatim amisit; Siderati enim ad jussa munia frustra sollicitabantur, unde infelix officiò abstinere jussus, qvòd modulantem posceret Ecclesia, non qviritantem. Rogatus à Borrichiò trienniò post, eccur in pharmacis & ungventis usurpandis hebesceret? Non est, inqvit, humanæ opis labem illam hæreditariam tollere: Parens meus eodem ætatis annô, qvô ego, simili infortuniò afflictus nihil non præsidiorum tentavit, sed invita Hygieia. Unde cum me ejus vestigia terreant, malo supervacuas pecunias meas in Oenopoliô, qvàm pharmacopolio abligurire. vid. Act. Hafn. *Vol. IV. Obs. 70. p. m. 173. seq.* Apud Basileenses Georgius Hertz, Sutor cùm alterum pollicem pedis majorem haberet, & ipsius filia, qvæ ipsi unica erat, simili pollice fuit, qvod tum primum observatum, cùm Zelotypiâ ergà uxorem laboraret, eò qvòd plurimis annis cum ipsô in matrimoniô ste-

ſterilis vixiſſet. v. Caſp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 10. p. m. 106.*

§. 33.

Ambroſius Paræus qvosdam, qvi naturali jectigatione Capitis continuò moverentur, filium ſimiliter affectum progenuiſſe, annotavit, ubi ex Paræo, *Lib. 23. cap. 22.* allegat Fortunatus Fidelis *de Relat. med. Lib. 3. Sect. 3. cap. 3. p. m. 398.* qvi tamen locus Editioni meæ non reſpondet. *Capitis Jectigatio.*

§. 34.

Primaria qvædam apud Hafnienſes fœmina naſcentem in dextrô ſuô oculô Cataractam ſexageſimô ſeptimô ætatis annô conſpicata, de eâdem deponendâ ſollicitam ſe non oſtendit, apertè faſſa Parenti ſuo idem malum eodem ætatis annô accidiſſe, nec inventum, qvicqvid etiam conaretur, niſi in morte remedium. vid. Act. Haſn. *l. a. p. 174.* Cuidam civi Dresdenſi ante triginta circiter annos Cataracta in dextro oculo, ſed ſine fructu deponebatur; qvòd ipſius filio Anno 1719. ætatis qvinqvageſimo, eodem fato accidebat. *Cataracta.*

35.

Qvinqve filios cœcos ex cœcô Patre natos annotavit Joſephus Lanzonus: Ferrariæ ſcilicet cœcus pauperculus eleemoſynis vivebat, qvi à conjuge qvatuòr maſculos ac unam fœminam ſuſcepit, qvi omnes qvinqve gnati orbati lumine orti ſunt. *v. M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſerv. 67. p. 154.* ubi qvoqve annectit, narraſſe ſibi Sacerdotem Romandiolum fide dignum, ſe Faventiæ ſurdos filios è matre ſurda natos obſervaſſe. *Cæcitas.*

36.

An morbo hæreditario, an caſui fortuito annumerari debeat exemplum ſeqvens, benevolus Lector judicet. Nimirum *Oculi privatio.*

rum vivebat Dresdæ ante aliqvot annos Tubicen excellens aulæqve nostræ primarius, monoculus tamen, nomine Fridericus Sulzius, qvi annô ætatis decimô octavô Instrumento musico Panduræ, seu Violino, ab Italis dicto; operam navando prope fenestram stans, â puero, in plateâ existente, clavô ferreô pinnatô è sclopô petulanter explosô perqve diffractum fenestræ orbem ipsius oculo dextrô infeliciter ita infixô, ut statim humores effluerent, dicti oculi visu privatus fuerat. Qvod infortunium pariter suo Patri eodem ætatis annô, eodem in oculô, eodemqve modô accidisse, hic Sulzius mihi referebat, cum causam, cur in Parentis ipsius defuncti effigie, in hypocaustô suspensâ, propendentes à capite Capilli dextrum oculum obtegerent, ex ipso qværerem.

§. 37.

Morbi hæreditarii nepotibus.

Qvandoqve etiam morbi hæreditarii à Parentibus non modò in proximos filios, sed etiam in remotiores & nepotes descendunt; nonnulli enim morbis infestantur hæreditariis, qvorum nec alteruter parens, nec interdum etiam avus, aut avia ejusmodi morbis fuerunt divexati, ita, ut intactâ intermediâ prole seu Patre & matre, &c. eosdem affectus, v. g. Arthritidem, Lithiasin, &c. jure qvodam successionis in Nepotes transferant. Exemplum de Cutis colore refert Johannes de Beverwyck *Thesaur. Sanitat. Part. 2. cap. 2. fol. m. 183.* scilicet Mulierem qvandam ex Concubitu cum Æthiope filiam non nigram, sed albam peperisse, ex qvâ tamen filiâ postero tempore filius niger seu Æthiops natus est. Item Nicæum ab albis Parentibus natum fuisse nigrum, cujus coloris ipsius avus fuerat. Porrò Byzantinum qvendam fuisse, qvi adulteris Æthiopis natâ matre, nihil à cæteris colore differente, ortus, avum regeneravit æthiopem, ex Plinio refert Bruno Seidelius, *de Morb. incurabil. pag. m. 12.* Ex eodem fundamentô fili-

filios vultu utplurimum avum & atavum, non autem parentes referre, dicit Petrus Borellus, *Cent. 1. Observat. 7. pag. m. 14.*

§. 38.

Quæ quidem sententia, scilicet quosdam à Parentibus sanis natos, observatâ qvamvis exactissimè diætâ seu rerum non naturalium præscriptione, avorum aut atavorum morbis conflictari, nonnullis ideò minimè probabilis videtur. 1.) Qvia, cùm omne agens per contactum agat, impossibile sit, corpus aliqvod agere in patiens remotum, qvin etiam contingat proximum, imò hoc etiam potentiùs. 2.) Illud, qvod efficit tale, est magis tale, & per conseqvens, dum filii parentum proximi posteros subseqventes seu nepotes inficiunt, illos qvoqve morbosos existere debere. Qvibus tamen Objectionibus seqventi modò olim in Collegio Pathologico ita respondebat νῦν ἐν ἁγίοις Johannes Bohnius, scilicet ad 1.) omne agens per contactum agere, sive mediatum, sive immediatum, & per conseqvens Parentum morbos natis imprimi priùs, qvàm nepotibus ratione causæ & apparatus. Cui tamen in filiis aliqvid resistit, (robustior nempe horum tanqvam parentum textura & rerum non naturalium accuratius regimen, item propter aviæ, v. g. laudabilem admodum constitutionem non potuit vim suam in filiô exserere Semen avi morbosum, qvod in Conceptione Nepotis in Matre imbecilliori præstat,) qvod fortasse non fit in Nepote; unde aliqvando contingit, ut causa seu dispositio illa hæreditaria effectum, qvem non potuit in filiis, producat in Nepotibus. Ad 2.) conceditur, filios eqvidem in se continere causas morborum, qvibus Avi Nepotes inficiunt; non tamen semper ipsos morbos, id est, fovere illos qvidem causam antecedentem, seu apparatum morbificum, non tamen continentem & morbum actu talem. Unde etiam Ratio.

non raró contingit, seminium illud morbificum tenello prolis corpori insitum per plures annos torpidum & sopitum lateat, anteqvàm in hôc Parentum morbos excitet, vel actu producat: cùm Experientia testetur, nonnullos post aliqvot demum annorum decursum ratione statûs morbosi Parentum æmulos evadere, qvatenus unius Conjugis semen alterius sæpe pravitatem corrigit & obtundit, ut non nisi post aliqvot annorum luctam alterum alteri prædominetur & vim suam exerat: Cui accedit, qvod rerum non naturalium determinatum moderamen hæreditariorum qvoqve morborum resuscitationem seu actum sufflaminetur ac juvet. Imò forsan ipsa constitutio naturalis ætatis puerilis ac juvenilis impedit, qvò minùs dispositio hæc in actum erumpere possit, usqve dum tractu demum annorum aptum evadat corpus, ad morbum hunc vel illum sustinendum. Plura vid. Dermut. de Meara *de Morb. hæreditar. cap.10. p. m.291. 293. seq.* Fortunat. Fidel. *de Relat. med. Lib. 3. cap. 4. pag. m. 404. seqq.*

§. 39.

Qvomodo propagentur.

Ad propagationem morborum hæreditariorum reqviritur, ut, si talis morbus soboli communicari debet, parentibus vel actu inhæreat, aut ipsos coitûs fœcundi tempore vexet, vel ejus saltem apparatus seu dispositio ad talem morbum inexistat; siqvidem ad horum morborum propagationem non semper morbi præsentia necessaria, sed causæ solummodò propagatio sufficiens videtur, qvæ post temporis maturitatem, Parentum imbecillitatem aut morbum in liberis excitandi, seu ex Parentum arbore morbosâ similem constitutionem inferendi vim habeat, postmodum, licet morbosa in parentibus radix remaneat, malumqve parentes nec totaliter, nec partialiter deserat, in liberis ac nepotibus procrescentem.

§. 40.

Probè etiam notanda est differentia inter morbos hæreditarios & inter connatos, siqvidem morbi hæreditarii eqvidem sunt connati, non autem omnes connati sunt hæreditarii, sed accidentarii & qvorum semen, principia & causæ ægrotanti non sunt ingenita, sed aliunde, qvàm ex vitæ principiis, semine scilicet vel sangvine, advenerunt; & qvidem vel ipsô generationis aut conformationis tempore, ex occulta Planetarum fixorumqve Astrorum influentia, (cui nonnulli non levem morborum generandorum vim attribuendam existimant) vel reliqvô gestationis tempore, ex alimenti, qvod fœtus in Uterô capit, vitiô, vel à situ vitiosô, qvô fœtus ex uterô maternô prodiens varias contraxit deformitates. Præterea etiam qvibusdam Autoribus, v. g. Michaeli Ettmüllero, *Oper. Vol. 1. fol. m. 202.* illi tantùm Morbi hæreditarii dicuntur, qvi fixas in parentibus radices habent, chroniciqve sunt & difficulter curabiles, v. g. Lithiasis, Arthritis, Melancholia, Mania, Lues venerea, &c. non ita, qvi à causa spirituosâ & volatili magis dependent, ut febres malignæ & acuti morbi, qvi unâ vel alterâ vice Parentes accesserunt. *Differentia,*

§. 41.

Qvantum deniqve morbosæ hæreditatis causam attinet, sanè admodum difficilis atqve in obscurô posita ea est, variasqve apud Autores circa eandem reperimus opiniones, qvæ tamen omnes dictam causam vel in semine tantum, vel in semine & sangvine simul qværunt; dum alii cum veteribus seminis utriusqve in generatione commiscelam, alii cum Helmontiô Archeum seminalem, alii cum Ferneliô semen & sangvinem maternum, alii cum Laurentiô non sangvinem maternum, sed solum semen, alii cum Qvercetano salis vitium de- *Causa,*

defendunt, vid. Dermut. de Meara *l. a. cap. 2. usqve ad 10. à pag. 247. usqve ad 290.* Petr. Borell. *Cent. I. Obs. 7. pag. m. 13.* Fortunat. Fidel. *Lib. 3. cap. 3. p. m. 398.* Joh. de Muralt. *M. N. C. Dec II. An. 8. Obs. 12. Schol. pag. 48. seq.* Christ. Francisc. Paullin. *de Theriac. cœlest. p. m. 163.* Et juxta Mich. Ettmüller. *l. a. fol. 203.* reverà nihil materiale fermenti vel seminis morbosi transplantatur in fœtum, sed generatio morborum hæreditariorum consistit in certâ dispositione spirituum ad hunc vel illum morbum, qvæ in formatione tribuitur partibus, ratione cujus successivè generantur isti morbi, qvales fuerunt in parentibus.

§. 42.

à Lacte nutricum.

Non autem tantum à semine & sangvine, sed etiam à lacte matrum vel nutricum morbos hæreditarios in infantes propagari posse, docet Johannes Baptista van Helmont. *Tract. Infantis Nutritio ad vitam longam Oper. fol. m. 477.* sunt, inqviens, multa lactis crimina, occultiori tabo perniciosa. Nimirum nedum Lues Veneris, lepra, pestes, febresqve, contagio infames suguntur à nutricibus, verum etiam inuritur puero à cunis propensio morbosa nutricum, non secus, ac si hæreditaria esset. Certè Character in vitam deplorabilis. Novi qvendam Præsidem sextâ sanâqve prole beatum, cui septima (qvod nutrice aleretur renum calculo subnoxia) luctuosa lithiasi anno ætatis suæ decimô tertiô, tertiâ sectione, sub lithotomô finivit. Deniqve non sat est, morbos materiales lactis, occultas tabes morborum radicesqve hæreditarias per lac in sugentem transplantari & pertinacissimò in vitam incorporari: verùm etiam vitiorum qvorumcunqve sementa moralia, cum lacte intrò penetrant ac in vitam perseverant. Observavi sic nutricem salacem, furtivam, avaram, iracundamqve suam fragilitatem transtulisse in pueros. Sic insolita in familias stupiditas,

tas, ira, dementia, multaqve animi pathemata (etiam præter defectûs morales) dudum somniantia, ac tandem dierum sub maturitate explicata prodeunt, à nutricibus mendicata & per lac propagata. Hæc Helmontius.

§. 43.

Ex Semine humanô homines, ex brutali bruta, & qvidem ejusdem speciei, secundum naturam generari, per se notum est; referunt tamen nobisqve persvadere conantur nonnulli Autores, aliàs fide digni, qvandoqve contra naturam non solum à brutis differentes inter se species, sed etiam homines, imò ab ipsis etiam hominibus qvandoqve bruta produci; siqvidem primò occurrunt bruta monstrosa, aliqvid humani præ se ferentia; qvale deforme monstrum vacca enixa est in Pago Cleisdorff, distante tria milliariâ â Pabenbergâ; qvod pedes habuit qvatuor vitulinos, caput humanum virile, atrâ barbâ, geminis auribus humanis & modicis capillis, pectus item humanum & mammosum, vid. Joh. Georg. Schenck. *Histor. monstror. n. 75. pag. m. 104.* Veronæ Anno 1254. Eqva pullum eqvinum peperit, cætera qvidem eqvum, sed humanâ planè facie, vid. Ambros. Paræi, *Lib. 24. fol. m. 541.* qvi etiam *fol. 558.* depingit nefrendem Sue editum, qvi capite, facie, pedibus manibusqve humanis, reliqvô totô corpore suillum fœtum exprimeret. Item Anno 1564. Bruxellæ Sus peperit sex nefrendes, qvorum primus monstrum erat, capite, facie, interioribusqve pedibus & Omoplatis hominem referens, reliqvô totô corpore nefrendem. Luneburgi monstrum è scrofâ natum est Anno 1523. cujus caput hominis erat facies, longum porrectum nasum habebat, in vertice glabrum & depile, instar rasi monachi, & coronam, veluti in monachis conspicitur, collumqve gruis: brachia, femora, pedes, manusqve prorsus humanas habebat, vid. Joh. Wolff. *Lect. memorabil.*

Ex Semine s. n. homo.

Qvandoqve p. n. bruta & monstra.

In brutis aliqvid humani.

Tom.

Tom. II. Centenar. 16. *fol. m.* 191. in qvô & aliis Autoribus plura ejusmodi monstrorum exempla reperire licet.

§. 44.

Ex brutis diversa species. Deinde bruta alias brutorum species generâsse leguntur, v. g. Eqvam Vitulum peperisse, refert Isibordus ab Ameluxem *Breviar. Rer. memorab. Obs.* 3. *M. N. C. Dec. II. An.* 4. *Append. p.* 156. In exercitu Xerxis, qvem adversus Græciam contraxerat, Eqvæ partu leporem editum constat, juxta Valer. Maxim. *Lib.* 1. *cap.* 6. *Extern. n.* 1. *p. m.* 74. Prope Cronæburgum vacca unà cum Vitulô etiam triginta catulos in vulvâ habuisse fertur. v. Act. Hafniens. *Vol. II. Obs.* 2. *p. m.* 3. *seq.* Ad Sinuessam bos eqvuleum peperit, juxta Jul. Obseqvent. *de Prodig. n.* 33. *p. m.* 29. de Bove serpentem enixâ Johannes Wolffius, *l. a. Tom.* 1. *fol. m.* 682. & Joh. Georg. Schenckius, *l. a. p.* 103. seqventia referunt: In agrô Senogaliensi in Piceno, bos qvædam serpentem peperit miræ magnitudinis, capite erat grossiori, qvàm vituli, collô longo ad mensuram ulnæ, corpore canis simili terete & longiore. Hunc editum cùm bos conversa respexisset, magnoqve mugitu editô exterrita, an fugere vellet, erectus serpens subitò posterioribus cruribus caudâ circumdatis ad ubera Os admovit, tam diu sugens, qvoad lac inerat uberibus. Deinde bove relictâ ad sylvas vicinas aufugit. Ubera postmodum & ea crurum pars, qvam serpens caudâ tetigerat, veluti adusta nigraqve diutius permanserunt. Hoc pastores (nam in armento bos erat) se vidisse affirmârunt, bovemqve vitulum postea peperisse. Ad Senuessam bovem eqvuleum peperisse idem Schenckius, *pag.* 102. ex Livio refert. Sic Ovis non ritu naturæ, agnum, sed leonem peperisse dicitur. v. Lud. Cœl. Rhodigin. *Lect. antiqv. Lib.* 13. *cap.* 14. *f.* 482. Fort. Licet. *de Monst. Lib.* 2. *c.* 68. *pag. m.* 231. it. Claud. Ælian. *Histor. Lib.* 1. *cap.* 29. *fol. m.* 379.

§. 45.

§. 45.

Qvoad exempla hominum ex brutis natorum, Annô 1597. in Burgies, Hispaniæ locô, Vaccâ marem & fœminam humanos fœtûs suis membris apposite formatos & distinctos enixa proditur; Qvos fœtûs ad sacri fontis Characterem nullô modo admittere voluit Archiepiscopus ejusdem loci, uti ex Jacobi Franci Relation. histor. recenset Johannes Georgius Schenckius *Histor. Monstr. p. m. 104. seq.* De Pastoris cum Capella initu deqve inde natô monstrosô fœtu seqventem historiam refert Ludovicus Cœlius Rhodigin. *Lection. antiqv. Lib. 25. cap 32. fol. m. 984.* Fuisse, inqviens, apud Sybarim Pastorem, nomine Crathin, comperi, qvi in venerea proclivior Capellam (sicuti ei visam) omnium formosissimam deperire amplius cœpit, cùmqve libidinis incentivô acriùs exstimularetur, eandem mire prorsum inibat, ac freqventer, demumqve uti amicam grate amplexabatur, nec citra svaviationem crebram. Qvin capellarius amator, qvibus illam capi præcipuè opinabatur, munuscula identidem objiciebat, pabulum videlicet lætius & amænius, ut qvò etiamnum svavior illi fieret anima, qvam labellis labella implicando fortèqve proserpentem etiam reddendo bestiam haurire universim ac medullitiùs affectabat; insuper stibade accubitisqve molliculis haud neglectis, qvibus velut nympha decumberet, qvieti operam impertiens. Interim qvi fuit caprarius ductor ac ceu antesignanus hircus, hæc contemplatus, neglectui haudqvaqvam sibi censuit habenda, Zelotypiâ concitatus tanqvam œstrô vehementiore. Sed apertâ vi imparem se conjectans dissimulandum doloris acerbitatem tantisper est arbitratus, donec ulciscendi commodior præstaretur occasio, qvæ & oblata mox est. Dormientem qvippe conspicatus subsidendi locum arripuit statim, ac qvantò maximè valuit impetu, in hostem irruens, syncipùt ei alli-

Homines ex brutis.

allisit. Ex concubitu autem brutino natum ferunt Infantem cruribus matrem qvi referret, facie verò patrem. vid. etiam Claud. Ælian. *de animal. Lib. 6. cap. 42. fol. m. 133. seq.* In Diecœsi Bergensi, oppido Skaanewii, A. 1640. Capra peperit fœtum humanâ facie, brachiis, oculis, naso, ore, genis, fronte & flavô capillô Capitis, planè his partibus similem fœtui humano, nisi qvòd Ungulæ in digitis manuum pro Ungvibus essent, &c. v. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Histor. 86. p. 123. sq.* Tarqviniis porcum cum ore humano genitum annotavit Julius obseqvens *de Prodig. n. 37. p. m. 35.* De Caprâ fœtum humano analogum mortuum & simul caprum pariente seqventem Observationem communicavit Gabriel Clauderus, *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 171. pag. 328. seq.* Anno 1688. in Pagô Schlehenhayn Capra, qvæ anteà aliqvoties pepererat fœtus suo generi conformes, modoqve â naturâ institutô, excludit fœtum mortuum, humano qvoad plurima simillimum, scilicet penitus nudum & qvoad cutem album; caput rotundum rotundas gerebat aures; loco oculorum foveæ præsentes aderant, ut ita plenariam nondum obtinuerint perfectionem; vel fœtus aliqvot jamjam diebus in Uterô erat mortuus; siqvidem posticâ sui parte ad putredinem inclinabat; pedum & manuum vel qvatuór pedum extremitates ad caprinam ferè accedebant figuram. Partus alter, genuina nimirum capra, elapsâ horâ unicâ priorem inseqvebatur, & qvidem vivus, paucissimis tamen post diebus moriebatur. In Belgiô fuit nefarius qvidam, qvi Vaccæ se commiscuit. Post visâ bos prægnans & post aliqvot menses edere masculum fœtum, non vitulum, sed puerum: adfuere non unus, deqve matris vaccæ cadentem utero adspexerunt levatumqve de terrâ nutrici tradiderunt, adolevit puer, baptizatus & institutus Christianæ vitæ præceptis, pietati se addixit, & pro patre seriò pœnitentiæ

va-

vacavit operibus: homo qvidem perfectus, sed qvi sensit in animô propensiones vaccinas, pascendi prata & herbas ruminandi; v. Martin. Delrio *Disqvisit. magic. Lib. 2. Qv. 14. pag. m. 173.* vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 10. p. m.* 108. *seqq.*

§. 46.

Ex brutis masculis & feminis humanis, item ex mare & feminâ hominibus, pronatarum bestiarum vel monstrorum exempla, ut qvædam adducamus, Nobili cuidam Venationis gratia festos dies prophananti ex Uxore natam Prolem caninô rictu & auribus braccorum (ut vocant) more flaccis ac dependulis, refert Martinus Delrio, *loc. alleg. p. m. 175.* Anno 1493. genitus est ex muliere & cane fœtus, qvi ab umbilicô sursum versus humanam, id est, matris effigiem integrè referret, inde verò deorsum patrem, id est Canem. Qvod monstrum depingit Ambrosius Paræus, *Lib. 24. cap.* 12. *fol. m. 558.* Ejusmodi exemplum ex relatione refert Thomas Bartholinus, *Cent. 5. Hist. 87. p. m.* 166. *seq.* Pro verô, inqviens, mihi narratum fuit, in aulâ Ducis Montmoranci in Gallia, ex Cane filiam natam cuidam feminæ (qvæ cum Cane Melitensi in lecto lusitare consveverat) eleganti formâ & matri similiorem, qvàm patri; nam nihil caninum præ se ferebat, nisi, qvòd in lectô se volutaverit; Mater cum Cane rogo adjudicati. Filia vero Viro nupsit, qvi cùm inter domestica litigia Canem ipsi patrem exprobrasset, ad mortem compulit. Romæ, Alexandro Pontifice claves Ecclesiæ moderante, mulier ex Canis concubitu semicanem enixa traditur. v. Joh. Lang. *Epist. Medic. Lib. 2. Epist. 8. pag. m.* 167. In Villa Nempscha Anno Domini 1488. mulier uxorata Canes duos, deinde in crastinum tres alios murium magnitudine, non tamen omnes enixa est vivos. v. Sim. Majol. *dier. Canicular. Tom. I. Colloqu.* 3. *fol. m.* 42. Opilionis *Bestiæ ex hominc.*

nis Uxorem, qvæ rem habuit cum Molosso, duos Catulos ex eô suscepisse refert Isibordus ab Amelinxem. v. *M. N.C.Dec. II. An. 4. Append. pag.* 193. ubi Ch. Franc. Paullini Ancillam Schwabstettensem a Cane Anglicô imprægnatam tres peperisse catulos annectit. Attilam Cane patre natum fingit Roccus Arminensis Patavinus. v. Th. Bartholin. *de Unicorn. cap.* 2. *p. m.* 24. De his & aliis Exemplis vid. Chr Fr. Paullin. *Cynagraph. Sect.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 59. Georg. Horn. *Histor. natural. Lib.* 2. *cap.* 19. *p.* 152. De Cane ex Muliere natô seqventem adducit Observation. Cornelius Stalpart van der Wiel, *Observ. rarior. Cent* 1. *Obs.* 72. *pag. m.* 309. *seq.* Elisabetha Tomboy, inqviens, Obstetrix eduxit 21. Septembris Anno 1677. è cujusdam Uterô caniculam qvandam membranis suis cinctam viventemqve, sed pilis carentem, nec non omnibus ritè formatis absolutam membris atqve minori digito magnitudine parem. Hunc autem minus humanum abortum etiamnum calentem illa continuò ad ædes mei fratris, Johannis Stalpart van der Wiel, detulit. Ipsa autem mulier nihilominus gravida permansit, ac post qvatuordecim hebdomadas sanum admodum ac bene natum, nec non etiamnum viventem peperit filium. Monstrum, seu bestiam, per superiora navigii hinc inde cursitantem, Capræ figurâ, mulierem Leidensem prope Promontorium bonæ spei, jam in Indias navigaturam enixam esse, ex Literis Oligeri Jacobæi refert Th. Bartholinus *Act. Hafn. Vol. III. Obs.* 59. *p. m.* 97. Narrat etiam Castaneda in Annalib. Lusitaniæ, mulierem ob qvoddam crimen in Insulam desertam navi deportatam; cùm ibi exposita fuisset, eam simiorum, qvibus freqvens locus, agmen circumstetisse fremebundum, sic pervenisse unum grandiorem, cui reliqvi locô cesserint, ab hoc mulierem blandè manu captam in antrum ingens abductam, eiqve cùm ipsum, tùm cæteros copiam

po-

pomorum, nucum, radicumqve variarum apposuisse, & nutu, ut vesceretur, invitasse; tandem â ferâ coactam ad stuprum: facinus hoc multis diebus continuatum, adeò, ut duos ex ferâ liberos susceperit; ita miseram victitasse per annos aliqvot, donec Deus misertus navim eò Lusitanam detulisset. Cumqve milites in terram aqvatum ex proximô ad antrum fonte exscendissent, abessetqve forte fortuna simius, fœminam ad invisos diu mortales accurrisse & accedentem ad pedes supplicasse, ut se facinore & calamitosissimâ servitute irent ereptum, adsentientibusqve & casum mirantibus illis, eam cum ipsis navim ascendisse. Sed ecce tibi simium supervenientem, incondidis gestibus & fremitibus conjugem non conjugem revocantem, ut vidit vela ventis data, concitô cursu de liberis unum matri ostentat, minatus, ni redeat, in mare præcipitaturum: nec segniter fecit, qvod minatus. Tunc recurrit ad antrum & eadem velocitate ad littus rediens ostentat alterum, minatur, & demergit; subseqvitur & ipse furens, tamqve diu navim natatu inseqvitur, donec undæ natantem vicêre. Rem totâ Lusitaniâ teste notissimam, & à Rege mulierem Ulissiponæ addictam ignibus qvorundam precibus vitâ impetratâ, lethum cum claustrô perpetuô commutasse. v. Martin. Debrio *Disqvisit. magicar. Lib. 2. qv. 14. p. m. 172.* De muribus vivis à muliere gravidâ editis apud Philippum Salmuthum *Cent. I. Obs. 62. pag. m. 39. seq.* hanc legimus Observationem: Mulier qvædam gravida, cùm tempus justum & debitum pariendi, nonus scilicet mensis, advenisset, enixa est qvinqve vivos mures, qvi ex Uterô mulieris intra manûs obstetricis exsilientes, in hypocaustô hinc inde, aliorum murium more, discurrunt. Horum qvattor ab adstantibus statim interfecti sunt; qvintum autem in angulô vel rimâ parietis haerentem felis, qvæ tum forte fortuna in hypocaustô la-

latitabat, comprehendit & devorat. Idqve Egræ contigisse, Medicus qvidam Noribergensis Jenam ad Fridericum Scroterum Anno 1596. perscripsit. Item glis à puerpera editus legitur apud Th. Bartholinum Histor anat. *Cent. 1. Histor. 10. pag. m. 19.* scilicet Fœmina qvædam primaria Helsingoræ, de tempore partûs certa ad puerperium omnia componit, conductâ Obstetrice, instructis cunis, adornatis crepundiis, fasciis ligatis, votis Genitæ Mamæ nuncupatis. Sed tumidus venter ultimô mense subsidere visus, qvem tamen, ne famam de se sparsam imminueret, farctis vestibus in solitam amplitudinem auxit. Instante partûs momentô, prægressis consvetis parturientium doloribus, enixa est animalculum Glini grandiori simillimum, qvod magnô adstantium feminarum stupore ingenti celeritate antra cubiculi petiit, nec amplius visum. Noluit etiam Bartholinus certam fœminarum fidem suspectam reddi, qvia monstrosos fœtûs multorum experientia confirmat. Plura ejusmodi exempla de avibus, muribus, serpentibus, bufonibus, aliisqve animalibus cum & sine fœtu à mulieribus natis congessit Cornelius Stalpart van der Wiel, *Observ. rarior. Cent. I. Obs: 72. Schol. pag. 312. seqq.* Reges Gothos ex Ursô & Virgine nobili natos esse, narrat Saxo Grammaticus. Nam in agrô Sveco Ursus Virginem rapuit, & cùm eam oppressisset, prægnantem reddidit. vid. Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. 2. cap. 31. & 29. pag. m. 260.* vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 10. pag.* 110. *seq.* Attamen non Ursum, sed Ursi seu Biornonis nomine insidiatorem & raptorem fuisse, cum Stephaniô credit Thomas Bartholinus *Cent. 5. Histor. 87. pag. m. 166.* ubi etiam ex Sabellicô sub Martino IV. illustrem feminam Ursum peperisse refert, eò, qvod statuas & picturas Ursorum freqventiùs conspexisset. Nigrum Cattum, posteà igne combustum, ex Dæmone fœminam

nam qvandam Gadelheimensem peperisse, refert Hibordus ab Amelunxen, *Breviar. Rer. memorabil. Observ. 3. vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Append. p. 186.* ubi Christianus Franciscus Paullini non modò simile exemplum de fœminâ canem felemqve pariente, sed etiam alia plura adducit. vid. etiam ejusdem *Cynograph. Curios. Sect. 1. cap. 3. p. m. 57.* Bufonem Mulier ad Laodunum dicitur peperisse, vid. Johan. Bodin. *de Magor. Dæmonom. Lib. 2. cap. 8. p. m. 218.* Nobilis qvædam fœmina in ditione Episcopatûs Constantiensis, oppidulô Sempach, Anno 1274. horribilem edidit in lucem fœtum, scilicet Leonem, capite humanô. vid. Joh. Wolff. *Lection. Memorab. Centen. 13. fol. m. 448. &c.*

§. 47.

Circa hæc & alia ejusmodi exempla ratione Causæ varias fovent Autores sententias, dum nonnulli talem extraordinariam generationem, tam in hominibus, qvàm brutis, matris phantasiæ vel impressioni adscribunt, qvod in labiis leporinis aliisve vitiosis conformationibus & partubus monstrosis concedi potest; an verò fœmina ex freqventiori statuarum & picturarum ursorum conspectu Ursum vel aliam bestiam parere possit, uti modò ex Thomâ Bartholinô adduximus, res altioris indaginis est. Interim dicit Oligerus Jacobæus: certè ob imaginem humanam brutorum phantasiæ obversantem, imprimis veneris conceptûsve tempore, vi imaginationis, fœtûs à brutis editi sunt, hominis figura induti. Et forsan eodem modô, ob imaginem bruti bestiam seu monstrum qvoddam ex promontoriô bonæ Spei, Capræ figurâ, mulierem qvandam peperisse putat. *Act. Hafn. Vol. III. Obs. 59. pag. m. 98.* Et Nicolaus Blegny, *Zodiac. med. Gallic. An. I. Mart. Obs. 4. pag. m. 60.* Monstrorum generationis maximè & evidentem & communem causam esse fortium idearum conceptionem

Causa.

An phantasia?

onem statuit, ubi etiam post mentis suæ explicationem ita concludit: Inde est, qvod si primis conceptionis diebus qvorundam Objectorum monstrosorum fortes impressiones mulieres admittant, sive realia sint, sive phantasiæ productu, monstra sine dubio edituræ sunt, &c. vid. etiam Fort. Licet *de Monstr. Lib. 2. cap. 42. p. m. 156. seq.* qvi ibidem in præcedentibus & subseqventibus capitibus varias monstrorum causas monstrat; Nic. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. 3. Mart. Observ. 19. p. 97.* Joh. Helwig. *Obs. 5. Schol. p. 15. seqq.*

§. 48.

An Pater excludendus. Nonnulli tamen in ejusmodi generatione extraordinaria Patrem seu genitorem non penitus excludunt, siqvidem Thomas Campanella *de Sens. rer. Lib. 2. cap.* II. *pag. m.* 311. *seqq.* talem effectum in Viro; v. g. à rabido cane demorso, Spiritui canino per morsum homini communicato adscribit, statuens, ardentem spiritum humoremqve in vulnere à Cane derelictum passim augeri & temperamentum vincere; sicut modicum coagulum lac multum, inqve seipsum convertit. Qvapropter Spiritus adeò afficitur, qvod obliviscitur, esse humanus, imaginaturqve esse caninus. Motiones enim passionesqve caninæ in eô prævalent imaginantemqve vim caninam faciunt. Et veluti modicum semen frumenti terram multam mutat in frumentum; sic caninus ille spiritus modicus operatur vehementiâ suâ immutante temperiem sensumqve in se. Itaqve patiens credit, se esse canem, & jam canis est intrinsecus, non autem in figura: nam sicuti mutatur in Corpore Canis cibus & sanguis in Spiritum caninum; ita & in Corpore nostro, dum caninum semen sic potens est. Mens autem à Deo nobis indita patitur eadem passione & credulitate, qvia est involuta Spiritu patiente & credente, se canem esse. Generant qvidam catulos, qvoniam caninus factus est spiritus ipsorum, ergo ex se-

ſemine canes format; ſicut ſemen hominis in Utero format hominem, qvoniam ejus ſpiritus in ſe retinet ideam genitoris, & veluti nutriebat & vivificabat & ſentiebat & operabatur in genitore, ſic agit & operatur in Uterô, ergo & ſimilem genitori fabricatur. Sic etiam Spiritus caninus operatur, qvod & ſicut in Cane operabatur, & nutrit, & generat, & latrat, & omnia agit juxta ideam ſuam. Granum frumenti de terrâ ſibi diſſimillima frumentum facit; qvoniam adeptô vigore agit, qvod & ſicut agebat in frumentô innata vis illius, & ſicut fecerat herbam ſpicam & granæ, ita nunc facit in terrâ, & qvocunqve idea transfertur, ibi ſimile producit; Et Gallinæ ovum ſub fimo & ſub columbâ, facit Gallinam, cujus ideam habet; ſic Spiritus caninus convertit alienum in caninum & deinde canes generat, &c.

§. 49.

Nonnulli ejusmodi fœtûs, inprimis in aliam ſpeciem degenerantes, à Dæmone incubô & muliere generari ſtatuunt, uti Iſibordus ab Amelunxen fœminam Gadelheimenſem ex Dæmone nigrum Catum peperiſſe ſcribit, *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. App. pag. 186.* Dubius etiam eſt Oliger. Jacobæus, annon fœmina illa, qvæ prope Promontorium bonæ ſpei, beſtiam inſtar capræ monſtroſæ peperit, cum diabolô rem habuerit, cui ſæpius, qvàm divino Numini precibus ſuis litaverat. v. *Act. Hafn. Vol. III. Obſ. 69. pag. 98. ſeq.* De Urſô ex fœminâ natô idem judicat Franciſcus Torreblanca *de Mag. Lib. 2. cap. 31. p. m. 260.* Qvod ſi qvando, inqviens, accidit, potiùs ex Muliere & Incubô dæmone urſi forma, qvàm ex muliere & urſô natos exiſtimo. De puerô poſt nefandum coitum ex vaccâ natô, cujus ſupra ex Martini Delrio *Diſqviſit. Mag. p. m.* 173. mentionem feci, ita pergit dictus Autor: Qvid de hoc ſentiendum? Nonne hominem eſſe; plane credi-

An à Dæmone?

diderim, sed ex vaccâ matre natum abnuo; qvid ergo? Diabolus peccati illius gnarus & impulsor, mox vaccam prægnantem fecit videri: cùm voluit, aliunde infantem surreptum attulit, & vaccæ parturienti, qvæ vento gravida erat, puerum sic supposuit, ut â vaccâ fundi videretur. Hinc nata opinio: & puer persvasus, se vaccæ filium matris putatæ propensiones hausit imaginando.

§. 50.

An à Semine differente? Alii tales fœtûs â differentium specierum brutorum vel hominis cum brutis nefando & illicitô coitu diversorumqve seminum commiscelâ derivant, qvalia exempla hactenus jam aliqvot adduximus, v. g. de infante à caprâ post Coitum cum pastore, ex Lud. Cælio Rhod. *Lib. 25. cap. 32. fol. m. 984.* de Puerô è vacca natô, ex Delrio *Lib. 2. Qv. 14. pag. 173.* de Opilionis uxore post Coitum eum Molosso duos catulos pariente, v. *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. pag. 193.* it. de Ancillâ â cane Anglicô imprægnatâ & tres catulos pariente. De filiâ ex fœminâ & Cane Melitensi, v. Th. Bartholin. *Cent. 5. Hist. 87. p. m. 166. seq.* vid. etiam Joh. Lang. *Epist. medic. Lib. 2. Epist. 8. p. m. 167.* de infantibus ex muliere & simiô natis, vid. Mart. Delrio *Disqvisit. mag. Lib. 2. Qv. 14. p. m. 172.* de Regibus Gothis ex Urso & Virgine ortis, v. Fr. Torrebl. *de Mag. Lib. 2. c. 31. pag. 260. &c.* ut de aliis hactenus allegatis exemplis taceamus, qvæ pariter ex simili coitu derivari posse videntur, uti Gabriel Clauderus circa capram fœtum humano analogum parientem, *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs. 171. p. 328. sq.* innuit; Ille, inqviens, qvi è nihilô omnia creavit, jussit per imperiosum suum: Crescite & multiplicamini, in primâ rerum creatione creaturas qvascunqve, ut similis simile generando suum genus conservet, & augeat; qvod etiam plerumqve ita peractum & peragitur hucusqve. Accedit tamen dolor!

lor! aliqvando malitiosô Diaboli dolô, ut abominabile illud peccatum, qvod Sodomæ justa ira divina pluviâ igneô-Sulphureâ puniebat, à semibrutalibus istis libidinis mancipiis exerceatur. Cujus generis historiam esse statuit, qvam de caprâ fœtum mortuum, humano, qvoad plurima simillimum, pariente ibidem recenset. Ex ejusmodi tamen Seminis commiscelâ non tam hominem, qvam monstrum generari credit Franciscus Torreblanca, *l. a.* ex homine, inqviens, & ferâ non nascitur homo, sed monstrum, ut ex hyænâ & lupô thoes; ex eqvâ & asino mulus, & ex aliis specie discrepantibus animantibus Leopardi, Pantheræ & aliæ hybrides. Qvia ferinum semen perfectionis illius expers est, qvæ ad tam nobile animæ domicilium reqviritur, ut non male Manil.

Permistet sæpe ferarum
Corpora cum membris hominum, non seminis ille
Partus erit, qvid enim nobis commune ferisqve.

§. 51.

An verò omnia hactenus recensita exempla fidem mereantur, ipse Ludovicus Cœlius, Historiam de Leone ex Ove natô ex Vetere autore fidei integræ & gravitatis non dilutæ referens, dubitandi occasionem præbet, dum eandem adeò miram judicat, ut vix non ficta & de ingeniorum Græciæ afflatu producta videatur. Et Johannes Baptista de Lamzweerde, *Histor. natural. Molar. Uter. cap. 26. & 27. pag.* 327. usqve ad 337. de hac materiâ prolixè agens, non solùm tales historias inter illos effectûs, qvi ex nimiâ credulitate emergunt, & qvibus gravium virorum autoritas verisimilitudinem creat, recenset, sed etiam miratur excellentissimum Bartholinum tam insolitam puelli ex belluinâ copulâ producti generationem ex aliorum relatione suis Observationibus inseruisse, cùm ille *Dubium de veritate.*

sententiam de Ovis humanis, ut probabiliorem, amplectatur, qvæ ejusmodi insolitis generationibus impossibilitatem imponit. Qvam impossibilitatem dictus Autor inter alia hoc argumentô defendit, qvòd cùm Ovum, docente Harveô, non aliunde procedat, qvàm à fœminâ, ac in ipsô totius animalis compendium contineatur, non possit aliud animal ex illo ovô produci, qvàm qvod in eô delineatum est, etiamsi aspersione peregrini seminis masculini irroretur; qvia seminis masculini particulæ fermentativæ juxta illam sententiam solummodò particulas ovi rore fœcunditatis imbuunt, easqve primò actuando primitivum Vitæ motum afferunt, & non de novô particulas in ovô delineatas peregrinis figuris describunt, &c. Et *pag.* 333. pergit idem: Generationes hominum ex vaccis aut eqvabus vel asinabus æqvè fabulas sapiunt, ac illæ, qvæ de homine cum avibus aut piscibus commixtô referuntur; nam si consideremus, in semine humanô, juxta Hippocratem, recentiores & naturæ veritatem, totius hominis, in vaccinô vaccæ vel bovis, in eqvinô eqvæ, in asininô asini, in canino canis compendium omnium partium delineationem contineri, qvâ ratione mens sana poterit fieri tam credula, ut apertis mendaciis assensum præbeat, nam ex talium seminum commixtione necessariæ singulorum animalium delineationes se mutuò delebunt. Hac manifestâ rationis evidentiâ graviores Viri convicti confugiunt ad Diaboli effascinationes, qvibus bovem, ut prægnantem puerumqve enitentem adstantibus apparere facit; sed potius Autoris judicio ad Deum confugiendum erit, si auctoritatem virorum gravium, tales Historias referentium conservare velimus, nam ille solus infinitâ suâ potentiâ ordinarium naturæ cursum variis immutare potest modis, & ex Vaccâ puerum & ex cane puellam suscitare, ut ex talium prodigiosorum partuum aspectu & rumore deperditorum hominum

num extrema lascivia gliscentium abominationes abominentur & divinæ humanæqve Vindicis legis timor mortalium cordibus incutiatur, ne crebrius in tam horrendas commixtiones ruant. Tandemqve concludit Lamzweerde ex semine humanô in Uterum femellæ brutæ injectô generationem non solùm ex causis concurrentibus, sed ex intrinsecâ seminum naturâ, juxta ordinarium naturæ cursum, esse impossibilem; Et nulla animalium perfectiorum Semina in uterô muliebri virtutem plasmaticam exercere posse. De Monstrorum causis videatur etiam Johannes Conradus Peyerus, *M. N. C. Dec. II. An. 3. Observ. 163. p. 310. sq.*

§. 52.

Qvid autem de Incubis (qvorum modò mentionem fecimus) & Suc-Incubis, deqve eorum concubitu, & an ex eodem proles nasci qveat, & de aliis ejusmodi fabulis diversimodè sentiant Autores, vid. Martin. Delrio *Disqvisit. magic. Lib. 2. Qv. 15. pag. m. 175. seqq.* Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. 2. cap. 30. p. m. 251. seqq.* 257. Sim. Majol. *Dier. Canicul. Colloqv. 2. fol. m. 29.* Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. I. cap. 20. usqve ad 29. p. m. 239. usqve ad* 313. Ambr. Paræi *Lib. 24. c. 16. fol. m. 562.* Joh. Wier. *Oper. Lib. 2. cap. 19. seq. pag. 228. seqq. cap. 21. p. 246. seq. cap. 28. seq. p. 250. seq.* Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 8. §. 5. fol. 284. & Lib. 7. Tit. 1. Qv. 7. fol. m. 588. sq.* Marcelli Donat. *de med. Histor. mirabil. lib. 4. cap. 25. p.* 464. Nicol. Venette *de la Generation de l' Homme Part. 4. cap. 5. pag. m. 633.* Joh. Conrad. Barchus. *Histor. Medicin. Dialog.* 451. *pag. m. 422.* Joh. Casp. Westphal. *Patholog. Dæmoniac. p. m. 79. seq.* 81. & 101. *seq.* 105. Johan. Frider. Zittmann. *Medicin. Forens. Cent. 2. Cas. 22. pag. m.* 413. *seqq.* Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 1. Tr. 3. cap. 1. seq. p. 39. seqq.* *De Incubis.*

CAPUT V.
De COITU.

§. 1.

Coitus necessarius.

QVò autem in Testiculis elaboratum inqve Vesiculis seminalibus asservatum Semen virile cum liqvore prostatarum, intra sinum muliebrem, mediante Pene, commodè injiciatur, naturæ ordine coitus seu cohabitatio conjugalis & conjunctio Maris & Fœminæ reqviritur, sive juxta Abrah. à Gehema, *Diætet. p.m.59.* Semen per Penem ad propagationem generis humani inter amplexûs licitos emittendum Creatori placuit. Et secundum verba Philippi Jacobi Vintheri, *Disput. alleg. cap. 4.p.12.* Ut tanti momenti opus, à qvô generis humani pendet perennitas, magnâ contentione perageretur, complexu utriusqve Sexûs mutuo opus erat, qvo mulier à mare compressa fœcundum Seminis virus Utero exciperet, novâqve Sobole parentum fata compensaret. Neqve tamen superficialis poterat sufficere contactus, sed Uteri penetralia profundius intra pelvim recondita Spiritus prolificus lustrare debuit. Ergo parti alias flaccidæ vim concessit altiùs sese erigendi, ut sinu muliebri demergi, ac Urethræ foramen matricis orificio è Diametro se opponere posset. Qvod dum fit, Uterum unà qvatit, atqve ex ejusdem vasis σίμβολον emulget liqvorem, ut utriusqve Sexûs Seminibus simultaneâ effusione commistis, futuri conceptus primas qvasi lineas duceret. Muneris ergò sui complementum in coitu Penis assequitur, &c.

§. 2.

Coitus vocabula.

Hunc actum Venereum nonnulli Autores singulis vocabulis appellare solent, qvibus, qvod Mares vel Fœminæ præstent,

stent, speciatim & magis proprie enunciatur; inire enim dicuntur mares, & poëtica voce, cevere; ac, qvod Martiali familiare, futuere, (& Gallice fouere) v. g. *lib. 9. Epigr. 42.*

Nempe semel futuit generaret Horatius ut tres.

Et *lib. 3. Epigr. 87.*

Narrat te rumor Chione nunqvam esse fututam.

Hinc exfututi Poëtis dicuntur decrepiti & velut officio defuncti, atqve à Venere rude donati. Item stuprare, ut contra fœminæ, crissare, vel Deponenter, crissari.

§. 3.

Cum autem ad generationem Coitus adeò necessarius sit, non immeritò Jason à Pratis *Tr. de Uter. lib. 1. cap. 2. pag. m. 26.* fabulis anilibus annumerat, qvod refert Averrhoës, scilicet vicinam qvandam suam in balneô, sine coitu seu virili copulâ concepisse, ubi lautorum aliqvis Sperma profudisset; Et secundum Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. lib. 9. Tit. 3. Qv. 6. §. 1. fol. m. 779.* impossibile est, fœminam posse ex Virô concipere absqve eô, qvod cum Virô per membra generationis secundum naturæ institutum copuletur, ac fabulæ somnia ac mera mendacia sunt, qvæcunqve jactantur de Conceptione factâ ex Semine virili in balneô relictô, vel ex ejus effusione extrà licet prope vasa muliebria; aliæqve nugæ his non absimiles. Item Johannes Baptista Sylvaticus de hac Averrhoës fœminâ, (probis moribus & fidei integræ, qvæ jurejurando confirmavit, concepisse infantem semine ex balneô attractô, qvod profudisset lasciviens Manustuprator,) ita scribit: Mulier illa vel noverat semen illud in balneô contentum, vel non: si non: qvomodo asseverare potuit, se ex illô concepisse; si noverat: cur tam infamis fuit & impudica, ut expectaret, qvod uterum ingrederetur semen illud, alioqvin ad sordes corporis ab-

Sine coitu nulla conceptio.

abluendas ingressa. vid. Casp. Bauhini. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 8. pag. m. 88.* ubi ita pergit: Hæc Averrhois Opinio ridicula, partim, qvia tale Semen aqvæ copiâ suffocaretur, partim etiam, qvia Uterus Semen non attrahit, nisi cum voluptate, qvi solum vel coitûs vel menstruorum tempore aperitur. Non minus ridicula historia Thomæ Aqvinatis dicitur accidisse cuidam puellæ jam pubescenti, qvam propter pudoris custodiam in lecto suo habebat pater; qvi, cum in somnô polluëretur, semen ejus ad filiæ matricem descendit, & inde puella concepit. Ejusdem farinæ videtur qvoqve seqvens Observatio Amati Lusitani, *Cent. 7. Curat.* 18. *pag.* 711. duæ mulieres Turcicæ vicinæ multis coitibus, incubis & succubis sese contaminabant, polluebantve, qvarum altera vidua erat, altera verò virum habebat. Cæterum qvùm semel vidua ad Coitum irritata, alteram conjugatam ad Coitum incitaret, & forte eâ horâ à maritô, cum qvo rem habuerat, discedentem, subcuba est facta; qvô in coitu amplexuve, post multam frictionem attrectationemve ac Seminis ejaculationem, Uterus subcubæ viduæ, ingenti appetentiâ, semen non solùm mulieris incubantis, sed virile, non multùm antea in ejus Utero relictum, suxit, â qvo semine pregnans facta est, firmante ipsâ, variis juramentis habilis, &c.

§. 4.

Coitus differentia.

Qvoad ipsum Coitum differunt inter se homines & bruta, & qvidem tam ratione temporis, qvàm modi; siqvidem pleraqve animalia seu bruta non nisi certô atqve statô qvodam tempore ab Orgasmô venereô stimulata Coitum exercent, (præter canes, qvos nusqvam Coitum aversari, nec tempus observare scribit Christianus Franciscus Paullini, *Cynograph. curios. Sect. 1. cap. 3. p. m. 53.*) homines autem qvovis anni tempore ad procreandum apti sunt; id qvod luxurianti spirituum

co-

copiæ hominum, qvi meliori nutrimento aluntur, & majori abundant calore, qvam reliqva animalia, ex Bocone tribuit G. A. Herfeld *de Origin. Morbor.* §. *24. p. m. 28.*

§. 5.

Ad qvæstionem, cur bruta stata Veneris exercendæ seu coëundi tempora habeant, non item homo? ita respondet Christianus Warlizius, *de Morb. biblic. p. m.* 381. *seq.* Omnibus notum est, hæc certô tempore vel semel, vel aliqvoties in annô, magnô cum furore appetere congressum, ad libidinem incitari & ad conjugium qvasi impingi; ideò præ œstrô libidinis nil devorant hinc inde cursitant, nec facilè domi continentur, macrescunt aliaqve mala multa patiuntur. Sic Feles Januario, pisces, volucres & insecta tempore potissimum vernali; Eqvi mense Junio, Damæ & Cervi autumno motibus venereis stimulantur & congrediuntur. Insignis enim in bestiis, pro ratione temperamentorum aliarumqve circumstantiarum, est varietas; solus homo verò peculiare tempus non obtinet. Populia facetè hîc respondit: qvia bestiæ sunt. Aristoteles aliiqve alimenti ubertatem & varietatem pro causâ agnoscunt. Cum enim bruta communiter victu tenui ac simplici alantur, & vix ad saturitatem, non verò ad abundantiam pascantur, ideoqve venere non incalescunt; domestica contra nonnulla animalia, ut canes, sues & eqvi, ob pabuli copiam, variis temporibus eandem exercent, inde præter naturæ morem ad lasciviam sæpius adiguntur. Similiter homo, cibis lautis, condimentis acribus & salsis, aromatibus calidis, & multis variisqve gulæ dapibus nutritus pruritum venereum sæpe & necessariò sentit, qvippe qvi comes est ac pedissеqva satietatis. Deinde bruta sitim aqvâ sedant, homines contra vinô generosô utuntur, qvod Veneris hortator & armiger existit. Præcipua verò qvæstionis hujus ratio est, qvia bruta

Coitus brutorum tempus.

solô agunt naturæ instinctu, hinc venerem Veris utplurimum aut alio certô exercent tempore, homo autem voluntatem habet liberam venereis indulgere pruriginibus, absqve ullâ injuncti temporis præscriptione. Insuper bestiæ sensu tantùm moventur ad id, qvod adest, ideoqve, elapsæ voluptatis post conceptum immemores, â coitu postea abhorrent. Etenim Veneris sensus istis tantum ad prolis generationem, non verò ad delectationem â naturâ providâ inditus est: Chylus verò abundans postea in iisdem non in semen, sed in pilos, ungves, cornua atqve pingvedinem abit. B. Lutherus addit: Solus homo habet errantes ac vagas motûs generationis, ex venenô morbi originalis.

§. 6.

Modus Brutorum Coitus. Ratione Cohabitationis uti notum est, Coitus animalium vulgò viviparorum, non unô eodemqve modo exerceri, sed, juxta Joh.Ben. Sinibald. *Gencanthrop. lib. 8. p. m.676.* Veneris idoneam ad Generationem figuram singulis animantibus natura præscripsit; siqvidem nonnulla aversim, adversim alia coëunt; sedendô qvædam, standô alia; complexu illa, hæc verò simplici adhæsu, incubando pleraqve & aliâ formâ aphrodisiis operam dant, pro varia nimirum illorum aptitudine, Corporis mole & genitalium situ. Qvod etiam docet Aristoteles *de Histor. animal. Lib. 5. cap. 2. fol. m.398.* Non omnia, inqviens, animalia simili modô conjunguntur, sed qvæ retrò urinam mittunt, aversa coeunt, ut leones, lepores, lynces. Cæterorum magnâ ex parte modus coëundi idem est. Plurima enim qvadrupeda more coëunt justô, fœminam scilicet mare supergrediente. Differentias in avibus has annotamus, ut alia fœmina considente humi, mare superveniente coëant, ut gallinæ; aliæ non considente fœminâ, sed stante, ut Grues; & qvæ ita coeunt, rem qvàm celerrimè peragunt; mas enim su-

superſiliens citò, ut paſſeres, perficit. Qvadrupedum Urſæ demiſſis cruribus, qvemadmodum cætera, qvæ pedibus innitendo exercent Venerem, admotâ parte maris ſupinâ ad Dorſum fœminæ coëunt. Herinaceis coitus erectis partibus, ſupinis hærentibus ſibi adverſis. Lupi eodem coeunt modô, qvô canes. Feles non parte poſteriore ſe jungunt, ſed mas ſtat, fœmina ſubjacet. Cameli ſedente fœminâ coëunt, nec averſi, ſed complectente mare. Elephanti ſolitudines petunt coituri, ſubſidente fœmina clunibus Submiſſis inſiſtit pedibus, ac innititur, Mas ſuperveniens comprimit, atqve ita munere venereô fungitur, &c. Qvod Gvernerus Rolfincius *de Partib. genital. Part.* 1. *p. m.* 10. ita exprimit: Qvæ animalia retrò urinam reddunt, coëunt averſim, clunatim, clunibus junctis, ut leones & leporum genus, lynces. Aliis autem, qvæ plurima pars, eſt idem modus coeundi: vulgatus ille ſcilicet, qvi in maximâ parte qvadrupedum cernitur, ut marem fœmina tergô accipiat. De Phocis etiam ſcribit Olaus Wormius, *Muſæi Lib.* 3. *cap.* 15. *fol. m.* 289. qvòd leporum & aliorum animantium retrò mingentium ritu, mingant, tam mas, qvàm fœmina, coëant averſi & in mediô coitu inviti cohæreant. Qvod de vitulô marino etiam dicit Ariſtoteles, *l. a.* De Leporum Coitu. vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Lagograph. Sect.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 76. De coitu balænarum vid. Arnold. Montan. Itiner. *Ind. fol. m.* 436. De coitu Cancrorum ſeu aſtacorum, vid. Phil. Jacob. Sachſ. à Lewenheimb *Gammarolog. Lib.* 1. *cap.* 12. *p. m.* 235. de Viperarum coitu, v. Paul. Lentul. *de prodig. Apollon. Schreier. Ined. pag. m.* 173.

§. 7.

Hunc ſibi naturalem coëundi modum cuncta ſemper retinent animalia, ſolusqve tantùm homo diverſos congrediendi, ſub diverſo prætextu, excogitavit modos, dum alii Vene- *Hominis Coitus.*

nerem anticam, alii posticam, alii pendulam, (de qva vid. Joh. Ben. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 8. Tr. 1. cap. 3. pag. 683.*) Alii aliô nefando modô exercendam eligunt.

Adversus,

§. 8.

A parte anticâ seu adversum Coitum pro naturali habuerunt pleriqve Medici, & qvidem secundum Severinum Pinæum ob certam sitûs uterini rugositatem. Dicit enim dictus Autor, *de Not. Virginit. Lib. 1. cap. 9. pag. m. 67.* hic sinus membronosus, nervosus & ubiqve rugosus est, magis autem in ingressu, qvàm in mediô aut fundô, anticè vesicam versus, qvàm posticè ad rectum Intestinum: est enim inter utrumqve situs. Qvod natura effecit ad majorem amantium voluptatem, sed adversim, non aversim concubantium: Nam in anticâ & supernâ balani parte deorsum penis versus non modò asperitatem, sed ferè circularem prominentiam seu projecturam ipsa posuit, qvâ blandus fit attritus & inde titillatio major, qvàm si aversim pecudum more accumberent. Unde colligere est, unicum esse naturalem hominibus gratum & prolificum coëundi modum, in qvo viri & fœminæ mutuus fit amplexus & partium genitalium copula aptior, titillatio major, Seminis virilis injectio directior in cervicem & uteri cavum propter mulieris situm, &c. Et Ludovicus Bonaciolus *de fœtus format. cap. 2. p. m. 186.* svadet, ut in concubitu fœmina capite paululum demisso coxendices clunesqve elatiusculas habeat, feminibus latè patescentibus, &c. Hunc Veneris à partè anticâ exercendæ modum ob varias rationes pro naturali habet etiam Paulus Zachias, *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qvæst. 7. §. 21. seq. fol. m. 282.* Ad Conceptionem, inqviens, juvandam & ad motum expulsionis in virô intendendum, in fœminâ reprimendum, voluit Natura, mulierem viro subjacere, qvia hac ratione vir faciliùs expellere semen,

mu-

mulier promptiùs recipere & continere, neqve in expellendo magnâ uti vi poteſt neqve debet, cùm non in aliud vas, ut vir, ſed in proprium expellere ſuum ipſius ſemen debeat, &c. Ubi etiam hoc multò evidentiùs probari addit, ſi veritatem habeat id, qvod à nonnullis audiverit, partûs nimirum poſticâ venere conceptos omnes in pedes aut aliô modô in caput naſci; Id qvod poſtmodum triplicatâ experientiâ ipſe confirmat. Nam cùm mulier qvædam plebeja bis concepiſſet & partus uterqve ob fœtûs ſitum non naturalem ita difficilis extitiſſet, ut chirurgicâ manu utrumqve ab Uterô extrahere coacta eſſet, cum maximô ejus vitæ periculô, ad dictum Zacchiam pro tantô calamitatis remediô confugiens faſſa eſt, maritum ſuum ſe non niſi poſticâ venere inire ſolitum. Hanc fœminam, ut poſtea rationem coëundi mutaret, hortatus eſt Zacchias, qvod præſtitit magnâ ſuâ utilitate & lætitiâ, gravida enim facta filium optimè peperit. Aliud adhuc ejusmodi exemplum de nobili fœminâ ibidem addit dictus Autor; ſcilicet cùm hæc per qvatuordecim annos ſterilis cum maritô permanſiſſet, maritus conſiliô neſcio cujus medici illam poſticâ venere cognovit; ex qvâ conjunctione concepit qvidem, ſed inſtante partu fœtus in ventrem per umbilicum ſe obtulit. Ab obſtetrice in naturalem ſitum non ſine difficultate reductus tandem natus eſt, manibus pedibusqve vitiatis & poſtridie ab ortu extinctus eſt. Pro adverſô Conjugum coitu exercendo, averſo econtra maximè fugiendô non immeritò addendum mihi videtur exemplum de fœminâ ex coitu cum Virô Caniculam membranis ſuis cinctam pariente, ſupra ex Stalpartio adductum, qvi Autor *Cent.* 1. *Obſ.* 62. *Sch.* *p. m.* 310. ſeqventia annectit: Qvotqvot in hanc Obſervationem incident, non ita facile, opinor, inſoliti hujus animalis conceptum formationemqve invenient. Hæc autem ita contigêre, qvæ, ut & ma-

matrem, qvantum qvidem in me est, omni suspicione liberum, addo: Maritus homo plebejus, rudis & potui deditus insolitô planè, inverecundô, ac prorsus inhumanô modô uxorem, & qvidem invitam, à tergô subinde cognovit, fustibus & ferri acie ipsi minitatus, nisi perversæ veneri obseqvi vellet; qvin & vel canis procreationi se daturum operam, scelestissimô dictitabat ore. Qvæ detestanda dicta, ut & coitus ille verè caninus tam altè & continuè hæserunt animo ejus, ut imaginatrix vis assiduâ abominabilis hujus dicti factiqve reminiscentiâ adeò invaluerit, ut Canis tandem fuerit efformata, &c. Elegantibus etiam versibus ex Apulejô Venerem anticam seu adversam descriptam reperimus apud Gvernerum Rolfincium, *de Partib. Generat. dicat. Part.* I. *cap.* I. *pag. m.* 12. scilicet:

Qvoties purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labella vellicant:
Malasqve adorant ore & ingenuas gemmulas.
Qvin & cùm tenera membra molli lectulo
Compectorata adhærent Veneris glutine,
Libido cum lascivô instinctu suscitat
Stimulare ad Veneris usum femina, fœminæ
Inter gannitus & subantis voculas,
Carpunt papillas atqve amplexus intimant,
Arantqve sulcos molli in arvô Veneris,
Thyrsumqve pangunt hortulô in Cupidinis,
Dans crebros ictus, connivente lumine
Repedante cursu, Venere & Anima fessulâ
Ejaculans tepidum rorem niveis latitibus, &c.

§. 9.

§. 9.

His tamen neqve deliciis, neqve rationibus, neqve exemplis, alii à Venere perversâ & aversâ abstrahi se patiuntur, sed coitum talem brutorum more exercitum Coitui adverso seu naturali præferre amant. Ut enim ex illis libris scandalorum plenis igneqve dignis, v. g. Aretino, Aloysia Sigea Toletana, on de l'Academie des Dames, de l'Ecole des Filles, della Putana errante, &c. jam nihil adducam, mirandum sanè, reperiri Medicos atqve Theologos, contra sterilitatem atqve pro meliore conceptione brutalem ejusmodi congressum svadentes; qvam tamen opinionem ex Lucretiô suxisse videntur, cujus verba *Lib. 4. de Rer. natur.* sic sonant: *Coitus aversus*

Et qvibus ipsa modis tractetur blanda Voluptas,
Id qvoqve permagni refert: nam more ferarum
Qvadrupedumqve magis ritu plerumqve putantur
Concipere Uxores, qvia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
Nec molles opus sunt motûs uxoribus hilum,
Nam mulier prohibet se concipere atqve repugnat,
Clunibus ipsa viri venerem si læta retractet:
Atqve exossato ciet omni pectore fluctus.
Ejicit enim sulcum rectâ regione, viasqve
Vomeris, atqve locis avertit seminis ictum.
Idqve suâ causâ consvêrunt Scorta moveri,
Ne complerentur crebrò gravidæqve jacerent,
Et simul ipsa viri venus ut concinnior esset.

Ad hunc Lucretii locum Conjuges sterili matrimoniô fruentes ablegat eumqve tacitè approbat Qvintus Serenus Sammoni-

cus

cus *Tract. de Re medic. cap. 32. de Concept. & Part. p. m. 170.* his versibus:

Irrita Conjugii sterilis si munera langvent
Et sobolis spes est multos jam vana per annos,
Fœmineo fiat vitio res nec ne silebo,
Hoc poterit qvartus magni monstrare Lucreti.

Paulus eqvidem Ægineta, *Lib. 3. cap. 74.* huic Lucretii de Venere aversâ sententiæ etiam subscripsisse dicitur, Coitus, inqviens, cum Muliere aversâ etiam ad Conceptionem conferre videtur; Item Hieronymus Mercurialis *de Morb. Mulier. Lib. 1. cap. 2.* ubi de Curatione Sterilitatis agit, præterire non vult, qvod à Lucretiô scriptum atqve ab Æginetâ confirmatum est: scilicet qvod, si Coitus exerceatur more beluarum à tergô, magnopere conferat ad concipiendum. vid. Israel. Spach. *Gynæc fol. m. 216.* Item Thomas Bartholinus *Cent. 4. Epist. 22. p. m. 97.* de Penis brevitate ad Nicolaum Cornelium ita scribit: Brevitatem τῦ αἰδόιϗ, qvod spectat, impedire illa potest conceptum, nisi vel ejaculatio fortior, vel Calor uteri attrahentis mulierisqve vehementiori desideriô prolem exoptantis sit robustior. Addunt aliqvi, promoveri citiùs conceptum in tali Casu virgæ brevioris, si concubitus more brutorum fiat.

§. 10.

Autorum excusatio.

Qvodsi verò allegatorum Autorum verba rectè inspiciamus, hanc opinionem non æqve ab ipsis foveri, qvàm ex aliis referri videmus; hinc dicit Thomas Bartholinus, *dicunt aliqvi:* Hieronymus Mercurialis tantummodò ad Æginetam & Lucretium, & Qvintus Serenus ad hunc ultimum, tanqvam fontem provocant; qvi tamen ipse solummodò *putari plerumqve hoc coitu fœminas concipere, canit.* Interim dubium

non

non eſt, allegatis Lucretii verbis ſeductos alios Autores perverſum hunc coitum viriliter defendere, è qvibus Medici atqve Theologi cujusdam ipſiſſima verba allegare liceat. Nimirum Regis Galliæ Medicus, Nicolaus Vinette, *in Tractatu Gallicò de la Generation de l'homme, au Tableau de l'Amour cap. 20. p. m. 247.* hanc ſententiam variis rationibus ſtabilire conatur, ubi anteà de variis coëundi modis ſeu poſituris prolixe egit; Ex qvô ſeqventia huc inſerere liceat: La Nature, inqvit, a appris à l'un autre ſexe les poſtures permiſes & celles, qui contribuent à la Generation, & l' Experience a monſtré celles, qui ſont deſſendües, & celles, qui ſont contraires à la ſanté. Nos parties amoureuſes n'ont pas éte faites pour nous careſſer debaut, comme les Heriſſons, nous alterans noſtre ſanté dans cette poſture & nous nous oppoſons meſmes à la Generation; car toutes nos parties nerveuſes travaillent alors & ſe reſſentent de la peine, que nous nous donnons, &c. Les yeux en ſont & louis, latéte en patit, l'épine du dos en ſouffre, les genoux on tremblent, & les jambes ſemblent ſuccomber à la peſanteur de tout le Corps. C'eſt la ſource de toutes nos laſſitudes de nos gouttes, & de nos rhûmatiſmes. Mais encore la generation en eſt empechée car la matiere, que nons communiquos à une femme n'eſt jamais bien recüe dans le lieu, que la Nature a deſtiné à cet uſage. Le conduit dela pudeur eſt trop preſſé par la poſture de la femme, quand nous les embraſſans ainſi. Eſtre aſſis n'eſt pas non plus la poſture, qv'il faut à un amour bien reglé. Les parties naturelles ne ſe joignent, qu'avec peine, & la ſemence n'eſt pas toute receüe pour faire un enfant accomplus dans toutes ſes parties. L'homme, qvi ſelon les loix dela Nature doit avoir l'empire ſur la femme, & qvi paſſe pour le maitre de tous les animaux, eſt bien lâche de ſe ſoumettre à une

une femme, qvand ils veulent prendre ensemble des plaisirs amoureux, &c. An lien de faire des enfans, on rend par cette posture une femme sterile, & si par hazard il en vient qvelqv'un, il est ou petit, ou imparfait, &c. La plus commune des postures est celle, qvi est la plus licite & la plus voluptueuse, on se parle bouche à bouche, onse baise & on se caresse, qvand on s'embrasse par devant. Si un homme est trop pesant & qve la femme soit extremement delicate, il me semble, qu'on n'agiroit pas contre les loix dela Nature, si l'on se caressoit de costé, à l'imitation des renards. On eviteroit par cette posture tous les accidens, aus qvels une femme delicate peut estre exposée dans la posture, la plus commune, & il n'arriveroit jamais par là desuffocations ny des fausses conches. Je metteroit icy la posture de caresser une femme par derriere parmy celles, qvi sont contre les loix dela Nature, si un Philosophe & deux Medecins ne me disoient le contraire. En effet, toutes les bestes, si nous en exceptons qvelqves-unes, se joignent dela sorte; & pour engendrer, la Nature ne leur à point appris d'autre Moyen, qve celuy là. La Matrice des femelles est alors plus en estat de recevoir la Semence du Masle, elle la retient & la fomente plus commodement, si bien, qve ne s'ecoulant pas si aisement de leurs parties naturelles, qve dans une autre posture, l'experience leur à fait voir, qve l'on rendoit ainsi des femmes fecondes, qvi estoient steriles auparavant. Il est certain, qve l'Anatomie nous monstre, qve la Matrice est beaucoup mieux située pour la Conception, lorsqv'une femme est surles mains & sur les pieds, qve qvandelle est sur le dos. Le fond de cette partie est alors plus pas, qve son orifice, & il n'y à qv'a jetter dela semence, elle y coule d'elle méme, & par sa propre pesanteur elle tombe, où elle doit estre conservée pour la generation.

tion. Cette posture est la plus naturelle est la moins voluptueuse, &c. Si une femme est naturellement si grasse, qv'elle ait le Ventre en pointe, qvi l'oppose àl'approche de san mary, fera-tron une dissolution de mariage plutost, qve de conseiller à cet homme de caresser sa femme par derriere? Si l'homme par hazard veut & eindre sa concupiscence sur la fin de la grossesse de sa femme, ne pourroit on pas alors luy permettre de la caresser par derriere plutost, qve d'etouffer l'enfant, qvi est sur le point de naistre, ou qve d'aller luy mesme chercher ailleurs à faire un Crime? Dans cette posture il n'y aura point de crainte pour une fausse Couche; l'épine du dos souffre plutost, qve le ventre, les secousses, qve l'amour inspire aux hommes dans cette rencontre, &c. Ibidemqve allegatus Autor ex Theologô qvodam probare annititur, talem coitum aversum seu debiti sitûs conversionem omnino culpâ vacare, cùm non captandæ voluptatis gratiâ fiat, sed aliqvâ justâ causâ, scilicet si pingvedo viri metusqve suffocandi fœtûs, intercedat. Ipse etiam Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 6. fol. m. 278.* in Casu nimiæ pingvedinis Coitum aversim factum admittere videtur, ubi primò, an, ob utriusqve Conjugis nimiam, Coitumqve impedientem, pingvedinem Matrimonium dissolvi debeat, dubius adhuc egit, ita pergit: non habet autem tantam difficultatem ea res, si ex parte alterius solùm ex Conjugibus causa sit, & idcircò existimaverim, ob hanc impotentiam ex parte unius tantum conjugis, matrimonium non debere separari, qvia hoc impedimentum est aliqvô modô remediabile, non tam pingvedinis extenuatione in eô, in qvô abundat, qvàm ex celebratione ipsius actûs coëundi, qvi, ubi necessitas urget, potest faciliùs hac aut illâ ratione celebrari, qvæ tamen in se peccati nihil habent.

 §. II.

§. II.

Musitanus. Deinde aversum coëundi modum prolixè commendat acriterqve defendit Sacerdos qvidam Neapolitanus, nimirum Carolus Musitanus, *Trutin. Chirurg. med. Tom. II. cap. 9. p. m. 31. seqq.* Reverà, inqviens, hic modus naturalis est, cùm omnibus animantibus sit communis & Veneris furtis commodior ac compendiosior; Nam sic vir angustè concumbit, penis capulo-tenus admittitur, præsertim si mulier aliqvantulùm inclinata decumbat. Præterea ad concipiendum maximoperè confert, si à tergo, belluarum more, vir cum muliere Venere utatur. Modus hic non est ita explodendus, ut secum magnam non habeat rationem, & potiùs dictu turpe, qvàm facto videatur. A tergô coitum Conceptum juvare ostendunt confirmantqve peritorum Anatomicorum Observationes, qvi observârunt, ut Semen virile rectà Uteri orificium percuteret, ab eodemqve attraheretur; naturamqve ita fabricâsse viri foramen in inferiori glandis parte atqve Uteri os ad superiorem pudendi regionem, ut in naturali copulâ more omnium animalium factâ, hæc duo foramina ita è directò sibi mutuò occurrant, ut Semen è Cole prodiens statim in Uterô, nullâ aliâ re impeditô concipiatur, addùntqve hunc solum generandi gratiâ esse naturalem coëundi modum; Ita enim dicunt, mulieres naturalem illum brutorum coëundi modum minùs laboriosè sustinere, frænum & nympham invicem atteri, qvæ partes præcipuè sedes sunt, ad coëundum in utroqve sexu seminis motum, tandemqve oscula genitalium sibi mutuò è directô occurrere. Huic Anatomicæ Observationi addimus, & nos, pergit Musitanus, ita virum cum Uxore, Uterô gerente concumbere, ut absqve abortûs suspicione immoderatum Veneris usum exercere possit, aliàs facie ad faciem, præcipuè si Vir concumbens in Seminis emissione moretur vel fortis sit,

ſit, abdominis Muſculos comprimit, vel ligamenta, qvibus fœtus Utero annectitur, rumpit, Uterum agitando vel vaſa umbilicalia rumpendo, & fœtum agitando, abortûs cauſa eſſe poſſit. Et nos multos Viros novimus, qvi cum prægnantibus uxoribus facie ad faciem coëuntes, præter abortum, eorum fuerunt cauſa necis. Imò aliqvi, qvos nos & alii cognoſcimus, hoc uſi dolô, incautas necarunt uxores & ad ſecundas nuptias tranſierunt. Scimus, nonnullos pecudum more naturalem coëundi modum explodere ac veluti Gorgonis capite percitos contremiſcere, illumqve tanqvam nefandum recenſere & inter capitalia referre crimina, ac proinde, ut naturæ humanæ diſſonum ab hominum memoriâ delendum & eliminandum fore credunt. Cæterum dulciter decipiuntur, non enim Anatomicorum demonſtrationes, Medicorum Obſervationes & Eccleſiaſticorum Scriptorum doctrinas callent. Deinde hic Muſitanus etiam ex Thomâ Sanchez Sitûs inverſionem omninò Culpâ vacare probat. &c.

§. 12.

His tamen Veneris poſticæ Patronis, præprimis Lucretio, alii Autores & Medici conſcientioſi non immeritò contradicunt, inter qvos M. Antonius Ulmus, *Phyſiolog. Barb. Sect. 1. cap. 15. fol. m. 54.* ita ſcribit: Lucretius habuit Opinionem falſam, adhæc pernitialem ad Concubitum humanum. Legitur autem id generis opinio in fine libri qvarti, ubi docet, concubitum fœminæ ac Viri, propter generationem, averſum, & qvadrupedum more eſſe debere, non adverſum: Motu etiam in hoc primô gradu facultatis generatricis damnatô. Qvæ pernitialis falſaqve opinio furtim irrepſit hominum qvorundam animos eorumqve non ignobilium, contra qvam Opinionem odioſiſſimam & diris omnibus execrandam, veluti naturæ inimicam & hoſtilem ſcripſimus olim, oſtendentes phy-

Coitus averſus rejicitur.

 ſicis

ficis corporeis argumentis, à sensu etiam desumptis, à ratiociniis & veterum dignitates fœminam & marem nostræ speciei unà conjungi debere propter generationem adversè, non aversè, &c. Idem Autor etiam *ibidem Sect. 3. cap. 9. fol. 298.* Venerem aversam seu ferinam, ut & motum fœminæ in ipsô Coitu, Conceptionem scilicet impedientem contra Lucretium examinat, eamqve generationi penitus aversari, variis argumentis evincere allaborat. Scribit etiam Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 8. Tr. 1. cap. 2. pag. m. 682.* hunc modum à tergô, ut belluis proprium, ita homini indecorum esse, solumqve iis relinqvendum, qvi turpissimas ac malè olidas nacti sunt uxores, qvive in Conjunctione nil, nisi libidinem agunt. Alioqvin existimare debemus, naturam humanum complexum in generatione instituisse, ut pulchrô faciei decore oculorumqve apto splendore frueremur & oculis honestius amabiliter proseqveremur palæstram, &c. Huc pertinent etiam incommoda ex brutali Venere orta, v. g. partùs difficilis & fœtus manibus pedibusqve natus, item fœtûs caninus è muliere natus, qvorum supra è Paulo Zacchia & Stalpartio van der Wiel mentionem fecimus. In specie autem supra allegatum Carolum Musitanum prolixè atqve egregiè refutat Rosinus Lentilius, *Jatromnemat. Part. 2. cap. 23. pag. m. 519.* inqviens: qvod Lucretius & Ægineta timidiusculè per verba *putantur, videtur* exprimunt, Musitanus tantô zelô, qvi Sacerdotem scilicet suæ religionis, decet, rem agit, qvasi ad introducendam bellam hanc methodum stipendiô conductus esset. Mallem autem conjugatis hanc Provinciam reliqvisset. Nam qvid Sacerdotes voto perpetuæ Castitatis addicti laicos coire doceant? Ridiculum sanè. Qvas ex Anatome depromit rationes, per experientiam qvotidianam abundè satis refutantur. Certè, si tanta frustrandæ conceptionis

peri-

pericula in congressu, vulgari modô celebratô, timenda forent, genus humanum jamdiu periisset. Salva tamen res est, cum benedictione divinâ favente adhuc dum sine belluinô congressu feliciter multiplicetur. Si qvid hic certi determinari voluisset Musitanus, expertus loqvi debebat, qvod vel non potest, vel non audet. Monachum autem talia docere, in mentem revocat, qvod de virgine narratur, qvæ dum Odontalgiâ laborâsset, fertur dixisse: non majores esse in mundo dolores, qvam parturientis & ex dentibus malè habentis. Coitus est actio merè naturalis, qvam homo cum brutis communem habet, proin à Deo Creatore sic implantata, ut nemine Doctore seu manuductore peragi qveat; hinc modus ille sine omni dubio commodissimus juxta & optimus, ad qvem ipse naturalis instinctus ducit. Imò etiam naturâ stultos, modò structura partium & ætas consentiant, ad libidines abripi cernimus. Qvemadmodum ergo animalia bruta congressûs modum docere velle stolidum esset, ita non minus absonum homini præscribere coëundi rationem, id est, reformare Naturam & ejus Auctorem. Qvis docet infantem suctu papillas nutricis adoriri? Qvis omnia, qvæ ipsi præbentur, ori immittere? Scilicet hæc talia nullô ductore neqve Doctore opus habent. Immò, qvod Coitum attinet, optandum haud raro foret, si ephebi libidinosi nescirent, qvâ methodo rem aggredi oporteret; Sic enim Scortationes & alia pressô hanc pede plerumqve seqventia mala præcaveri possent. Qvodsi Copula Musitani præ vulgari alterâ Naturæ commodior esset, regulas certè præscribente nemine, apud maximam hominum partem locum jamdiu invenisset. Filios enim à Patre, filias à Matre nuptiarum die ad exercitationis hoc genus instrui nunqvam audivi; Qvî venit, qvod nunqvam istâ belluinâ Venere uti comperiamus? Cur in totô terrarum orbe nulla reperitur

tur Natio, qvæ tali utatur? aut ostendat nobis Musitanus ejusmodi regionem. Imò, si commodior est illa Venus, unde scit Musitanus, eam non à multis exerceri? Et si hoc fieri novit, cur, qvod ita fieri debeat, docere sustinet? Annon sic tacitè confitetur, id magis esse naturale, qvod magis, imò semper à Naturâ fit. Præterea falsùm est, Conditionem genitalium in seqviore sexu sic esse comparatam, ut Coitus belluinus præ vulgari commodior, vel qvod idem est, ad Conceptionem aptior existat. Nam cur in anticâ corporis parte natura genitalibus ostia collocavit? cur non in Perinæo? Cur non commodius sit congredi utraqve pube, vel pube potiùs & pectine junctis, qvam per Clunium promontoria præpediri? Cur Natura brutis femellis matricem propemodum immediatè sub anô, rimâ horizontem spectante, posuit, nisi ut congressui brutali magis ita conveniret? Et qvæ alia multa, si liberet, adduci possent. Impudens, qvod Autor dicit, se multos viros novisse, qvi cum prægnantibus uxoribus facie ad faciem coëuntes, præter abortum, earum fuerint causa necis. Nos commentum & mendacium existimamus. Primis enim mensibus nil tale metuendum, ultimis verò castæ conjuges ab hôc exercitiô sibi temperabunt, aut si celebrent, omnes, qvi sunt sanæ mentis, interrogamus, utrùm in eo statu situs pronus non sit supinô longè incommodior, & utrum mulier abdomine sic turgente virum de cubitu supinô non minore cum molestiâ patiatur? Utrum in decubitu pronô non æqvè abdomen, immò vehementius comprimatur? In his certe Regionibus nunqvam auditum exemplum, qvod mariti tali more congredientes uxorum neces promoverint, &c. Annon ad alios qvosvis belluinos & Sodomiticos appetitûs manu qvasi, vah propudium! non ducitur homo, sed pertrahitur? Relinqvamus igitur plurimum reverendo isti Thomæ Sanchez, qvem Autor sibi

ſibi promachum delegit, relinqvamus ipſi Autori, tam nobile dignumqve Climate, tam inpudicô inventum, cujus olim rationem ſunt reddituri. Hæc Lentilius. Sed ſufficiant hæc de hac materiâ caſtisqve oculis & auribus ſcripta ſunto; ſive ſecundum Verba Pauli Zacchiæ, *l. 4. fol. 282.* de his hæc ſatis ſint, in qvibus pertractandis ſi qvæ ſunt, qvæ ultra honeſtatem prolata puris legentium auribus videantur, rei argumentum excuſandum.

§. 13.

Cùm in proximè antecedentibus coitûs obeſorum mentio aliqvoties facta fuerit, non poſſum qvin ſeqventem Obſervationem à Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. III. An. 1. App. pag. 128.* communicatam hôc locô inſeram: Baro ſcilicet Svevicus, inqvit idem, obeſitate vaſtâ & prægrandi Ludovicos Craſſos, qvam longiſſimè exſuperans, in lecto ſemetipſum movere non poteſt, aut viribus ſuis latus alternum premere, ſed ipſius ſervi per vices eum adhibitô robore magnô, circumvolvunt. Miretur autem qvis, impendio coire illum cum uxore & gignere liberos: & qvod eſt propè ridiculoſum, non niſi eorundem ſervorum miniſterio eum huic operi maritali præeſſe, qvippe qvi certæ cujusdam machinæ ope corpus ejus ſuper uxorem volvunt, & revolvunt, alioqve præterea officii genere eidem adſunt, qvod κατ' ῥητὸν exprimere verecundia prohibet. *Coitus Obeſi.*

§. 14.

Ad crebriorem autem actum Venereum absqve dubiô à ſenſatione titillante ſeu voluptate in coitu perceptibili ſtimulantur homines, qvam voluptatem, imprimis in viris, ab innumeris papillis nervoſis per Glandis ſuperficiem, præſertim inter Præputium & Glandem diſſeminatis derivat Fridericus *Coitus Voluptas.*

Hh Ruy-

Ruyſchius *Theſaur. Anatom. IV. pag. m. 42.* Et ſanè utriusqve ſexûs perſonæ immundum hunc atqve putidum actum aphrodiſium tam freqventer vix exercerent, niſi talis immundities atqve turpitudo Voluptate ſeu delectatione maximâ obtegeretur. Hac voluptate venereâ ſeu delinimentô, ſecundum Jaſ. à Pratis *de Sterilit. p. m. 70. ſeq.* ad congreſsûs venereos inſtigantur, qvi oderunt maximè & averſantur multiplicatam prolem, ut inviti ſæpe ſoboleſcant ſuperati illicô ex concubitu inardente. Qvodſi verum fateri lubet ac circumſcriptis ambagibus, ut res eſt, non tergiverſari, Voluptas eſt amoris incitamentum, concupiſcentiæ fomes, copulationis conciliatrix, ex qva prodit homo. De hac Lucretius habet:

Ipſaqve deducit Dux Vitæ dia voluptas
Ut res per Veneris blanditum ſecla propaget:
Ne gens occidat humanum, qvorum omnia cauſa
Conſtituiſſe Deos confingunt.

Qvod niſi Uredinem hanc & delectantis pruriginis ſenſum animantibus indidiſſet, metus erat, ne cunctantiora ſegniorem operam geniture navâſſent. Ob id homini, qvàm cœteris, acrior inflammeſcit, qvoniam rem illiciô nullô commendatam, poterat aſpernari & vitare concubia. Nunc prolectilis incendii ſtimulô expergefactus in hos affectûs cupientiſſimè proruit. Hæc Jaſon Pratenſis.

§. 15.

An Vir an mulier majorem ſentiat voluptatem.

Utrum autem Vir, an mulier, majorem in rebus venereis & Coitu voluptatem experiatur, adhuc ſub judice lis eſt; videri interim poſſunt Hippocrat. *de Genitur. Oper. Sect. 3. fol. m. 12.* Joh. Fernel. *Phyſiol. Lib. 7. cap. 8. pag. m. 181.* Georg.

org. Horn. *Histor. nat. Lib. 3. cap. 1. pag. m. 154.* Franc. Plazzon. *de Part. General. Lib. 2. cap. 13. pag. m. 149. seq.* Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 10. Tr. 1. cap. 5. p. m. 819.* Gvern. Rolfinc. *de Partib. Generat. dicat. Part. 1. cap. 1. pag. m. 16.* Marcell. Donat. *de Medic. Histor. Princ. Lib. 4. cap. 17. pag. m. 396.* And. Laurent. *Histor. Anatom. Lib. 8. Qv. 7. fol. m. 292.* Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 7. n. 13. seq. fol. m. 281.* Gothofr. Gvil. Blumberg. *Disput. pro Licent. de Vener. Medic. & morbifer. Præs. G. W. Wedelio Jenæ 1688. habit. cap. 2. p. 13. seq.* Casp. à Reies *Camp. Elys. Qvæst. 42.* §. *6. p. 506. seq.*

§. 16.

Dantur tamen in utroqve sexu exempla eorum, qvi in coitu nullam sensere voluptatem. In Mercatore enim qvodam Venetô Penis erigebatur, Semen ejiciebatur, & hoc ipsum copiosum & crassum, citra tamen voluptatem & delectationem, qvæ alias naturaliter in Seminis ejaculatione adesse solet. vid. Jul. Cæsar. Claudin. *Consultat. medicin. 12. pag. m. 351.* Item magnifica qvædam Domina post Congressum pessimè semper se habebat, & sæpe virum suum deprecabatur, ut ab eô abstineret, neqve delectabatur in Venere. v. Joh. Bapt. Montan. *Consult. Med. Consil. 16. fol. m. 39.* Mihi ipsi nota est fœmina, qvæ rarissimè solitam in Coitu voluptatem sensisse, ideoqve qvovis modô & precibus, cohabitationem Viri declinasse, in hujus, id confirmantis, præsentiâ sanctè contestabatur, aliqvot tamen liberorum mater. Neogami per annos ultra tres sine ullâ voluptate, immò cum fastidiô coibant. Maritus asseverabat, se olim cum prostibulis summâ cum Voluptate rem habuisse, nunc autem sibi molestum esse cum Uxore congressum. Uxorcula formâ haud aspernendâ nil qvicqvam etiam se voluptatis in Coitu sentire qverebatur; qvin

In Coitu nulla voluptas.

elapsâ vix post amplexûs venereos horâ dimidiâ, in Vaginâ sensum ardoris permolesti, qvalis esse solet Urinæ ardor, percipere. Interim congressus fuit perfectus, adfuit extensio Virgæ & ejaculatio. v. Rosin. Lentil. *Miscell. med. pract. Part. I. pag. m. 80. seq.* De ratione, cur sæpe mulieres citra voluptatem concipiant, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. An. 2. Mart. Observ. 3. pag. m. 72. seq.* Plura reperies in Emenologia nostra.

§. 17.

Manstupratio. Reperiuntur etiam multi, qvi non pro scopo generationis, sed merâ voluptate venereâ incitati Semen non per coitum, sed per scelestam Manstuprationem ejaculantur. Est autem Manstupratio, seu, ut aliis placet, Mastupratio, vel Mastrupatio, item Masturbatio, illicita & Christiano indigna partium genitalium viri seu Penis, admotâ manu facta titillatio atqve Seminis prolectio. Talem Seminis profusionem qvandoqve insignis virium prostratio totiusqve corporis debilitas & Tabes dorsalis inseqvitur, item Gonorrhæa, uti experiebatur qvidam Studiosus Juris, constitutionis sangvineæ & per naturam in Venerem proclivis, qvi œstrô libidinis & coëundi appetentiâ sæpius tentabatur, qvam, ut compesceret, titillante virilia manu semen eliciebat, idqve freqventer & qvidem singulis ferè diebus bis, ter aut amplius. vid. Tim. à Güldenkl. *Lib. 3. Cas. 49. pag. m.* 191. *seq.* Ex crebriori titillatione & subseqvente Seminis ejaculatione Penem incurvatum & ferè lunatum atqve umbilicum versus reflexum habuit adolescens qvidam Frisius, juxta Observationem Christiani Francisci Paullini, *Obs. med. phys. Lib. 4. Observ. 92. pag. m. 513.* Diogenem Cynicum, Virum alioqvin omnium mortalium (qvod ad continentiam pertinet) constantissimum, narrant libidini tamen indulsisse, non à copulatâ illi voluptate, veluti bonô aliqvò ille-

illectum, sed ut noxam, qvæ à retentô Semine suboriri solet, evitaret. Hunc meretrix adire pollicita, qvum diutius cessaret, ipse manu pudendis admotâ semen projecit, ac venientem deinde mulierculam remisit, inqviens, manus hymenæum celebrando te prævenit, vid. Amat. Lusit. *Cent. 2. Curat. 47. Schol. fol. m. 177.* Albert. Batton. *de Morb. Mulier. Lib. 1. cap. 41. p. m. 60. a.* & Jas. à Pratis *de arcend. Sterilitat. pag. m. 72.* ubi addit: O singularem & inauditam modestiam! O strenuam & incorruptam morum integritatem! Mansturpator Diogenes voluptatem sprevit, sed noxam non excussi spermatis fugiens Venerem ministrâ manu peregit. Hoc autem Scelus etiam saniores Ethnici detestati sunt, ut videre est apud Martialem *Lib. 9. Epigr. 42.* qvi hoc nomine acriter reprehendit Ponticum:

Pontice, qvòd nunqvam futuis, sed pellice levâ,
Uteris & Veneri servit amica manus.
Hoc nihil esse putas, scelus est, mihi crede, sed ingens,
Qvantum vix animô concipis ipse tuò.
Nempe semel futuit generaret. Horatius ut tres,
Mars Semel ut geminos Ilia casta daret.
Omnia perdidera, si masturbatûs uterqve
Mandâsset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam, crede, tibi naturam dicere verum;
Illud, qvod digitis, Pontice, perdis, Homo est.

De manstupratione in puello qvinqvennia puella tredecim annorum, mentulam cunno intrudente, perpetrata. vid. Mich. Bernhard. Valentin. *Novell. medic. legal. Cas. 9. pag. m. 235. seqq.*

§. 18.

Salacitas nimia, & Coitus frequens.

Nonnulli etiam ob Voluptatem in coitu percipiendam vel etiam ob diversas alias causas ad repetitam Venerem nimis stimulantur atqve ineffabili Salacitati seu excessivo Veneris exercitio dediti sunt. v. g. Civis qvidam Qvedlinburgensis habitu corporis macilentô & strigosô, scorbuticus, humoribus acribus salsis abundans, septuagenarius, postqvam per biennium fuerat viduus, conjugali sibi fœdere jungit juvenculam vegetam & alacrem, nec moderatas Veneris delicias aversantem. Hanc senex iste cachecticus in thalamô crebris congressibus venereis non satiat modò, sed qvoqve defatigat, singulô nycthemerô eandem decem ad minimum, sæpe duodecim, qvindecim, imò aliqvando viginti coitibus exercens: Id qvod per tres menses continuavit, votô se obstringens malitiosô, nefandô ac impiô, se misellam conjugem in hoc Cypridis certamine non superaturum tantùm, verum etiam hac ratione enecturum. Misera hinc & satiata, & lassata, & tantùm non enecta rem totam agnatis denuncians, per medicamenta à petulcô suô Priapô liberabatur, referente Johanne Schmidio, *M. N. C. Dec. II. An. 2. Observ. 121. p. 280.* Ob sæpius reiteratam Venerem facti divortii meminit Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1697. Mens. Novembr. Obs. 27. p. m. 812. seq.* Scilicet Günzburgi conjugium inierant duo tum annis, tum reliqvis circumstantiis haud adeò multum à se invicem differentes, at animis valde dissentientes; dum enim Maritus Veneri qvasi exsatiari non poterat, & hinc identidem conjugem ad debitum conjugale præstandum invitaverat, huic hoc sic nimium visum fuit, ut vix inde gravida facta & ad judicem rem deferre, & ut hic propterea divortium instituat, ardenter petere nulla dubitaverit; qvi qvidem in principio, communi illo & notô adagiô, nullam adhuc hac de causa mortu-

am

am esse, illam qvasi solatus est, sic dimisit, hinc &, cùm â petitô non desisteret, carceri commisit, at nil omninò profecit; hæc enim ad Maritum redire nullô modò voluit, & divortium omnibus viribus ursit, tandemqve etiam qvà torum & mensam impetravit, ad matrem rediens, maritô apud exteros servum interea agente & qvidem per sedecim & qvod excurrit annos: Qvibus elapsis denuò pacem cum hac ipsâ suâ Uxore inivit, & jam Veneris nimiô œstrô cessante arvum genitale plus debito non irrigavit, &c. Fidicen qvidam Glandensis, vir qvadratus & validi femoris, facie & Capillamentô rufsus, temperamenti calidi, vehementi Veneris desideriô subinde tenebatur, ut nullis, etiam per exigua horarum intervalla, repetitis congressibus satiari posset, unde sibimetipsi qvasi infensus & iræ divinæ Scortatoribus incumbentis metuens, Medici auxilium implorabat, qvi, post variorum medicamentorum usum, eum monuit, ut ad evitandas vagas libidines legitimum Conjugium iniret, cùm melius sit nubere, qvàm uri; hic paruit consilio & ducta in uxorem villiei cujusdam filiâ satis robustâ & vegetâ paulò mitius agere visus est; verùm cùm & hanc delassâsset, ad ingenium rediit fornicator insatiabilis, tandem â Medicô Castrationem, cum oblatione eqvi tolutarii, instanter expetiit, ab ipsô tamen non Castratione, sed diuturnô Nitri præparati usu à renum calculô & Venere liberatus est. v. Tim. à Güldenkl. *l. 4. Cas. 52. p. m. 197. seq.* Pastor qvidam sextum supra sexagesimum ætatis annum agens Apoplexiâ corripiebatur, qvæ in Paralysin sinistri lateris terminabat, ita, ut hoc tempore vix incedere posset; loqvelæ usu simul privatus. Ab eo tempore, qvo Apoplexiâ correptus fuit, tantô Veneris ardore flagrabat, ut ejus fœmina, qvâ cum per viginti qvatuor annos in matrimonio vixerat, ad perferendos innumerabiles venereos actûs jam fermè non esset sufficiens.

ens. vid. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. p. m. 22.* Herculem ebrium Thespii Regis Bœotiæ filias numerô qvinqvaginta, unâ nocte vitiasse, omnesqve earum mares seu filios peperisse, præter natu maximam & minimam, qvæ geminos pepererunt, legimus apud Natal. Comitem *Mytholog. Lib. 7. cap. 1. p. m. 672.* Proculum nocte unâ captivas decem ex Sarmatiâ constuprasse ex Pierio, item ex eodem Proculô centum virgines intra qvindecim dies fœtum concepisse, ex Mizaldo: refert Henricus Salmuth *Commentar. in Gvid. Panciroll. Rer. memorab. Lib. 2. Tit. 10. p. m. 177.* vid. etiam Jacob. Moller. *de Cornut. cap. 6. pag. m. 67.* ubi qvoqve cujusdam Catalani meminit, qvi ad rem veneream adeò potens fuit, ut qvolibet die cum uxore trigesies concumberet. Hæc de eâ re conqvesta est apud Regem Arragoniæ, qvi maritum accersivit, eumqve, an id verum esset, interrogavit, qvod ipse confessus est. Ideò ei prohibitum fuit sub pœnâ capitis, ne plus, qvàm sexies, qvolibet die uxorem cognosceret, ne ea in discrimen mortis incideret. Paulò tamen aliter hanc Historiam recenset Rodericus à Castro *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap. 4. pag. m. 113.* Conjux, inqviens, Tarraconensis cujusdam, uti in historiis est, apud Arragoniæ Reginam marito litem intendens atqve conqvesta, qvòd cum illâ decies in die congredi solitus esset, effecit, ut, capitali suppliciô impositô, hoc in posterum ne faceret, prohiberetur. Ibidem etiam dictus Autor addit: Herbam ajunt Indicam tantæ virtutis esse, ut eâ comestâ qvidam ad septuaginta coitûs processerit. Hac radice non edentibus solùm, sed etiam tangentibus tantùm Genitalibus erectionem dixere vehementem adeò fieri, ut qvoties vellent, coire valerent. Et qvosdam, qvi usu fuerunt, duodecies coiisse dixerunt. Indum autem ipsum, qvi vel magnô atqve robustô corpore erat, septuagesies aliqvando coi-

coiviſſe fatentem licuit audire: Verum emiſſionem Seminis guttatim fuiſſe, demumqve in ſangvinem deveniſſe, &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 41. p. m. 78.* Item Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 4. fol. 531.* ſcribit etiam Petrus Foreſtus *Obſ. med. Lib. 26. Obſ. 20. fol. m. 591.* ſe noviſſe adoleſcentem Nobilem Germanum, annum vigeſimum nonum agentem, cui unâ nocte inter duas puellas laſcivienti, cùm ſe priùs vinô impleviſſet, & plus qvam tredecim amplexus expertus eſſet, ſubitô Vena in pectore perrupta fuit. De Viro ſummè libidinoſo & Sodomitico qvaſi, atqve ſalacitatis beluinæ ab uxore incuſato, ita, ut etiam menſium tempore ſibi non parceret & ſine intermiſſione congredi vellet. v. Roſin. Lentil. *Miſcell. Medic. Pract. Part. 1. p. m. 227. 229.* Ex Cabroliô Johannes Daniel Geierus *Schediaſm. de Cantharid. Sect. 2. cap. 12. §. 11 p. m. 40.* binas hiſtorias refert, ubi poſt largam Cantharidum doſin alter octuagies ſepties, alter qvadragies Uxorem iniit. De tentigine, inſanô pruritu & aliis ſymptomatibus à Cantharidibus cum Syrupo devoratis, in Mercatore qvodam ſexagenario obſervatis, vid. Henr. ab Heer, *Obſerv. 9. pag. m. 95. ſq.* Et ſecundum Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 24. Obſerv. 7. fol. m. 448.* Juvenis qvidam à Cantharidibus aſſumptis, Penem extentum habebat, & irritatus ad Venerem ſupra modum coibat. Huc pertinet etiam, qvod ex Hieronymô varii Autores allegant; ſcilicet ſe vidiſſe duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata; unum, qvi viginti ſepeliſſet uxores, alteram, qvæ vigeſimum ſecundum maritum habuiſſet; & extremô ſibi, ut ipſi putabant, matrimoniô copulatos ſumma omnium expectatione virorum pariter ac fœminarum, poſt tot rudes, uter alterum efferret. Vicit maritus, & totius urbis populô confluente coronatus & palmam tenens adoransqve per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multinubæ phere-

trum præcedebat. Sane tales Conjuges ad tam freqventes nuptias salacitate fuisse impulsos, qvis dubitabit, siqvidem non modò in viris, sed etiam & qvidem longè majorem in fœminis lasciviam atqve Salacitatem observari testantur Autores.

§. 19.

Fœminæ salaces. Occurrunt etiam exempla fœminarum salacium, ex. grat. Augustæ Taurinorum adolescentula satis elegans vixit, simul tamen adeò libidinis avida, ut qvinqve & triginta viros ordinis militaris ad Coitum seriatim admiserit. v. Mizald. rediviv. *Memorab. Cent. 7. §. 629. p. m. 277.* Messalina, Cæsaris Claudii Conjux, ancillam è prostitutis mercenariæ stipis in certamen venereum elegit eamqve die ac nocte qvinto & vicesimo Coitu superavit. vid. Plin. *Histor. natur. Lib.* 10. *cap.* 63. *fol. m.* 184. De qvâ vide plura apud Caspar. Bauhin. *de Hermaphrod. L.* 1. *c.* 10. *pag.* 99. *seq.* Cleopatra etiam sub una nocte sumptô Cucullô in lupanari prostibulo centum & sex virorum concubitûs pertulit; in tantum enim, ut professa est, intentigine rigidæ vulvæ erat accensa, qvod â lupanari qvidem delata, sed non satiata rediverit, vid. Christian. Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *pag. m.* 368. Scorto cuidam Cyrenæ cognomen δωδεκαμηχάνȣ, seu machinamentorum duodecim impositum fuit, qvod in venereô usu duodecim excogitârat modos, qvibus inscensori jucundius redderetur libidinis profluvium. vid. Lud. Cœl. Rhodig. *Lection. antiqvar. Lib.* 14. *cap.* 8 *fol. m.* 526. ubi plura. De hac Cyrene ejusqve inventis loqvitur etiam Nicolaus Venette *de la Generation de l' Homme Part.* 1. *cap.* 10. *p. m.* 246. Toutes les postures, inqviens, qve la Courtisane Cyrene inventa antrefois jusqv'au nombre de douze pour se caresser, qve Pheilenis & Astyanasse publierent, qu' Elephantis composa en Vers Leonins, & qve l' Empereur Tibere fit

ensvite

ensvite peindre autour de sa Sale, nous font bienvoir, qve les femmes savent mieux, qve nous, toutes les soupplesses de l'Amour, & qv'elles s'abondent plus aux Voluptés amoureuses: En effet leur passion est plus violente & leur plaisir dure plus longtemps, &c. De fœminâ qvinqvagenariâ salacissimâ, Concubitum diabolicum admittente, Observationem recenset Immanuel Weismannus, *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obs.* 103. *p. m.* 294. *seq.*

§. 20.

Qvandoqve etiam Medicamenta aromatica purgantia & alia stimulantia Salacitatem ad tempus excitant atqve ad Venerem stimulant, qvale exemplum refert Felix Platerus, *Obs. med. Lib.* 1. *pag. m.* 263. Cùm amicum, inqviens, qvendam meum, virum multos annos viduum & continentissimum pientissimumqve leviter purgare vellem, ac pilulas leviores ex aromatibus paratas exhibuissem, seqventi manè ad me venit, expostulans mecum, me se decipere voluisse, cum nullam ab illis senserit per alvum evacuationem, sed pruritum & stimulum solùm venereum, â qvô totâ nocte fuerit divexatus: vixqve illum â sententiâ potui dimovere, etsi â medicamentis purgantibus qvandoqve irritari etiam illa loca, qvæ ad seminis excretionem pertinent, ostenderem, &c. Bina etiam ejusmodi exempla idem Autor ibidem addit, alterum de qvodam, qvi, cùm mediâ nocte pilulas sumpsisset, mox vehementem tentiginem, anteqvam alvus dejiceret, sensit, hincqve sibi persvasit, errore Pharmacopæi, qvòd illi venerem stimulans pharmacum pro purgante exhibuisset, factum hoc esse; Alterum de qvodam, qvi sumpto Cathartico, cùm illud adhuc operaretur, simulqve illum ad Venerem stimularet, uxorem adstantem illiqve ministrantem compressit, unde valde debilitatus Medico asserebat, nunqvam se adeò ad Venerem impulsum

â Medicamentis,

 fuisse,

fuiſſe, atqve eâ ipsâ horâ, qvâ adhuc per alvum dejiciebat, nec ſe continere ullô modô potuiſſe. Item Olaus Borrichius cuidam ex Catharticô natum eſſe Priapiſmum refert, *Act. Hafn. Vol. IV. Obſ. 73. p. m.* 176. Hugo Potter, Locum tenens, tempore vernô præſervationis gratiâ Medicamentô purgante uſus, cùm nullam inde operationem perciperet, ſumtô juſculô carnium in ſomnum incidit; expergefactus ingentem pruritum & ſtimulum ad Venerem ſenſit, adeò, ut continere ſe non poſſet, qvin Uxorem adſtantem comprimeret. vid. Bald. Timæus â Güldenkl. *Lib. 3. Caſ. 50. p. m. 193.* Idem etiam Epiſcopo cuidam in Polonia accidit, ibidem cui cum Regis Sigismundi III. Archiater Pilulas Canycoſtinas exhibuiſſet, nec ulla per alvum aut vomitum ſubſeqveretur evacuatio, tentigine & ſtimulô Veneris correptus, errorem in præparatione Medicamenti commiſſum ſuſpicabatur, qvod cùm Pharmacopœus, vir alioqvin integerrimus, conſtanter negaret, pro tentatione diabolicâ habuit precibus & jejuniis ſuperandâ. Et David Spilenbergerus virum novit, qvi ſumtâ Medicinâ laxativâ tantô pruritu & œſtrô ſuſcitabatur eô die in Venerem, ut nullô modô à debitô conjugali abſtinere poſſet, imò tam enormiter, ut uxor ipſius neceſſariò eô die ſe occultare cogeretur. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 71. p. m.* 131. *ſeq.* Memini etiam viri cujusdam, qvi poſt pilulas, ipſi familiares circa noctem aſſumptas, ſemper variis inſomniis venereis atqve ſubſeqvente pollutione nocturnâ debilitatus fuerat. Ab aſſumto Electuariô ſtimulante vir qvidam ultra qvinqve ſeptimanas ſingulis ferè horis diu noctuqve cum uxore propriâ coitûs non amplius tolerandos tam acriter repetiit, ut uxor Medici conſilium expeteret. v. Chr. Franc. Paullin. *Cynograph. cur. Sect. 3. cap. 7. p. m.* 136. Sic medicamentum ad continentiam faciens expectabat Monachus: alius eodem tempore ſponſus, utcunqve ſenex

nex medicamentum expostulabat ad venerem concitandam: sed Pharmacopolæ errore contrarium Monacho exhibitum fuit; ita, ut illâ nocte tentigine Veneris supra modum affligeretur; contrà Sponsus novæ nuptæ nihil hilaritatis attulerit. v. Petr. Forest. *Obs. medicin. Lib. 26. Observ. 19. Schol. fol. m. 591.* Civis qvidam Ferariensis, ut â vertiginoso affectu se liberaret, Pilulas agregativas & de Agarico â Medico præscriptas assumpsit, verum ut nullam ab illis sensit per alvum evacuationem, sed tantummodo stimulos venereos, â qvibus totâ die divexatus est, adeò, ut pruritum ægrè ferens talem expertus est ad Venerem impulsum, ut bis Uxorem compresserit, nec ullam qvidem sentiendo alvi solutionem, teste Josepho Lanzono, *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 141. p. 229. seq.* Scribit etiam Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 3. Tract. 1. cap. 12. pag. m. 276.* se novisse qvosdam, qvi nunqvam ferocius in venerem inflammarentur, nisi cum pharmacum aliqvod catharticum præservationis gratiâ assumerent; idqve in atrabilaribus viris freqventius observasse. Rationem autem, cur Purgantia vel Clysteres ad seminis excretionem stimulent, hanc reddit Nathanaël Highmorus *Disqvisit. anat. Corpor. hum. Libr. I. Part. 4. cap. 2. fol. m. 93.* Glandulæ prostatæ seu corpora glandulosa sunt inter Vesicæ cervicem & intestinum rectum posita. Ob situs hujus rationem procul dubio contingit, qvod post Clysterum acriorum injectionem, aut violentiorem καθάρσιν, affecto Intestino recto, Semen qvandoqve emittatur & appetitus venerei excitentur.

§. 22.

Porro etiam salacitas seu stimulus venereus verberum flagrorum aut urticarum usu excitari solet; & qvidem non viros tantùm flagris excitari ad illicitas voluptates & intempestivas, sed & fœminas flagellis incitari & incalescere, ut facilius con- *Flagrorum usus ad Venerem.*

concipiant, ſcribit Thomas Bartholinus *de uſu Flagror. in Re Medic. & Vener. p. m. 22.* Et *p. 30.* regionem lumborum fricatam ad œſtrum Veneris proritare, hancqve voluptatem vitæ damno qvendam Lutetiæ luiſſe, dicit. De Viro qvodam Virgarum plagis in Venerem ſtimulato ſeqventem hiſtoriam refert Ludovicus Cœlius Rhodiginus, *Lection. antiq. Lib. 11. cap. 15. fol. m.* 412. Non multis, inqviens, abhinc annis vixiſſe qvendam in Veneriis, non gallinaceæ ſalacitatis, verùm ingenii ſtupendi maximè, qvodqve vix impetret fidem, ex adjuratiſſimis compertum eſt: qvi, qvò pluribus affectus fuiſſet plagis, eò impetuoſiùs ardentiusqve in concubitum ferebatur præceps. Fuit omninò mira: neſcires, utrum affectaret avidius verbera, an coitum: niſi qvod illorum menſurâ libidinis voluptas conſtabat. Proinde extentis ſe precibus diſflagellari expoſcebat, pridiè, qvam id pateretur flagello aceti aſperitate obdurato: qvod, ſi converberator lentiùs agere foret viſus, velut exſtimulante rabie, conviciis inceſſebat: nec factum ſibi ſatis arbitrabatur, ni inter cædendum ſangvis ſeſe oſtendiſſet. Unus, opinor, mortalium inventus, qvi eodem impetu in ſupplicium ferretur, ac delicias: qviqve inter tormenta ſenſuum titillationes ac æſtuantem pruritum vel expleret, vel incenderet, &c. Cujusdam, qvi non poterat erigere Mentulam ad Coitum, niſi verberaretur ab Amaſia, ex Pico meminit Thomas Campanella, *Medicinal. lib. 3. cap. 4. Artic. 12. p. m.* 111. Qvam obſervationem pluribus verbis ex eodem Johanne Pico, Mirandulæ Comite, recenſet Johannes Heinricus Meibomius, *de uſu Flagror. Vener. p. m. 40. ſeq.* Scribit autem Picus: Vivit adhuc homo mihi notus, prodigioſæ libidinis & inauditæ. Nam ad Venerem nunqvam accenditur, niſi vapulet. Et tamen ſcelus id ita cogitat; ſævientes ita plagas deſiderat, ut increpet verberantem, ſi cum eo lentiùs egerit,

rit, haud compos plene voti, nisi eruperit sangvis, & in nocentes artus hominis nocentissimi violentior scutica desævierit. Efflagitat miser hanc operam summis precibus ab ea semper fœmina, qvam adit, præbetqve flagellum, pridie sibi ad id officii aceti infusione duratum & supplex à meretrice verberari postulat; à qvâ qvanto cæditur durius, eò ferventius incalescit, & pari passu ad voluptatem doloremqve contendit. Unus inventus homo, qvi corporeas delicias inter cruciatus inveniat: & cum alioqvin pessimus non sit, morbum suum agnoscit & odit. Absqve dubio hæc Observatio eadem est cum antecedente Ludovici Cœlii. Alium consimili naturâ præditum, apud Monachium, Othonis Brunfelsii, Medici, tempore vixisse, & cum uxore res mariti agere neqviisse, nisi acriter ante flagris concisum, ex Brunfelsio allegat Johannes Henricus Meibomius, *loc. alleg. p.44.* ubi seqvens, qvod Lubecæ contigit, exemplum addit, scilicet Civis qvidam Lubecensis, Butyri & Caseorum propola, in plateâ habitans, qvæ à Molendinis nomen invenit, præter alia facinora ob commissum adulterium ad magistratum delatus, causâqve cognitâ Urbe excedere, ac solum vertere jussus fuit. Meretricula, cui is adsveverat, coram Senatoribus Judicio criminali Præfectis, qvos vulgò die Gerichts-Herren vocant, confessa est, nunqvam illum acrius, qvàm Virgis prius secundum Dorsum ab se difflagellatum arrexisse & virum se præstitisse: officiô verò peractô nisi denuo flagris cæsum, vix ultrà qvidqvam patrare potuisse. Adulter ipse idem primò quidem negare: Seriò tamen & severè interrogatus, non inficias ire. Pauci insuper sunt anni, pergit item Autor, qvum in primariâ confœderati Belgii urbe, Vir in non parvâ dignitate constitutus, Veneriqve admodum deditus, deprehensus fuit cum muliercula qvadam consvevisse, cum qvâ tamen, nisi flagellorum ictibus excitatus,

tus,

tus, vix aliqvid patrare potuerit. Hic verò, re ad Magistratum delatâ, officio motus pœnam dedit suæ lasciviæ diuqve:

Hæc fuit in toto notissima fabula vulgo.

§. 22.

De flagrorum hoc in passu efficacia, seu qvæ flagris insit vis stupenda ad coitum sollicitandi eos, qvibus aliàs ægre durum rumpitur latus, ita scribit Philippus Jacobus Wintherus, *Disp. alleg. cap.* 14. *pag.* 47. Nec occultum hic siderum influxus, nec qvod veterum multi fecerunt, pro seminis officina renes agnoscimus, sed nihilominus causam reddi posse satis liqvidam, putamus. Etiamsi verò in lumbis Seminis officina neqvaqvam detur, ex his tamen ejusdem materiam in Vasa spermatica confluere, αὐτοψία constat. Qvodsi ergo ignavus in qvibusdam sangvis hîc hæsitet, ut difficulter æstuans sponte ad testes ferri neqveunt, incentivo opus est; qvod si Pharmacia non suppeditet, vix denegabit, severior licet, Chirurgia, qvæ verberibus lumbos acriter qvatiens calorem exsuscitet, ipsosqve & renes & ductûs spermaticos compellat, ut largâ copiâ sangvinem versus testes urgeant. Hôc cum flagra possint, perspicuum putamus, libidinem horum usu accendi posse. Veruntamen non idcircò persvasi sumus, plagis hoc totum negotium absolvi posse, sed tantum earum rerum apparatum his procurari, sine qvibus nec Semen coqvere testes, nec erigi genitalia poterant. Qvodsi verò Athletæ qvondam Veneris ludibria dormientes declinaturi renibus supposuerunt laminas plumbeas, verosimillimum, qvæ calorem in his partibus accendunt, utpote illis contraria, libidinem ciere. Qvod ipsum etiam illi experiuntur, qvi dormientes in dorsum decumbunt, præsertim si mollissimis infarctô plumis lectô utantur; horum enim præter modum incalescentes renes Seminis ma-

materiam suppeditando non tantùm somnia libidinosa, sed pollutiones nocturnas efficiunt. Qvodsi ergo Medici qvidam ad coërcendum amorem insanum flagris jusserunt percuti ægros, ut agnitô errore resipiscant, neqvaqvam eô sensu sunt accipiendi, qvasi verberari lumbos voluissent, sed alias partes, qvibus non intercedit tanta cum testibus necessitudo, qvanta lumbis & renibus.

§. 23.

Non autem solummodo flagrorum atqve plagarum, sed etiam Urticarum viridium usus pro stimulo venereo commendatur; Siqvidem Urticarum viridium in ingvina incussibus brevitatem virgæ virilis, si sterilitas ob eam metuatur, emendari virgamqve magnificari ex Mengho Faventino adducit Johannes Henricus Meibomius *l. a. p. 39.* Item langventem aut sopitam Venerem iisdem excitari Petronius docet, apud qvem Enculpio funerata erat pars illa Corporis, qva qvondam Archilles fuerat, & frigidior rigente bruma confugerat in Viscera mille operta rugis; lorumqve in aqvâ, non ingven erat. Huic cum Oenothea, Priapi Sacerdos Magaqve insignis, promisisset, fascinum eam rigidum reddituram, ut cornu Nasturtii succum cum Abrotano miscet, perfusisqve ejus ingvinibus, viridis urticæ fascem comprehendit, omniaqve infra umbilicum cœpit lentâ manu cædere. v. Tit. Petron. *Satyric. pag. m. 331.* Et Christianus Franciscus Paullini Hortulanum senem, facetum & valde adhuc libidinosum novit, qvi semper ante exercitia venerea membrum & testes viridi urticæ fasce fricabat & cædebat, sicqve rem suam agebat animosè ac feliciter, v. *M. N. C. Dec. II. An. 5. App. Observ. 90. p. 56. seq.* Item Susanna Loasiz coram Judice referebat, Cauponem qvendam herniosum ante coitum sibi urticas porrexisse, jubendo, ut membrum ejus virile cæderet. v. Mich. Bernhard. Valen- Urticatio.

tin. *Novellar. Medico. legal. Cas. 4. pag. m. 50.* Et pag. 55. Johannes Christophorus Westphalus Urticationem in qvibusdam Impotentiæ casibus remedium sanè non ineptum & incongruum esse monstrat, siqvidem illâ ipsâ sensus tactûs sensibilius afficitur & spirituum animalium uberior ad genitalia radius sangvinisqve copiosior affluxus excitatur.

§. 24.

Salacitas Bombycum. De Salacitate & Coitu Bombycum vel potius Papilionum, in qvos Bombyces ordinaria Metamorphosi converti scimus, amputatô capite ab ipsis exercito refert Robertus Boyle de Utilitat. Philosoph. experiment. Part. 2. Exercit. 1. p. m. 115. marem, cui prius amputatum fuit caput, neqvaqvam adduci potuisse, ut fœminam comprimeret; decollatam tamen fœminam alacriter marem admisisse.

§. 25.

Coitus nimius noxius. Qvantum autem nimium Veneris exercitium seu freqvens & assiduus coitus noceat, præter qvotidianam experientiam docent Autores, siqvidem juxta Casparum à Reies *Camp. Elys. Qvæst. 46. p. m. 565.* vires exhaurit, spiritûs consumit, calorem innatum mortificat, qvòqve plus detraxeris, tantundem de Vitâ minues, cum Cerebrum suapte naturâ frigidum & exsangve enervet, nervosum robur dejiciat, oculos & articulos debilitet, cruditatesqve pariat; unde ingens postea morborum phalanx exoritur, & qvævis delectamenti mica mille ægritudinum cruciatibus rependitur. Et secundum Joh. Lang. *Epist. med. Lib. I. Ep. 24. p. m. 101.* exhaustis amore viribus corpus exsangve pallet, oculi intra supercilia conduntur, Cibum stomachus fastidit, longô suspiriô ex imô pectore pulmo ingemiscit, mens vacillat, Cor langvet, ex rei desideratæ aspectu motu pulsûs tremulô fluctuat, qvin solô nomine ami-

amicæ pellicis auditô harmonia pulsûs variatur, & juxta Ovidium:

Fecit amor maciem & longa internodia Crurum.

Ex anticipatô & assiduô coitu homines citiùs senescunt ac moriuntur, qvia Coitus est veluti morbus comitialis, qvô brevi totius Corporis compago dissolvitur ac extingvitur, inqvit Franciscus Torreblanca *de Magia Lib, 2. cap. 18. §. 20. pag. m. 218.* Scribit etiam Stephanus Blancardus *Institut. Medicin. Part. 2. cap. 28. Oper. Tom. I. pag. m. 330.* Coitus non modum excedat oportet, qvia non parum debilitat, in omnibus modus observandus, ob nimium enim coëundi exercitium sangvis optimarum partium depauperatur, ita, ut recens uxorem nacti sæpe puerperarum præludia agant; omnes hac in re sese noscant oportet; qvi enim non satis est potens, aliô modô uxori blandiri oportet, ut hoc modô blanditer somnum capessat. Qvi nunc Coryphæi nomen libenter audiunt & corpus tanqvam brutum exponunt, sæpius (contra condecentiam divinam) coire possunt. Novi, qvi ob coitus excessum tabidi & hydropici facti, cum Gonorrhœâ continuâ simplici. Et juxta Herm. Boerhav. *Institut. med. p. m. 160.* Excretio Seminis nimia debilitates, immobilitatem, maciem, visum hebetem, tabem dorsalem, fatuitatem variosqve alios morbos producit. Porro secundum Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. pag. m. 367.* importunus Veneris usus mortales in vitium & exitum dat præcipites. ... Est enim omnium Pathematum, qvæ corpus, animæ domicilium, alterare & infestare solent, gravissimum. Excessus qvippe Veneris magnus præ omnibus aliis passionibus animum infringit; & *pag. 369.* dicit idem Autor, qvòd normis Venus & medullisorba Mater morborum sit feracissima, succum nutritium, qvi vim ac robur partibus præbet, & vitale robur, exhauriendo, exsiccando, elumbe red-

reddendo ac destruendo. Prolixè etiam frequentis & immodicæ Veneris nocumenta recenset Rodericus à Castro *de Natr. Mulier. Lib. 2. cap. 5. pag. m. 58. & Lib. 3. cap. 4. pag.* 111. Duncan. Liddel. *Artic. med. Lib. 5. cap. 24. pag. m.* 812. *seq.* Valent. Henr. Vogler. *Diætet. Comment. cap. 37. pag. m. 261. seq.* Petr. Forest. *Lib. 28. Obs. 20. Schol. fol. m. 591. seq.* G. W. Wedel. *Disp. de Vener. Medic. & morb. cap. 3. pag. 30. sq.* Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. p. m. 742. usqve ad 760.* Franc. Bosell. *Amalth. medic. histor. Apparat. 2. pag. m.* 158. *seqq.* Joh. Bapt. Verloschnig. *de Curat. Vernal. autumnal. cap.* 12. *p. m.* 386. *&c.*

§. 26.

A nimia Venere Amentia.

In specie autem varia Symptomata variosqve affectûs à nimiô Veneris exercitiô dependentia annotarunt Medici. v.g. Melancholicus, cùm æstate mediâ Uxorem juvenculam duxisset, adeò profusè Venere usus est, & præsiccatus, ut non post multos dies vehementi furore esset percitus. Uti ex Jacchino refert Joh. Schenckius, *Observ. med. Lib. I. fol. m.* 141. Item Civis & Victor Marpurgensis, temperamenti melancholici, dum Anno 1685. secundâ vice nuptias celebraret & Veneri nimium indulgeret, incidit in Maniam adeò immanem, ut Catenis ligari debuerit, qvi tamen Tartarô emeticô & Venæsectione ex toto convaluit, teste Johanne Benedictô Grundeliô, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 166. p.* 327. Amentiam observavit Philippus Salmuth. *Cent. I. Observ. 61. pag. m.* 39. in Virô præstanti, literatô & Melancholiæ hypochondriacæ obnoxiô, qvippe qvi Conjugi juniori & lasciviori placere studens Medicamentis Venerem stimulantibus usus est. Pedetentim verò ejusdem ratio adeò labefactari cœpit, ut amens & fatuus prorsus evaserit. Ibidem etiam dictus Autor alterius meminit, cui ex nimiâ Venere Cerebrum ita fuit exsiccatum, ut etiam in-

Cerebrum exsiccatum.

intra Cranium hinc inde ferri audiret. Sexagenarius qvidam Mercator, ductâ post Conjugis mortem ancillâ suâ, & juvene & bellâ, cùm primæ noctis maximam partem inter solita gaudia consumsisset, manè à somnô satis longô, sed insomniis turbatissimô, evigilans, omninò deliravit fatuissimus, sine febre tamen obscœnissima effutiebat. Mirantibus in modestô hactenus homine tantam lingvæ petulantiam amicis, accersitur medicus, qvi per medicamenta altô & placidô somnô hominem sopivit, â qvô recreatus & corporis & animi vires recuperavit ignarissimus ante ineptiarum, aut certe ita prudenter eas dissimulans, ut qvicqvid temporis in amentiâ consumpserat, somnio imputaret, teste Henrico ab Heer, *Observat. 9. p. m. 102.*

§. 27.

Perpetuâ nervorum imbecillitate sponsum qvidam immoderatæ veneris primæ pœnam luebat, juxta Observationem Thomæ Bartholini *Cent. 6. Hist. 94. p. m. 366.* *Nervorum imbecillitas,*

§. 28.

Apoplexiâ inter uxorios amplexûs corripiebatur nobilis qvadragenarius, ductâ Virgine suæ sortis, referente Henrico ab Heer *l. a. p. 103.* Qvidem ætate senior, cum nimium in Venere anniteretur, Apoplexiâ leviore & qvalicunqve artuum dextri lateris resolutione corripiebatur. Hic, postqvam ad se, elapsâ forsan octavâ horæ parte, rediisset, referebat, qvòd priusqvam sensus ipsum ulteriorqve motus ex improvisô in negotii sui, nec dum tamen absoluti, pertractatione reliqvissent, percepit insignem in Occipite tensionem atqve versus nucham in interioribus contractionem, qvasi qvi meninges eò cogeret. Secundum Observationem Danielis Ludovici *v. M. N. C. Dec. 1. Ann. 9. & 10. Obs. 159. p. 371* Mercator qvidam Veneri, *Apoplexia,*

neri, sed licitæ addictissimus, cùm negotiorum ergò domô trimestri absfuisset, ad lares reversus adeò sibi conjugiqve & conjugem & connubium amanti indulsit, ut lassus, viribus omninò captus mortuo simillimus jaceret. Uxor timore perculsa lecto se proripit, Medicumqve accersendum curat, qvi ex sene Monachô factus novus Medicus apoplecticum jacentem suspicatus Venæsectionem imperat. Ingrediente autem Henricô ab Heer medicô aliàs ordinariô, jam brachium ligaverat Chirurgus venam pertusurus: Qvo jussô tantillum expectare, visâ urinâ observatoqve in illâ semine, jacenti in aurem dicit Heerius: aut tu Gonorrhæâ laboras, aut jam cum Uxore rem habuisti. Nollem factum, respondet Maritus, nam nimiô Veneris furore pœnè exanimatus sum. Tunc propinatô haustu Malvatici & aliis confortantibus, brevi restituebatur. vid Henr. ab Heer. *Observat. Medic.* 18. *pag. m.* 133. *seq.*

§. 29.

Palpitatio Cordis.

In actu venereo nimis occupatus Vir in talem palpitationem Cordis incidit, ut, nisi receptui eximisset, suffocatus fuisset, juxta Johann. Dolæi *Encyclop. medic. Lib.* 2. *cap.* 6. *pag. m.* 347. Sic Felici Platero qvidam fassus est, in veneris actu sibi statim supervenire palpitationem Cordis solere, ab eaqve adeò se adigi, ut nisi desisteret, suffocaretur; qvod & tandem illi accidit. F. Plater. *Prax. Tom. I. cap.* 11. *pag. m.* 471.

§. 30.

Syncope.

Syncopen seu Deliqvium animi ex nimia Venere annotatum recenset Baldassar Timæus à Güldenklee *Lib.* 2. *Cas.* 17. *p. m.* 106. Vir qvidam sexagenarius post obitum uxoris decrepitæ, juvenculam novissimè duxerat succi plenam & lasci-

viæ

viæ deditam, cujus libidini ut satisfaceret, nullam prætermisit noctem, qvin repetitim & supra eam comprimeret, assumtis etiam stimuli locô qvibusdam pharmacis. Hinc vires deficere, oculis caligines offundi, caput in modum vertiginis circumrotari, artus tremere, aliaqve senem circumvenire videbantur Symptomata: Accessit tandem & Lipothymia peracto plerumqve maritali opere, adeò, ut à Veneris usu planè abstinere cogeretur. Nobilis Hispanus ex coitu multo in animi deliqvium incurrens, Vino & Vitellis ovorum restituebatur. v. Zacut Lusit. *Tom. III. fol. m.* 70. Novit etiam Johannes Dolæus exemplum cujusdam, qvi, qvoties cum uxore sua coibat, & semen effundebat, toties animô linqvebatur; qvi tamen invitâ Dianâ non venabatur. v. Dolæi Encyclop. *l. a. cap.* 7. *pag. m.* 364. Liceat huc etiam referre Animi deliqvium in juvencula ex receptione seminis virilis à Johanne Jacobo Waldschmidio, *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obs.* 233. *p. m.* 421, communicatum. Juvencûla scilicet formosa & jucunda temperamenti sangvinei vivebat in Conjugio sterili cum maritô valde calidô, sicco & atrabilario. Causam sterilitatis rejiciebat in semen virile, qvod recipiebat qvidem summâ cum voluptate, verum eo ipso momentô tantis afficiebatur anxietatibus cordis & infimi Ventris cruciatibus, ut sæpissimè etiam animi deliqvium incurreret, donec variè sese torqvendo omne semen rursus effluere sentiret; qvô factô, ab omni molestiâ libera non recusabat priores mariti amplexûs. Sic Scortum qvoddam Romanum, cui Angela Nomen erat, qvotiescunqve cum viro congrediebatur, maximè, si bene mentulatus existeret, in syncopen levem incidebat; si verô & ipsa semen emitteret, in graviorem Syncopen lapsa longiusculo temporis spatiô ad sese redibat, nonnullisqve in posterum diebus decumbere & ex lassitudine & ex Ventris dolore cogebatur, uti ex

Ore

Ore Josephi Ghislerii, Medici Romani, refert Paulus Zacchias *Quæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 3. Quæst. 5. n. 7. fol. m. 647.* ubi plura exempla allegat.

§. 31.

Epilepsia. Epilepsiam à nimiô veneris exercitiô annotavit Henricus ab Heer, *Obs. med. 18. p. m. 176.* scilicet Anno 1619. Illustris Neogamus amore formosissimæ puellæ, qvam jam qvintum deperibat annum, potitus, in arcem milliari à Leodio dissitam eam ducit, ibi cum amore se pulcherrimô ad satietatem explet, depleri facultatem animalem purissimamqve spirituum partem absumi non sentiens, Epilepsiâ corripitur. Juvenis, suæ ætatis annum vigesimum tertium agens, post Cibi potionisqve immoderationem Venerisqve intemperantiam cœpit dolore capitis conflictari, mox vertigine per intervalla tentari, deinceps subito in terram concidere, cum corporis distentione crebra seu convulsione sensuum omnium mentisqve functionum interceptione, verbô Epilepsiâ laboravit. Vid. Lælic. à Fonte *Consultat. med. 95. p. m. 126. seq.* De sponsa ex primo congressu maritali epilepticâ factâ vid. Christ. Franc. Paullin. *p. m. 114.*

§. 32.

Scirrhus. Pamphilus triginta qvatuor annorum Anno 1682. vitiando Glycerium sæpius iteratô coitu, tandem Scirrhum sinistri Testiculi reportat, cum excoriatione Urethræ, juxta Paull. Ammann. *Irenic. pag. m. 132. seq. qvi pag. 141.* hanc reddit rationem: Oritur hic Scirrhus testium à coitu freqventiori, nam qvoniam testes nihil aliud sunt, qvàm tenuissimorum vasorum spermaticorum conglomeratio, hinc facilè à crebrô & violentô istô motu hæc vasa obstrui & indurari possunt, non secus, ac fit in Vasorum lacteorum & lymphaticorum Scirrhô; nam qvò subtilius est vas, eò faciliùs obstruitur.

§. 33.

§. 33.

Memoria deficere incipiebat & pedes Corpori sat grandi ferendo haud pares ulteriùs erant in Virô sexagenariô, qvi & studiis indefessis & laboribus tantum non continuis & Venere etiam in senectute, licitâ qvidem, sed nimiâ, Spiritus consumserat. vid. Vit. Riedlin. *Linear. Medic. An. 1697. Mens. Jul. Obs. 1. p. 427.* vid. etiam Joh. Chrysostom. Magnen. *de Tabac. Exercit. 6. p. m. 121. seq.* *Memoria defectus.*

§. 34.

Cœcitatem & alia oculorum vitia sæpe etiam à nimiô Coitu experimur; Siqvidem Vir eximiè doctus, at tenerioris texturæ & valde phlegmaticus annô ætatis qvinqvagesimô nonô juvenculam & summè lascivam ducens tertiâ â nuptiis septimanâ ab immoderató Coitu in repentinam & omnimodam incidit Cœcitatem, qvartôqve demum mense viam universæ Carnis calcavit, teste Christ. Franciscô Paullini, *Obs. med. phys. Cent. I. Obs. 64. p. m. 77. seq.* & *M. N. C. Dec. II. An. 5. App. pag. 56.* Visûs nocumentis etiam Coitum annumerat Schola Salernitana, *cap. 78. pag. m. 318. seq.* Et Gothofredus Mœbius *Physiolog. cap. 20. pag. m. 497.* scribit, se novisse virum qvendam summè literatum, visûs imbecillitate laborantem, qvi ingenuè fatebatur, nihil magis visui suo obesse, qvàm Seminis emissionem. Suffusionem â Coitu immoderatô ortam sæpe observavit Dominicus Panarolus, *Observat. med. Pentecost. 2. Obs. 6. p. m. 36.* Et *Obs. 28. p. 48.* juvenis meminit, qvi ob nimium Coitum visum amiserat. Virum doctum in qvadam Germaniæ Academiâ, ex intemperantia συνουσίας excæcatum, se novisse dicit Georgius Francus, *in Not. ad Paul. Zacch. Quæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 3. Qu. 2. §. 28. fol. m. 636.* Huc pertinet etiam, qvod ex Ambrosiô notum est: *Cœcitas.*

 Theo-

Theotinus, cùm gravi oculorum incommodô laboraret, & amaret uxorem, interdictâ ipsi à Medicô facultate & libertate coëundi, cupiditatis impatiens atqve impetu libidinis raptus se moderari neqvivit. Sciens enim prudensqve, qvod oculos esset amissurus, priusqvam conveniret uxori in ipsô æstu ferventis cupiditatis & consvetudinis apparatu: Vale, inqvit, amicum lumen. v. Christ. Frid. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib. I. Tit.* 4. §. *6. pag. m.* 148. Causam talis à Venere ortæ Cæcitatis hanc reddit Cornelius Stolpartius van der Wiel, *Cent.* 2. *Obs. 6. Schol. p. m. 57.* qvia nimirum magna spirituum qvantitas per Venerem oculis detrahitur, unde membranæ duræ admodum, rugosæqve evadunt, meatibusqve velut invicem compressis, transspiratio debita fieri neqvit, fibrillæqve nervorum membranarumqve Oculorum crassiores evadunt.

§. 35.

Canities. Canitiem ab immoderatâ Venere accelerari docet Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 9. Tractat.* 2. *cap. 6. pag. m. 756. seq.* ubi refert, se novisse Juvenem sibi familiaritate junctum, qvi vix vigesimô qvintô annô peractô ob libidinis excessum universô penè capite canuerat.

§. 36.

Sudor unius lateris. Sudorem unius lateris à Venere intempestivâ observavit Bartholomæus Johannes Otto Hannemannus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 202. p. 461.* Juvenis scilicet qvidam, cui Venus hactenus intentata fuerat, cùm aliqvando Glyceræ cujusdam nitore ureretur, & gratâ ejus compede detentus prælia acriter misceret, hoc retulit brabæum, ut post id tempus pristinô vigore destitutus, summâ semper virium debilitate la-

laboraverit, unâ cum hoc singulari phœnomenô, ut qvoties vel leviori exercitiô incalesceret, dimidia pars Corporis à fronte usqve ad talos sudore maderet; alterô latere omninò siccô remanente, ita, ut sæpiùs mirô illô sudore rei infeliciter in Castris Cupidinis gestæ memoriam renovaret.

§. 37.

In Febrem acutam cum virium defectu, Ventriculi subversione, immoderatâ siti, Lipothymiis, deliriô, insomniis, inqvietudinibus, primô noctis conflictu crebriore incidit sponsus qvidam, ut adeò penè de eo fuerit conclamatum, vid. Thom. Bartholin. *Cent. 6. Hist. 94. p. m. 366.* *Febris acuta.*

§. 38.

Podagram â nimia Venere ortum sumere docet Liberat. de Liberat. *Podagr. politic. Lib. I. cap. 5. p. m. 19. seq. & Lib. 2. cap. 7. p. 132. seq.* vid. etiam Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. p. m. 373. seq.* Melch. Fricci *Icon. Podagr. p. m. 75. & 195. seq.* Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pr. Cas. 25. p. m. 326.* Franc. Glisson. *Anat. Hepat. cap 45. p. m. 502.* qvalia exempla hoc loco ut adducamus, opus non erit. *Podagra.*

§. 39.

Choleram sangvineam annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. I. Observ. 11. p. m. 6. seq.* in laterariô qvodam, qvi, cùm ad Uxorem suam satis formosam noviter nuptam qvotidie circa meridiem discedendo à fornace, qvæ duobus ferè milliariis erat longè, proficisceretur, accidit aliqvando mediâ æstate, dum ipsam nimiô libidinis ardore accensus cognosceret, ut ingenti cum mortis periculô periclitaretur. Nam copiosissimè per vomitum & per secessum sangvis excernebatur, cum calor & motus ora venarum aperuissent. Chole- *Cholera sangvinea.*

ram autem sangvineam hunc morbum ideò appellavit Panarolus, qvia cum sangvine ad duodecim circiter libras ejectô maxima aderant Symptomata, nempe pulsûs deperditio cum dejectione virium, facies Hippocratica, sudor frigidus & jam desperatus erat; tamen propinatis cum Vinô Granatorum lapidis hæmatitis Scrupulis qvatuor statim sanatus est, magnâ omnium admiratione, qvòd hic, cui jam feretrum parabatur, è mortis laqveô ereptus cerneretur. De sangvine purô post effrenem Coitum emictô, vid. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 531.*

§. 40.

Lues venerea. Lues eqvidem venerea rarissimè aut nunqvam suâ sponte nascitur, sed ordinariè per Coitum impurum communicatur & propagatur; solô tamen excessu votereô, etiam cum propriâ uxore, Morbum hunc Gallicum nasci observavit Georgius Francus, v. Chr. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. pag.* 374. Qvæstio tamen esset, annon aliqvod seminium malignum jamjam in uxore vel maritô latuerit.

§. 41.

Mors. Ipsam etiam Mortem immodicô Veneris usu multi sibi accelerârunt, qvorum etiam nonnulli inter amplexûs amabiles animam exspirârunt, uti illi ex Venere apoplectico, cujus ex Heerii *Obs. 9. p. m.* 103. modò mentionem fecimus, accidit, ille sc. ab Apoplexiâ & subseqvente Paralysi restitutus ad furias venereas reversus in uxoris sinu, nec ipsâ advertente, dulci morte periit. Simili fato est etiam defunctus Daniel Beckherus, Med. D. ac Professor Regiomontanus, & qvidem Anno 1670. qvi, cùm ad secunda Vota transiisset, ne in se jaceretur illud Juvenalis:

jacet

- - - - - *jacet exiguô cum ramice nervus,*
Et qvamvis totâ palpetur nocte jacebit.

Sumsit aphrodisiacum, ostensurus juvenculæ, qvam duxerat, se virum esse; sed in certamine illô succubuit, ac in thalamô tumulum sibi paravit, vid. *Histor. Morbor. Vratislav. An.*1702. *pag. m.* 25. Cornelium Gallum & Titium Æterium, Eqvites Romanos, in Venere obiisse, scribit Plinius *Histor. Nat. Lib.* 7. *cap.* 53. *fol. m.* 122. & Valer. Maxim. *Lib.* 9. *cap.* 12. *No.* 8. *p.* 815. Beltradum, cognomine Ferrerium, Barcellonæ in Coitûs actu exspirâsse, ex Joviano Pontano refert Marcellus Donatus *de Med. Histor. mirab. Lib.* 4. *cap.* 17. *pag. m.* 394. Vini potum nimium bigamus qvidam unâ nocte ingurgitans, ne Veneris illecebris inescatus, in hujus conflictu succumberet, venereo ludo impense indulsit, unde febre, pulpitatione, Vertigine & delirio tentatus tandemqve Syncope detentus extinctus est. v. Zacut. Lusit. *de Prax. med. admir. Lib.* 3. *Obs.* 1. *Oper. Tom. III. fol. m.* 91. Ammannus qvidam senex & viduus cum Uxore juvenculâ, qvam recens duxerat, se commiscens, Dyspnœâ correptus fuit; qvâ, etsi admodum angeretur, nihilominus tamen actum venereum ad finem perducere conabatur; in ipsô autem opere adhuc Uxori incumbens suffocatus interiit, teste Felice Platerô *Observ. Lib.* 1. *p. m.* 183. *seq.* Ferrandus, Neapolis Rex, nimiô cum Conjuge suâ concubitu spiritum emisit. vid. Fr. Bosell. *Amalth. med. histor. App.* 2. *cap.* 8. *p. m.* 161. ubi plura. Salmanticæ idem qvoqve Studioso cuidam contigisse refert Rodericus â Castrô *de Natur. Mulier. Lib.* 3. *cap.* 4. *p. m.* 112. Senex ex morbô convalescens inter amplexûs uxoris interiit, ut ab uxore mortuus vix à ventre depelleretur. vid. Petr. Forest. *Obs. med. Lib.* 26. *Obs.* 20. *fol. m.* 591. Juvenis robustus & biliosus, post vulnus Capitis penè sanatus, vulnusqve penè Cicatrice obductum, cum scor-

tô rem habuit, unde febris, Paralyſis & qvartò die mors ſeqvebatur. vid. Gvil. Fabric. Hildan. *Cent.* 1. *Obſerv.* 19. *p. m.* 35. *ſeq.* Apparitor qvidam noctu fuſtibus exceptus ſangvinem aliqvandiu copioſum exſpuebat, cum ſummâ virium imbecillitate. Poſtqvam Medici diligentiâ omnia Symptomata ceſſiſſent, vires poſt redire incipiebant, ut mortem effugiſſe crederetur Triduo autem poſt, ex Veneris uſu ſubitò mortuus concidit. v. Jean. Udalr. Rumler. *Obſ.* 26. *pag. m.* 17. *ſeq. ap. Georg. Hier. Velſch.* Adoleſcenti vinô impleto atqve unâ nocte plus qvàm tredecim amplexûs experto, ſubitò Vena in pectore perrupta fuit, ipſeqve qvartô die obiit. Item Senem ſexaginta annorum cum juvencula Conjuge primâ nocte rem habentem veneream, in ipsô opere ſyncopticum exſpirâſſe ex Rolfinciô refert G. W. Wedelius *Diſput. de Vener. medic. & morbif. cap.* 3. *p.* 28. *v. etiam p.* 38. Baro qvidam, literis armisqve nobilis, globo ſclopetario olim in pectore perfoſſus erat, globulo diaphragma ſimul trajiciente; curato vulnere, per integrum octennium neqvicqvam inde moleſtiæ ſenſit, licet ſolennibus & vehementiſſimis ſæpe venationibus absqve ullâ reſpirationis difficultate interfuerit: Aliqvot vero abhinc annis Virginem ſibi deſponſavit formoſam, ſed vegetam & robuſtam, in cujus amplexibus nimium exardeſcens paulò poſt immani & terribili dyſpnœâ corripitur, ut magno cum labore inclinatus è profundo qvaſi ſpiritum trahere coactus fuerit, tuſſi inſimul materiæ purulentæ qvantitatem maximam, demumqve animam ejiciens. v. Mich. Bernh. Valentin. *Polychreſt. exotic. p. m.* 78. Scivit Daniel Ludovici duos Veneri immortuos, & qvidem provectiores ſtatim poſt ſolutam copulam, Syncope alterum, alterum Apoplecticè ferè fatò functos, unum in ipsô actu; ut haud boni tituli ſuccuba, qvin deprehenderetur, ab eô ſe liberare ſemet vix potuerit.

v. *M.*

v. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 159. p. 351.* Simillimum huic ultimò exemplum ante aliqvot annos hic Dresdæ de Virô non ignobili referebatur. vid. etiam Joh. Schenck. *Observ. med. Lib. 4. fol. m.* 533. Viturium Senatorii Ordinis, admodum senem in venere obiisse legere licet apud Alex. Benedict. *de Rè medic. Lib. 24. cap. 22. fol. m. 452.* Simili mortis genere in pellicum complexu extinctum fuisse ac maturè discessisse Theodebartum, Clotarii, Francorum Regis filium natu majorem, item Spensippum Platonicum; inter alia refert Caspar à Reies, *Camp. Elys. Qv. 44. §. 24. p. m. 533. seq.* De Spensippô idem ex Tertulliano habet Cornelius Stalpart van der Wiel, *Obs. rar. Centur. poster. Obs. 6. Schol. pag. m. 58.* ubi etiam communicat Epigramma Nicolai Grundii, de Adolescente qvodam, qvi Anno 1555. Bruxellæ novô mortis genere periit. Adolescens autem loqvitur:

Rustica me strictis nimium complexibus urgens,
(Qvis credat?) collum luxat amica mihi.
Ilicet, ecce, humero incubuit caput, atqve solutâ
Cervice, ipsa simul semita clausa cibo est.
Hoc qvoqve vix potui suppressâ voce profari,
Es mihi tu raræ, Cypria, causa necis.

Ad qvod haud dubiè alludens Johannes Secundus Hagiensis, Nicolai Grundii frater, hoc composuit Epigramma:

Inter opus medium lascivâ morte solutus
Hic situs est & init jam Menelaus humum:

Liburni Mercator Belga desideratæ amicæ complexu primò tam avidè & insatiabiliter fruebatur, ut in sinu ipsô exspiraverit, teste Thomâ Bartholinô *Cent. 6. Hist. 94. pag. m.* 366. Plura Exempla reperies apud Christ. Frid. Garmann. *de Miracul.*

cul. mortuor. Lib. I. Tit. II. *pag.* 294. *seq.* & Christ. Warliz *de Morb. biblic. cap.* 12. *p. m.* 378. Cùm Johanni Menardo Ferrarienſi, Uladiſlai, Pannoniæ Regis Archiatro, ab Aſtrologô prædictum fuiſſet, vitæ periculum in foveâ ipſi imminere, à foveis & foſſis ſibi timuit, non ſatis perſpectâ Oraculi κεύθμει. Cum verò illiberis, prolis aliqvantò, qvàm vitæ cupidior, planè ſenex uxorem duceret juvenculam, primâ nuptiali nocte, cum dilectâ concumbens, deſideratis intentus amoribus, in genitali foveâ extinctus ſvavi Morte Oraculi implevit ſcopum & funus maturavit ſuum. Huc alludens Johannes Latonus Germanus tale concinnavit diſtichon:

In foveâ qvi te periturum dixit aruſpex,
Vates verus erat: Conjugis illa fuit.

vid. Gvern. Rolfinc. *de Part. Genital. Part.* 2. *cap.* 32. *p. m.* 181. *ſeq.*

§. 42.

Femina mortua. Non autem viros tantùm, ſed fœminas qvoqve fataliter in actu aphrodiſiæ voluptatis obiiſſe, téſtatur Epitaphium ſeqvens in templo D. Mariæ Ravennæ poſitum:

P. I. DICAT.
CINERES ET OSSA LAODICEÆ.
PHILOCAPTÆ HIC SITA SUNT,
PERPETUÆ MEMORIÆ FACTI
ET INFAMIÆ CAUSA.
QVÆ INSACIABILI VENERE EXHAUSTA
SUBTER VIVO VIRO MORTUA EST,
VIX. ANN. XXIII. MENS. VIII. D. IV.
INFELICISSIMI PARENTES TACITO NOMINE
EXTRA SORTEM AD RUDERA POSUERE
O VORAGINEM EXURIENTEM.

vid.

vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 9. Tr. 2. pag. m.* 794. qvi pag. seqventi adhuc aliud Epitaphium, Romæ olim exsculptum, communicat, qvod duobus amantibus, Mari scilicet & Fœminæ, in Coitu simul animas prurientes ejaculantibus positum fuit:

ASPICE VIATOR Q. SERTULL. ET DULCICULÆ SPON. ME. ORANCILIÆ VIRG. AC POST. INDE QVID FACIAT LICENTIOSA SORS LEGITO. IN IPSA FLORIDA ÆTATE CUM ACRIOR VIS AMORIS INGRUER. MUTUO CAPT. TAND. SOCERO ET M. SOCR. ANNUENTIB. SOLENN. HYMEN. NUPT. COPULAMUR. SED O FATUM INFELIX! NOCTE PRIMA CUM IMPORT. VOLUPTATIS. EX LI. FAC. EXTINGVERE ET D. M. V. VOTA COGEREMUR REDDITIS HEU IPSO IN ACTU DOM. MARITALIS CORRUENS AMBOS IAM EXTRE. CUM DULCITUDINE LÆTIS. COMPLICATOS OPPRESSIT FUNESTAS. SOROR NEC NOVI QVID FECISS. PUTA NON ERAT IN FATIS TUM NOSTRA LONGIOR HORA CARI PARENTES LUCTU NEC LACRYMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FUNERA, NE REDDATIS INFELICIORA. AT VOS NOSTROS DIUTURNIORES VIVITE ANNOS OPTIME LECTOR AC VIVE TUOS

D. M.

§. 43.

Solent autem isti, qvi intemperanti Veneris usu pereunt,

Peolæ, Peolæ, mediâ productâ, appellari, qvia πίος signat Pudendum sive Veretrum. vid. Lud. Cœl. Rhodig. *Lection. antiqv. Lib.* 14. *cap.* 6. *fol. m.* 524.

§. 44.

Coitus intermissus noxius. Sicuti autem hactenus allegata Nocumenta nimium Veneris exercitium fuêre secuta, ita econtra etiam à Coitu intermissô & Seminis retentione varia Symptomata annotarunt Autores, docet enim Aristoteles *Problemat. Sect.* 4. §. 36. *fol. m.* 623. qvibus natura calida est, si modò robusti pleniqve sunt, nisi concumbant, iis sæpe bilem prosistere & alvum amaram secedere & pituitam salsam conficere & colorem corporis immutare. Et juxta Galenum *de Loc. affect. Lib.* 6. *cap.* 5. *fol. m.* 38. *seq.* Sunt nonnulli, qvi nisi assiduò coëant, capitis gravitate molestantur, cibos fastidiunt, ac febribus obnoxii fiunt, atqve ut deterior est ipsis appetentia, ita & Concoctio minor. Novit etiam Galenus qvosdam, qvibus hujusmodi erat natura, qvi præ pudore à libidinis usu abstinentes torpidi pigriqve facti sunt; nonnulli etiam Melancholicorum exemplo, præter modum mœsti ac timidi, cibi etiam tum cupiditate, tum concoctione vitiatâ. Plura vid. Casp. à Reies, *Camp. Elys. Qv.* 46. §. 16. *seq. p.* 569. *&c.*

§. 45.

Anorexia. In specie autem Anorexiam & vomitum observavit Galenus, dum Viduus qvidam Uxoris mortem lugens, & à Coitu, qvô antea creberrimè usus fuerat, abstinens, Cibi cupiditatem amisit, atqve ne exiguum qvidem Cibum concoqvere potuit; ubi verò seipsum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad Vomitum excitabatur; Moestus etiam apparebat, non solum ob has causas, sed ut melancholici solent, citra manifestam occasionem, uti ex Galenô refert Jason. à Pratis, *de Ste-*

Sterilit. pag. m. 75. Anorexiam & Delirium à Coitûs abstinentiâ observavit Christianus Francisc. Paullini, *M. N. C. Dec. II. Ann. 9. Obs. 189. p. 353.* Audiverat nimirum qvidam plebejus & simplex homuncio in Concione à Monachô Dominicanô, Castitatem & abstinentiam à Venereis actibus maximè commendatam. Ille subitò eam fovet Domino, omnem conjugalem congressum seriò fugiens. Incidit verò in tantum delirium, cum pertinacissimâ anorexiâ conjunctum, ut frustra usurpatis remediis, vix religiosissimi Viri persvadere potuerint homini, qvò antiqvum suum licitè repeteret. *Delirium;*

§. 46.

Maniæ ex semine retentô è Petrô Forestô meminit C. Theoph. Bierlingius, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Observ. 151. p. m. 236.* Et juxta Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. pag. m. 363.* Seminis retenti noxam videmus in brutis, in rabiem incidentibus, qvando lascivientiâ aut coitu prohibentur, prout in utroqve sexu Canum, in caballo & eqvâ non infreqventer observamur. Eodem pactô inter homines invadit amor insanus viros, à spermatis acrioris & copiosi retentione & genitalium stimulatione. *Mania,*

§. 47.

Porrò Coitûs abstinentia in Virô non omninò citra noxam est, præsertim in illis, qvi antea fuerunt assveti: arescunt enim plerumqve genitalia & ad munus inepta redduntur; Testes & Vasa spermatica contabescunt, qvod in qvodam Athletâ Galenus observâsse fatetur, cui continentiam pariter servanti penis rugosus & collapsus evasit. Exercitii qvippe defectu partes illæ langvent, & attrahendi vim omnem amittunt, qvare spermatici succi & illius vapores regurgitantes sangvinem inficiunt, ac melancholicum & tristem hominem reddunt, hi- *Impotentia;*

laritatem omnem auferunt; ex qvibus virilitas, agilitas ac robur deprimuntur, atqve audacia omnis hebeſcit ac retunditur, & multa alia eveniunt, &c. v. Caſp. à Reies, *Camp. Elyſ. Qv. 46. p. m. 569.*

§. 48.

Epilepſia. Epilepſiam & mortem ſubſecutam ex intermiſſa Veneris aſſvetudine annotavit Zacutus Luſitanus, *de Prax. medic. admir. Lib. 2. Obſ. 19. Oper. Tom. III. f. 71.* & qvidem in Nobiliſſimô qvodam, qvi adeò erat Coitûs ſtudio deditus, ut laſſatus & debilis cogeretur hac de causâ ad tempus lecto qvieſcere & reſtaurante cibô vires exhauſtas reficere. Hic tandem hujus fœditatis pertæſus, Caſtitatem ſibi obſervandam propoſuit ita rigidè, ut jejuniis, abſtinentiæ & orationi ſolùm eſſet intentus. Ecce! poſt ſex Menſes Nauſeâ correptus Vertigine concutitur & poſt paucos dies Epilepſia ſæva opprimitur. Tandem malô ferociùs infeſtante in plenilunio, præcedentibus inordinatô lingvæ motu, Capitis rotatione, pallore faciei, caligine oculorum, Epilepſiâ, cum validô dentium frigore miſerrimè detentus, poſt paucas horas velut ſideratus extinctus eſt.

§. 49.

Mors. Deniqve modo allegatus Reieſius, *l. a. p. m. 572.* exempla talium refert, qvi ob omnimodam Veneris abſtinentiam mortui dicuntur; inter qvos fuit Jaime, Johannis primi, Portugalliæ Regis, Nepos, & filius Petri, qvi Mundum peragrâſſe dicitur Cardinalis & Archi-Epiſcopus Olyſſipponenſis creatus, cui cùm multories Medici de Venere ineundâ turpiter conſulerent, qvòd ex impuri ſeminis copiâ ægrotare animadverterent, tamen illis hac parte obedire nunqvam voluit, ſed ex dictô langvore ſic Romæ obiiſſe Anno 1459. dicitur. Item Ca-

Casimirus, Regis Poloniæ Filius, propter eandem causam occubuisse creditur. Imperator Constantinus, ne adolescens decederet, Veneri ut indulgere vellet, svadentibus sanctè fertur respondisse: se magis velle adolescentem mori, qvàm conspurcatum vivere. Qvod qvoqve de Comite Monterrei Hispanô fertur, insignis virtutis virô; nam cùm ob eandem causam gravia ægritudinum & mortis instarent pericula (erat enim viduus & antea Veneri assvetus,) multis instantibus, ut Coitum pro conservandâ vitâ exercere permitteret, ferunt respondere solitum: non posse aliqvid corpori esse utile, qvod animæ noceat. Pulchrum sanè responsum & in omnium Christianorum ore sæpius devolvendum. Nec tandem omittendum, qvod de Michaële Verinô scribitur. Hic scilicet ob Castitatis Zelum crudelibus morbis jam conflictatus, ad Paulum amicum rescribens sic dicebat:

Promittunt Medici coitu mihi, Paule, salutem,
Non tanti vitæ sit mihi certa salus.

Propterea Angelus Politianus pro Epitaphiô ejusdem Verini ex tali ægritudine mortui ita dixit:

Sola Venus poterat lento succurrere morbo;
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Et vir qvidam Coitui addictissimus, tandem sibi Castitatem rigidè servandam proposuit, post menses sex nauseâ corripitur, tandemqve Epilepsiâ extingvitur; Nullum vitium ullibi conspectum, præter in Cavitate Vasis Semen in Penem deferentis, qvod Semine in virorem mutatô oppletum visum est. v. Joh. Viridet. *de prim. coction. Part.* 2. *cap.* 6. *p. m.* 305. qvi hanc Observationem ê Zacut. Lusit. *Prax. med. admirand. Lib.* 2. *Observ.* 119. *fol. m.* 71. desumsit.

§. 50.

Coitus moderatus prodest.

Cùm proinde ex hactenus dictis videamus, tam omnimodam â Venere abstinentiam Seminisqve retentionem, qvàm immoderatum nimisqve maturum Veneris usum Seminisqve crebriorem effusionem maximè nocere; moderatus tantummodò Coitus ad longævitatem svadendus erit; siqvidem uti immodicus Veneris usus antè dicta affert nocumenta, ita modicus, parcus ac rationalis Sanitati confert: nam repletionem evacuat, corpus agile reddit & alacrius, virile efficit, organa emollit, meatûs dilatat, pituitam calefacit, tenuat, expurgat, intelligentiam adjuvat, iratos mitigat, tristes exhilarat, atrâ bile vexatis & hominum consortium fugientibus remedio est, furiosos ad saniorem mentem reducit, ægrè spirantes meliùs respirare facit, &c. uti ex Hippocrate aliisqve Autoribus refert Caspar à Reies, *Qvæst. 46. §. 20. pag. 571.* Hoc sensu absqve dubiô G. W. Wedelius, *de Diæt. Literator. Paradox. 6. p. m. 103.* Venerem non esse ingenii memoriæqve pestem defendit: maximè, inqviens, damnata est communiter eadem & malè audit apud literatos, qvasi & Spiritus & vires omnes depauperet nimis, & ausim dicere, vel ob hoc qvosdam minus ad τὰ ἀνόητα ferri, ut tantò magis sapiant. Falluntur tamen ut illi, qvi Corpori subtrahunt debitum prætium; ita &, qvi ad sacra eleosina plùs justò horrent. Est sua & Veneri vis ad suscitandos animos, modò cœtera sint paria; est Corpori suum superfluum, qvod huc redundat, & sphæram suam absolvit. Et *Disp. de Vener. medic. & morbif. cap. 2. pag. 14.* dicit idem Autor: In qvibuscunqve ratione ætatis Vitæ generis, temperamenti & similium venus indicatur, iis & necessaria & utilis, adeoqve svadenda est. Inqvit etiam M. Antonius Ulmus, *Physiol. Barb. hum. Sect. I. cap. 15. p. m. 64.* Opinantur nonnulli, Venerem omnem debilitare corpus & fran-

frangere, innixi illis ſuis antiqvorum dictis, omninò divinis, rectè ſi intelligantur, Venerem eſſe Epilepſiam qvandam, in hac hominem ex homine exire, ac alia multa, eandem ſemper nocere, qvod minùs probarent, ſi acriter Hippocratis mentem introſpexiſſent, qvi voluit, hanc in ægrotis nonnunqvam prodeſſe. Reverà autem confert, ſi tantum intervalli in venereorum uſu adhibeatur, ut neqve reſolutio aliqva ſentiatur, & ipſe homo qvodammodò levior factus ac meliùs ſpirare videatur; Et Jaſon Pratenſis *de Sterilitat. pag. m. 73.* inqvit: Certum eſt, Concubitum ad ſanitatemfacere permultum, qvi ex intervallô & rarior adhibetur. Venerem moderatam ſvadet etiam Rodericus à Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap. 4. pag. m. 112. ſeq.* & Chriſt. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. p. m. 361. ſeq. & 367.* it. Paul. Zacch. *Qv. med. legal. Lib. 6. Tit. 1. Qv. 5. fol. 494.*

§. 51.

Svadetur autem & exercetur Coitus moderatus vel præſervativè, vel curativè. Viros enim religionis obſervantiâ claros, mulierculas dedolare, nullum in hoc Corporis aut animi delinimentum ſecutos, ſed ne concidant in ægrotationem, ſcribit Jaſon à Pratis, *l. a.* Et Epiſcopus qvidam, à Coitu & re venereâ, aliàs abſtemius, cùm deniqve Medici & amicorum ſvaſu pro recuperandâ ſanitate, ex ſeminis retentione amiſsâ, hoc remediô uſus fuiſſet, plorare incepit. Amici has lacrymas ex pœnitentiâ de commiſsô peccatô effuſas credentes ipſum conſolari annitebantur; qvibus tamen, ſe ideò, qvod dictum ægritudinis remedium non citiùs applicâſſet, plorare reſpondit. vid. Johann. de Bevern. *Theſaur. ſanitat. Part. I. Lib. 4. cap. 3. fol. m. 174.* *Præſervativè.*

§. 52.

In Catarrhis.

In ſpecie autem morbos ſeroſos & pituitoſos ab intermiſsô coitu originem trahere, ſcribit G. W. Wedelius, *diſput. alleg. pag.* 17. *ſeq.* Dum Veneris defectu ſeminisqve excretione inhibitâ ſerum in universâ maſsâ ſangvineâ abundat & longiori demum morâ ac flagratione facilè in pituitam faceſſere poteſt. His morbis ſedula curatrix exiſtit Venus ejusqve uſus legitimus, ſiccando nimirum & evacuando ſerum. Galenus catarrhoſis ac pituitoſis Venerem propter nimiam corporis agitationem prodeſſe ſtatuit, qvia ipſam neceſſario ſeqvitur Calor. Qvod tamen conſilium cum ſale eſt accipiendum, ne plus refrigeret nimia Venus, qvàm actualis illa exercitatio excalefacit. Etenim calor ille ex motu concitatus citò evaneſcit, refrigeratio autem ex Venere diu durat. vid. Chr. Warliz. *de Morb. bibl. cap.* 12. *p. m.* 365.

§. 53.

In Dyſenteria.

Dyſenteriam à Coitu ſolvi experientiâ annotavit Amatus Luſitanus *Cent.* 2. *Curat.* 47. *fol. m.* 177. ſcilicet cùm Mulo-Medicus qvidam Dyſenteriâ graviter opprimeretur, in nocte erectâ Virgâ ad fœminam ſibi proximam ſe direxit, & cum eâ leniter Hymenæum exercuit, & illicò dejectiones ceſsârunt & inde ſanus evaſit. An, & qvâ ratione Venus Dyſenteriæ medeatur, vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 9. *Tr.* I. *cap.* 6. *pag.* 726. *ſeqq.* Attamen Paulus Ammannus *Irenic. pag. m.* 10. *ſeq.* Coitum Dyſentericorum rationi, experientiæ atqve Dyſentericorum ſtatui oppidò contrariari judicat, ut de impoſſibilitate nihil dicat.

§. 54.

In nimio Menſium fluxu.

In nimiô Menſium fluxu Coitum utilem obſervavit Johannes Valentinus Willius, in Illuſtriſſimâ qvadam Heroinâ anno-

norum triginta, biliosissimarum antesignanâ multos jam annos nimiô mensium profluviô usqve adeò laborante, ut totô palleret corpore,& vix præ debilitate lumbos traheret; scilicet dicta domina nullô hactenus remediô, nec internô, nec topicô fontis hujus perpetuò stillantis sangvine scaturiginem obturare valuit; sed unicum remedium fuit συνουσία matrimonialis, ita, ut cum Ill. Maritô fœcunda, & tredecim liberorum mater atqve etiam inter hos gemellorum plerorumqve non superstitum tantùm, sed & pancraticè degentium facta sit. Fœcundum ea certò novit Coitum, cùm statim primâ aut secundâ ab eô die stillicidium cruoris cessat,&c. v. *Act. Hafn. Vol. III. Observ. 79. p. m. 141. seq.*

§. 55.

Delirium Venere curatum legimus apud Christ. Francisc. Paullini, *Obs. med. phys. Cent. 3. Obs. 88. pag. m.* 386. *sq.* Puella scilicet novendecim annorum ad qvatuor ferè menses delirârat; Miles occasione arreptâ comprimit eam & integram sibi reddit. Item Maniaca qvædam Patavina, qvæ per plateas ambulans de rebus venereis semper loqvebatur & obvios interdum baculô aggrediebatur; Tandem in Nosocomio St. Francisci ab ejus loci ministris sæpius compressa convaluit, qvia à seminali humiditate diutius detentâ & putridâ elevatis vaporibus Mania hæc orta fuit, juxta Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hist. 69. pag. m. 258. seq.* *In Delirio,*

§. 56.

Melancholiæ annatæ inqve Maniam degeneranti proficuum Coitum annotavit Caspar Theophilus Bierlingius, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Observat.* 151. *p. m. 234. seq.* Nascebatur scilicet qvidam nobilis, cui nomen erat Flaminio ad radicem Montium Rhetiæ, cum annatâ qvadam mentis imbecillitate, *In Melancholico*

qvæ creſcentibus annis etiam creſcebat, ita,ut geſticulationes, deliria, Melancholia in maniacum planè tandem furorem degenerarent, qvia circa dies caniculares ita augebatur, ut nullus illi obvius fieri poſſet, qvin ab eôdem cum jurgiis, tum fuſtibus invaderetur. Cantilenas varias obſcœnas maximâ cum delectatione ſæpe ſæpius repetebat. Hic tandem, Medicis de hujus amentiæ correctione deſperantibus, matrimonium contrahebat, & poſtqvam in Conſortiô conjugali cum maximè ſtrenuâ uxore aliqvandiu perſeverâſſet, eadem gravida poſt novem menſes filium, poſteaqve plures hæredes utriusqve ſexûs peperit, ſine ullô paterni affectûs contagiô. Qvô factô affectus hic remittere ac mitigari cœpit; cùm non minùs efficaciter in hocce negotiô collaborâſſet, &c. Idem Bierlingius etiam *l. all.* ex Aretæo adducit, Juvenem qvendam uſu puellæ à Melancholiâ convaluiſſe. De hâc materiâ ita ſcribit Chriſtianus Warlizius, *de Morb. biblic. cap. 12. pag. mi. 364.* Juſtus & parcus Veneris uſus interdum Melancholicis, præſertim hypochondriacis qvibusdam profuit,levamentumqve attulit, dum animum ſerenat,ejusve dejectionem ſublevat,ac deturbat à ſangvine excrementa humida, qvibus ſcatent. Imprimis verò dum ex ſvavi fœmellæ conſortiô & amoris pugnâ excitantur, hi myſanthropi & evadunt philanthropi. Ideò adoleſcentibus triſtitiæ obnoxiis uxorem jungi prudentes Medici conſulunt; venereis qvippe illecebris animi etiam fortiſſimi capiuntur. Hôc modô juvenis iſte apud Aretium, *lib. 1. cap. 5.* ludô venereô â melancholiâ convaluit, procul dubiô, qvia ab ejus deſideriô malum hoc contraxerat. Ideò & delirare incipientibus, in cœlibe vitâ conjugium ſvadetur, &c. Et ſecundum Galenum nonnulli Veneri aſſveti, prætermiſsâ tali conſvetudine frigidi & torpidi evaſerunt, qvidam melancholici, omnes tamen qvamprimùm ad priſtinam

con-

consvetudinem revertebantur, nullis aliis præsidiis adhibitis, sponte liberati sunt. v. Albertin. Botton. *de Morb. Mulier. Lib. I. cap. 41. pag. m. 60. a.* Cur autem non semper Venus melancholicis conveniat, v. Hier. Mercurial. *Prælect. Patavin. Lib. I. cap. 10. fol. m. 39.*

§. 57.

Passionem hysterico-convulsivo-catalepticam Conjugio curatam observavit Johannes Schmidius, in Virgine qvadam, qvæ in flore ætatis tenerrimæ complexionis Symptomata sentire uterina cœpit, qvæ, adhibitis licet remediis præstantissimis, nihilominus incrementa sumebant indies, majora Symptomata hæc erant: nunc dolebat caput, nunc abdominis sentiebat distensionem & dolorem summum, nunc immobile & rigidum totum reddebatur corpus Catalepsin dictam patiens, mox universalem, mox partium certarum, manus, brachium, pedes frangi citiùs propter rigiditatem, qvàm moveri poterant: Convulsiones patiebatur & concussiones interdum corporis totius, nonnunqvam partium tantùm aliqvot, aspectu horrendas; qvatiebat membra nunc huc, nunc illuc, &, qvod visu maxime horrendum erat, elevabat abdomen, inflectendo dorsi spinam, ut caput penè pedes tangeret. Ridebat cum cachinnis, cantabat lugubres cantiones integras, nec ulla in re hallucinabatur; tale & tale sibi emetiendum adhuc esse iter dolebat; per semitam supra aqvas ambulandum, spinosum sibi esse ascendendum montem, &c. aspiciebat apertis oculis adstantes, sed distingvere neqvibat, &c. Post varia frustrà adhibita medicamenta Uterina, antihypochondriaca & specifica, unica symptomata sedandi spes in Venæsectione ponebatur, qvæ bis & non raro ter de die, ad uncias septem vel octo adhibita, insigne levamen afferebat; ut ita toto morbi decursu secta ipsi vena fuerit centies septuagies sexies, singu-

In Passione hysterica.

lis vicibus ad minimum ſeptem unciis ſangvinis extractis. Tandem omnibus ex arte præſcriptis remediis parum efficientibus, Medicus Conjugium ſvaſit; qvod poſtqvam cum Juvene qvodam contraxiſſet, libera ab omnibus, qveis hucusqve divexata fuerat miſera miſerè malis, ſana poſtmodum vixit & incolumis. v. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 42. pag. m. 113. ſeqq.* v. etiam de Epilepſia.

§. 58.

In Furore uterino. Furoris Uterini curatrix fideliſſima, citra aliud remedium exiſtit Venus celebrata; Siqvidem juxta Dominic. Panarol. *Pentecoſt. 3. Obſervat. 9. p. m. 68.* aliqvando mulieres in veneream voluptatem ruunt, & libidinis œſtrô utuntur magis cauſa morbi, qvàm alterius rei. Viſæ enim ſunt ſæpius fœminæ alioqvin caſtæ & prudentes, qvæ furore uterinô corruptæ, meretricum more, verbis petulantibus, actûs laſcivos & inconcinnos ſine pudore faciebant, qvæ poſtmodum in ſe reverſæ & ſuper res geſtas monitæ, maximopere erubeſcebant. Mulierem nos vidimus, pergit Panarolus, inter plurimas, qvæ tantum conſiliô & mente valebat, qvantum in Uterô gerebat, tunc etenim cum prudentiâ & pudore maximô exemplar aliarum erat; ſed elapsô puerperiô non multô poſt illecebroſior & laſcivior fomenta libidinum impudiciſſimâ mente qværebat, donec iterum Uterô gereret; qvô factô mens & ratio ad ſuas ſedes regrediebantur. Refert etiam Alexander Benedictus, *de Remedio Lib. I. cap. 28. fol. m. 23.* exemplum mulieris nudæ per Civitatem peragrantis in qvadam Italiæ urbe, qvæ, cùm in officinam qvandam meritoriam incidiſſet, nocte totâ à qvindecim viris Venere defatigata diluculô menti reſtituta diſceſſit. De muliere ex diuturnô Mariti morbô propter ſeminis retentionem in furorem uterinum incidente

&

& Canum congressum appetente, v. Fel. Plater. *Prop. medic. Tom. I. cap. 3. p. m. 101.* Virguncula qvædam, colore nigella, macilenta, garrula, iracunda, inqvieta, ad Venerem maximè proclivis & qvæ solum de amoris illecebris loqvebatur, freqventer loca pudoris, qvorum attactu maxime gaudebat, scalpens, ubi uri ac prurire incipiebat, virorum amplexu exardescens, irrigari humectariqvo postulans, inexplebili coeundi desiderio tenebatur. Qvô cùm uti non liceret, subitò eam invasêre Vomitus, ingens horror, cardialgia, cephalalgia, difficilis respiratio, Cordis pulsus, ventriculi subversio, nausea, prostratus appetitus, timor, mœstitia, febris, horribiles imaginationes, Cordis compressio, animi deliqvium, Epilepsia, &c. Demum cùm illa per multos dies his malis esset dilacerata, subridens ad mentem redibat. Cum verò nullis unqvam auxiliis levari posset, Parentes eam viro locarunt, sicqve validus & nervosus coitus, cum juvene robusto atqve officio connubiali strenuè perfungente, hunc furorem sedavit. v. Zacut. Lusitan. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 93. Oper. Tom. III. fol. m. 64. seq.*

§. 59.

In Chlorosi seu Cachexiâ virgineâ imprimis à Mensium suppressione Coitus licitus qvandoqve svaderi solet; Hinc Hippocrates *Lib. de Virgin. morb. juxta Fœsii Versionem Sect. V. fol. m. 125.* Virginibus, qvibus tale qvid accidit, svadet, ut citissimè cum Viris conjungantur. Si enim conceperint, sanæ evadunt. Qvòd nisi fiat, aut cum pubertate, aut non ita multò post his tentabuntur, nisi viro jungantur. Qvod Hippocratis consilium Joh. Langius, *Epist. med. Lib. I. Ep. 21. p. m. 93.* saluberrimum vocat, siqve ipsi medicamenta Menses provocantia & Obstructionum aperitiva adjunxeris, nihil his præ- *Et Chlorosi.*

ſentius reperiri & excogitari poſſe dicit, qvibus ipſe in hujus virginei morbi curâ nunqvam falſus aut ſpe fuerit fruſtratus. At Daniel Sennertus, *Pract. medic. Lib. IV. Part. 2. Sect. 4. cap. 3. p. m. 300.* ad qvæſtionem, an Virgines valetudinariæ nubere debeant, cum diſtinctione reſpondet, Virgines, inqviens, valetudinarias, qvod attinet, an eæ nubere debeant, dubium eſt. Vulgata qvidem eſt opinio, virgines valetudinarias, ſi viro copulentur, meliorem valetudinem conſeqvi; & ſanè accidit interdum, ut, qvæ Virgines pallidæ & decolores fuerunt, ſi nubant, vegetæ fiant, & roſeum faciei & corporis colorem acqvirant. Contra compertum eſt, qvasdam poſt nuptias non convaluiſſe, ſed in pejorem ſtatum conjectas fuiſſe. Ideò diſtinctione opus eſt. Etenim ſi ex menſibus vel ſemine retentô Valetudo illa adverſa ortum habeat, tutiſſimum eſt, Virginem marito conjungere. Ita enim & Semen retentum evacuatur uterusqve expurgatur. Si verò in Viſcere aliqvô, præcipue Epate vel Liene, aut etiam totô Corpore vitioſa aliqva diſpoſitio adſit, illa Veneris uſu non tollitur, ſed potiùs augetur, & vitioſi humores in totô Corpore abundantes ad Uterum alliciuntur, atqve in eô obſtructiones excitant, &c. Secundum Joh. Helfr. Juncken, *Prax. medic. pag. m. 236.* Præſens remedium hic ſuppeditat Coitus validus, hoc mediante in ſangvine ſtagnantes ſeminalis liqvoris particulæ attrahuntur & evacuatis ſemel vaſis ſeminalibus aliæ admittuntur & reiterato coitu denuò extricantur, ſicqve color pallidus excutitur. Unde notamus, Virgines ex hac cauſa pallentes fieri poſtea mulieres pulcherrimas. Qvod vero non omnes coitus juvet in cauſa eſt malum inveteratum, in qvo humores circulantes admodum ſunt corrupti & viſcerum textura jam immutata, qvæ aliis remediis corrigenda erunt. Citò ergò affectus hujus alexipharmacon, mediante legitimô

con-

conjugio in auxilium deducatur. Item juxta Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. p. m. 364. seq.* notum est, Virgines Cachecticas, valetudinarias, suppressione Mensium & Chlorosi laborantes, qvæqve minus commodâ valetudine usæ erant, postqvam viris junctæ essent, meliùs habuisse, licet non statim conceperint; Si verò conceperint, magis sanas evasisse. Venere namqve Uterus & partes circa uterum incalescunt viæqve aperiuntur & laxantur. Et G. Wolffg. Wedelius, *Disp. de Vener. medic. & morbif. cap. 2. pag. 23.* non ultimum, qvibus Venus medetur, affectum esse Chlorosin seu Febrem & Icteritiam albam Virginum dictam, taliterqve affectas Venerem licitô modô initam optimè curare scribit. Excretô enim liqvore genitali suppressô & à spiritu genitali virili per venerem mulierum genitalibus novô qvasi fermentô inspiratô, denuò spirituascere & impetuosiùs fermentare incipit massa sangvinea & spiritus vegetiores ac majori vi elasticâ imprægnati omnes corporis partes de novô velut animant & colore vividô exornant. Hinc est, qvod aliqvando fœdæ prius virgines per conjugium elegantes & majori venustate affluentes fiant, exemplô Uxoris Aristonis apud Pausaniam, qvæ Spartanarum omnium Virginum turpissima, mulier verò pulchritudine omnium præstantissima & qvæ cum Helenâ certandum haberet, fuisse legitur. Et hôc sensu, qvod Venus pulchritudinem corpori conciliet, admitti potest. De Virginibus in Insulâ Formosa ita scribit Georgius Psalmanaazaar, Formosanus, in descriptione dictæ Insulæ, *Edition. Germanic. cap. 22. pag. m. 454. seq.* Die meisten Jungfern auff dieser Insel, wenn sie 18. oder 20. Jahr alt werden, bekommen eine gewisse Kranckheit, welche wir Chatarsko, oder die Bleichsucht, oder das weiße Jungfer-Fieber nennen. Sie machet dieselben melancholisch, und benimmt ihnen allen Appetit, ausgenommen zum Ehestande nicht; sie

ſie corrumpiret das Geblüte, und machet ſie gantz blaß. Dieſe Kranckheit iſt nur dem weiblichen Geſchlechte gemein, für welche kein beſſer Remedium, als der Eheſtand. *v. etiam Ephemerid Acad. N. C. Cent. VI. Obſerv. 88. p. 373.*

§. 60.

In Fluore albô. Fluor Mulierum albus nonnunqvam optimorum etiam in uſum vocatorum medicamentorum efficaciam eludit, nec domari ſe patitur rebelle hoc malum, niſi gratiſſimis Veneris amplexibus, juxta Joh. Bernh. Gladbach. *Prax. Medicin. pag. m.* 370. ubi modum ita explicat: Finge rem ita eſſe, mordicus tenendum erit, ſemen maſculinum fermenti vicem ſupplere, à qvô fermentum ovarii otioſum in actum deducitur & exaltatur; qvod in poſterum ſangvinis fermentationem imminutam iterum reſtituit. Præterea ſub congreſſu illô nervoſô ſuccus nervoſus rivulorum inſtar proruit in partes Veneri libatas, in qvibus humores corrigit, acidos temperat, viſcidos attenuat, imminutamqve eorum fermentationem bonis avibus reſtaurat, iterumqve inchoat. Secundum Theodor. Zwinger. *Theatr. Prax. med. pag. m.* 387. Venus in principio Curationis etiam freqventior permiſſa; ſed in ſubſeqventi Curatione eſt illicita; poſt qvemlibet Coitum tamen urinâ propriâ Uteri vagina mox eluatur, etiam per injectionem cum Siphone.

§. 61.

In Gonorrhœâ. In Gonorrhœâ ſeu involuntariâ Seminis excretione, item in Pollutione nocturnâ, à ſeminis potiùs copiâ, qvam Vaſorum debilitate ortâ, Coitus legitimus ſvadetur; nec minùs in ipsâ Gonorrhœâ virulentâ ſeu ipſiſſimâ Lue venereâ pro inſigni infectorum virorum curatione à nonnullis tanqvam inſigne remedium laudatur, ut coitus cum puellâ virgine celebretur.

In-

Inqvit enim Hercules de Saxonia: Hæc ſcio, plures ab antiqvâ Gonorrhœâ fuiſſe liberatos, qvi cum uxore virgine rem habuerunt, ſed tunc mulier inficitur. Id verò, juxta Wedelium, *l. a. p. 19.* non tam ſelecto virginitatis ſtatui adſcribendum, (nam qvæ in hunc cenſum laudantur, ferè ſuperſtitionem & fabulas ſapiunt,) qvàm ipſi Veneri. Genuina potiùs ratio curationis eſt, qvòd congreſſu mediante fiat materiæ purulentæ eductio, & ulceratarum veſicularum ſic liberatio, unde faciliùs abſtergi & curari Ulcus poteſt: Curam Gonorrhœæ ex ſeminis ſuperfluitate ſeqventem commendat Thomas Campanella, *Medicinal. Lib. 6. cap. 20. Artic. 4. pag. m. 521.* Cum inqviens, Seminis copia, coarctata peccat, eò qvòd alienam acqvirit temperiem, non ab re procurare ejus primò effluxum per Coitum cum calidâ nigrâ muliere: qvæ tamen, ne & ipſa lædatur, ſtatim ſemen egerat, uterumqve intus vinô lavet, &c. Attamen tam in Gonorrhœâ malignâ, qvàm ipsâ Lue venereâ talis cura per coitum cum pura Virgine potius ob metuendum contagium interdicenda erit. Huc pertinet horrenda ſummeqve execranda puellæ qvinqvennis violatio, qvæ in Haſſia inferiori Nemeſin experta eſt. Fuit enim, qvi ab aliis perſvaſus, ſe luem veneream per conſvetudinem carnalem in Virginem illibatam transplantando curari poſſe, puellam vix qvintum ætatis annum habentem comprimendo non tantùm miſerrimè laceravit, ſed ex contagio Venereo perfudit ita, ut utrobiqve vix ſollicitâ Chirurgi opera curari potuerit. vid. Mich. Bernhard. Valentin., *Novell. medic. Introduct. pag. m. 8. ſeq.*

In Lue venerea.

§. 62.

Intumnerat ex familiari cum amatâ muliere, citra tamen Concubitum, converſatione, Nobili viro dexter Teſticulus ita, ut præ dolore ferè incedere neqviret. Huic ſvaſerat Me-

In Teſticuli tumore.

dicus, ut, cùm aliunde uxorem domi haberet, coëat, ſed citra magnam commotionem, ut ſemen ſub Converſatione illâ in majore copiâ in teſticulô aggregatum excerneretur. Et convaluit citra aliud remedium. vid. Marc. Gerbez. *Chronol. med. pract. An. I. §. 96. p. 83.*

§. 63.

In Odontalgiâ. Odontalgiam pertinacem Venere edomitam obſervavit Johannes Ægidius Euth, & qvidem Annô 1697. in Legatô qvodam, cui poſt varia à variis Medicis incaſſum contra dentium dolorem adhibita Medicamina dictus Euth conſilium ſubminiſtravit, videlicet moderatum cum Conjuge lectiſſimâ Veneris exercitium, â qvò, ob aliqvot Menſium iter, caſtè & pudicè abſtinuerat. Subridiculè inter alia Medico reſpondit Dominus Legatus: Domine Doctor, vale, absqve morâ executurus ſum. Tertiô die ille reverſus hunc in Cubiculô ſuô ab omni Dentium dolore liberatum offendit. v. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 76. p. 146. ſeq.* Item, Vir qvidam Nobilis primis adoleſcentiæ annis tam vehementer Dentium doloribus torqvebatur, ut tot ferè remedia in uſum duceret, qvibus recenſendis vix plures paginæ ſufficerent, at omnia omninò fruſtra; licet etiam interdum qvædam levamen qvoddam afferrent, ſemper tamen brevi poſt dolores cum fœnore qvaſi redibant, donec tandem Conjugiô initô Venere licitâ pluries uteretur; hinc enim dentium dolores ceſſabant, &c. v. Vit. Riedlin. *Linear. medic. An. 1699. Febr. Obſ. 14. p. m. 152. ſeq. 154. ſeq.*

§. 64.

In Scorbuto. Scorbutum Veneris exercitiô curari â Danis fide dignis ſe accepiſſe refert Henricus Petræus, *Naſolog. Harmon. Tom. II. Diſſert. 38. §. 21. p. m. 288.* ubi addit: ob id rideri juvenes

hôc

hôc vitiô laborantes, qvod non idoneum sibi remedium qværant.

§. 65.

Non frigidis modò & à Serô ortis, sed calidis qvoqve morbis, febribus nimirum tùm continuis, tùm intermittentibus, imò ipsissimæ Pesti, tum præservando, tum curando Venerem opitulari posse, affirmat modumqve operationis ita explicat G. W. Wedelius, *loc. cit. pag. 20. seq.* Nimirum, cùm semen constet Seri nutritii flore & spiritibus animalibus copiosè per nervos testibus advectis, horum verò materiam constituant particulæ salino-Sulphureæ volatiles sangvinis, facile videre est, qvòd absumptô majori qvantitate & in Veneris usu excretô Semine, Spiritûs etiam animales & per conseqvens particulæ salino-Sulphureæ volatiles. Massæ sangvineæ, ebullitionis aliàs præternaturalis febrium autores, imminuantur. Qvid? qvòd in ipsa κλιτοπάλη Spiritûs animales acervatim partibus genitalibus accurrant & substantiatenus absumantur. Cessante itaqve causâ, cessat effectus. Hinc & perspicuè palam & positum in aprico est, qvòd juvenes imprimis & extra coniugium viventes febribus corripiantur continuis, abundantibus nimirum illô ætatis tempore & in ἀκμῇ qvasi constitutis dictis particulis, qvas, cùm ad generationem non impendant, in sangvine congregari, spiritus in motus inordinatos & sangvinem ad fermentationem peregrinam disponere nullum est dubium. Qvod confirmant etiam exempla; siqvidem qvartanâ trium Mensium spatiô laborârat Juvenis viginti septem annorum; Huic, post pulveris Chinæ Chinæ & aliorum remediorum pariter ac Amuletorum frustraneum usum, Studiosus qvidam Venerem, tanqvam optimum remedium svadet. Juvenis qvartanarius, ut remedium probet, meretricem invenit, cum eâ rem habet, nec ampliùs qvartanâ afficitur, referente

in febribus.

Josephô Lanzonô, *M. N.C. Dec. II. An.* 10. *Obs. 128. pag.* 221. Et Puella Nobilis pluribus mensibus qvartanâ detenta ab eô vespere, qvô cum neo-sponsô suô concubuerat, nunqvam amplius dicta febre fuit tentata, teste Marcô Gerbeziô, *M. N. C. Dec. III. An. 1. Observ.* 137. *p.* 230. In Hollandia tempore Pestis Anno 1636. ancilla Batava peste laborans, tribusqve in locis corporis carbunculos habens, cum Juvene amasiô, in hortô, qvò delata fuerat, singulis noctibus concubuit, & illæsô sponsô convaluit, juxta Vincent. Fabric. Poëmation de Peste Venere curatâ. v. *M. N.C. Dec. I. Ann.* 2. *Obs.* 188. *pag.* 286. An verò in ejusmodi Casu Coitus ad valetudinem sit svadendus, dubitandum, cum morbi maligni, pestilentes, & venenati Contagionis culpa non careant.

§. 66.

in Epilepsia. Epilepsiam ex retentis Mensibus Venere sanatam observavit Alhardus Hermannus Cummius, in fœminâ qvadam, qvæ cùm Virgo ex Mensium retentione epileptica fieret, à Medico persvasa, ut se viro substerneret. Inde gravida feliciter peperit puellam, à puerperio autem optime purgata prorsus ab Epilepsia libera evasit. *v. M. N. C. An. 1. Observ. 86. p.* 204. Epilepsiæ diuturnæ in Virgine post Congressum cum Virô sublatæ exemplum observavit Ambrosius Stegmannus, *M. N. C. Dec. III. An. 1. Observ. 12. p.* 29. Virgini scilicet per decem annos præter propter epilepticæ, in cœteris autem optimè sanæ & mentis suæ compoti ab Empiricô qvôdam svadetur, ut Veneris exercitiô, tanqvam certissimô Epilepsiæ remediô, uteretur; qvod etiam dictô citiùs cum milite qvodam intendit. Revocatô autem milite ad castra, Melancholiæ totam se dedit & diversis vicibus ratione omni destituta nuda qvæsivit suum amasium in hospitio, usqve dum delira periret. Secundum meam Experientiam â tenerrimâ ætate dirâ & mirâ

Epi-

lepsiâ sæpissimè laborabat Virgo qvædam viginti circiter annorum; & licet qvandoqve post Herculea medicamenta hoc malum per tempus intermitteret, semper tamen majori cum impetu redibat. Tandem pistor qvidam egenus, hujus Virginis amore vel potiùs nummis captus, eandem in Uxorem ducebat, ex qvô paulô post gravida facta legitimô tempore fœtum enixa per totum matrimonii tempus à malô ipsi anteà adeò consveto, immunis permaneret. Vidua qvædam annorum 31. temperie calidâ & siccâ donata, vitæ sedentariæ dedita, rarum fluxum mensium experta vinumqve in qvantitate potans ex improvisô in terram cecidit, spumâ ex ore prodeunte totum corpus violenter concussum, & membra retracta fuerunt. In se reversa horum non recordatur & bis saltem in Mense hoc affectu corripitur. Omnia medicamina frustra exhibentur. Unde Medicus, Josephus Lanzonus, consulit, ut secundas accedat ad nuptias. Qvô consiliô usa, seqventi mense secundum amplectitur maritum annorum 28. optimâ temperie præditum; primô statim mense impraegnatur & nullus amplius patitur epilepticos insultûs, &c. *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. Obs. 127. p. 220.* Similem Epilepsiam hystericam in Virgine nobili Parthenopoli observavit Caspar Theophilus Bierlingius. Hæc finito paroxysmô aliqvoties de die redeunte semper clamabat, ridebat, cantabat, variaqve gesticulabatur. Tandem illicitis amoribus sese delectans ab Epilepsia liberabatur qvidem, sed fructum inde vivum auferebat. v. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Observat. 35. Sch. §. 3. p. m. 469.* Miræ Epilepsiæ, dæmoniacæ dictæ, matrimoniô seu coitu curatæ exemplum recenset Gottlob Schoberus, *Ephemerid. Acad. Natur. Curios. Cent. 1. Observ. 23. pag. m. 80.* Beati scilicet Himpselii, Physici Revaliensis, filia unica, virgo aliàs pia & pudica, octodecim præter propter annorum Paroxysmo non infreqventer

affligebatur epilepticô. Symptomata interdum erant atrocia satis, qvæ inter totum corpus sæpius in arcum qvasi concavum contorqvebatur, insigni cum clamore, ita, ut adstantes sæpius de vitâ desperarent. Declinante Paroxysmô mens qvidem redibat, ægrota tamen leviter adhuc delirans, chartam unâ cum atramentô atqve Calamô scriptoriô poscens, hymnos aliaqve carmina sacra non inconcinna, qvæ tamen extra Paroxysmum nullô modô componere potuit, annotabat; interdum etiam magnâ cum facundiâ & adstantium jucunditate sermones faciebat; & qvidem lingvâ tum vernaculâ, tum peregrinis sibi anteà incognitis, Hebraicâ nimirum, Græcâ, Latinâ & Gallicâ interdum, de qvibus tamen, remittente Paroxysmo, altum erat silentium. Inter alia præ cœteris admiratione dignum est, qvòd aliqvando Helluoni cuidam mortem subitaneam prædixerit, animæqve hujus æternam damnationem multis profusis lacrymis maximè doluerit, qvod etiam evenit: Helluo enim inseqvente nocte maximè ebrius scalas descendere impotens, improvisô atqve impetuosô lapsu ab altô vertebras colli dislocabat, eodemqve momentô animam exspirabat. Paucô posthac temporis spatiô Civi Revaliensi pio ac probo beatam analysin præsagiebat, qvæ etiam statutô die evenit. Multa qvidem contra hunc morbum adhibebantur remedia omnia tamen sine ullo effectu. Interea Sacerdos qvidam paganus, sive commiserationis ergò, de morbi causâ, matrimoniô nempe denegatô, certior factus, sive optimâ hujus Virginis formâ devinctus, erga eam in amorem rapiebatur, inde celebratis utriusqve cum gaudiô nuptiis, factâqve conceptione ab hoc malô immunis planè postea vixit, debitoqve tempore Embryonem felici partu enixa est. Vir qvidam in epilepticô Paroxysmô videbatur ita se gerere, qvasi mulier illum ad Coitum reqvireret, & festivè furebat ad eam, conabaturqve, ac si rem age-

ageret, nec antea cessabat Paroxysmus, qvàm emisso Semine, qvô expulsô statim surgebat, uti ex Allaravio refert Caspar à Reies, *Camp. Elys. Qvæst. 46. §. 18. p.m.* 570. Utrum verò Epilepticis Veneris usus indifferenter conveniat vel matrimonium svadendum sit, vid. Hieron. Mercurial. *Medicin. Pract. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 118.* Caspar. Theoph. Bierling. *Thesaur. theoret. pract. Obs. 73. Schol. §. 4. pag. m. 942. seqq.* Paul. Ammann. *Medicin. Critic. Cas. 82. p. m. 539. seqq.* & ex hoc Christoph. Hellwigs *Cas. & Observ. Part. 2. p. m. 72. it. pag. 88.* Christ. Franc. Paullin. *de Theriac. cælest. pag. m. 114.*

§. 67.

Deniqve in Gutta rosacea Venereum exercitium à Francisco Joele laudatur, cum post usum Veneris cesset atqve rarissimè post concubitum erumpat, uti Christianus Warlizius *de Morb. biblic. cap. 12. pag. m. 166.* ex dicto Autore refert. Attamen Petrus Forestus *Observ. chirurg. Lib. 5. Obs. 7. fol. m. 150.* in hujus affectus curatione à Coitu, tanqvam à re admodum noxiâ, cavendum esse scribit, cùm ex Coitu immoderato humores exacuantur, & fiant tunc materiæ præparatæ ad generationem talis affectionis. Qvare Coitus in hoc passu sit satis moderatus. *In Gutta rosacea.*

§. 68.

Datur etiam adhuc Coitus, qvi, qvamvis moderatè satis exerceatur, semper tamen suspectus maximèqve vitandus est, nimirum Coitus contagiosus, seu qvi cum personis suspectô, contagiosô, malignô, pestilenti & venenatô morbô laborantibus committitur. Qvousqve enim per Coitum impurum Luis venereæ contagium serpserit, qvotidiana loqvitur experientia. Cumqve qvoad alios morbos malignos atqve conta- *Coitus contagiosus.*

ta-

tagiosos, cuilibet satis notum sit, cum ejusmodi ægrotantibus conversantes à simili contagio non semper esse immunes, qvid qvæso, à tali coitu, cum personis infectis, non erit expectandum? Et qvamvis paulò ante Ancillæ Batavæ, tribus in locis Peste seu Carbunculis affectæ singulisqve noctibus Juveni amatori seu sponso condormientis, nihilominus, illæso qvoqve sponso, convalescentis, meminerimus, de qva etiam Christianus Fridericus Garmannus *de Miracul. mortuor. Lib. 2. Tit. 2. §. 37. p. m. 363.* seqvens Casparis Barlæi, ut putat, Epigramma subjicit:

Incubuit tactam non una peste puellam,
Sponsus & ægrotâ virgine prurit amans.
Figit pallidulis rorantia basia labris,
Et mediâ partes morte precantis obit.
Non juveni fuit ancillæ facere illa molestum,
Nec fuit ancillæ res gravis illa pati.
Ite procul Medici. Non sunt medicamina Pesti,
Sanatur Sponso succuba Sponsa suo.

Aliud Poemation de raro hoc Casu scripsit etiam Vincentius Fabricius, qvod reperitur *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 188. p. m. 286. seqq.* Prostant nihilominus alia exempla in contrarium infelicissimi eventus; siqvidem Petrus Forestus, *Observ. medicin. Lib. 6. Obs. 20. fol. 179.* Vitrarii uxoris meminit, qvæ pestifero bubone sub alis infecta vix febricitabat, neqve decumbebat, nullisqve remediis utebatur, nec viro suo aut alteri morbum manifestabat, imò malum celabat; interea Peste correpta cum Viro nocte concubitum iniit. At Vir, hujus rei ignarus, ilico bubonem sub alis qvoqve sensit, & uxoris bubone jam delitescente, & illâ ipsâ sine remediis evadente, Vir spon-

spongiæ instar venenum ab uxore contraxerat, sicqve post aliqvot dies moriebatur. Simile exemplum annotavit Isbrandus de Dimerbroeck, *Tr. de Pest. Lib. 4. Hist. 7. fol. m. 192.* de Petro de Wildt, qvi uxorem suam Peste jam correptam & bubonem habentem in Ingvine (qvod tamen malum ipsa celabat,) inivit atqve ab ipsa statim Pestem contraxit; hoc tamen in casu utriqve conjuges, post acceptum à nasuto Chirurgo Vomitorium, supervenientibus crebris animi deliqviis, seqventi nocte extincti sunt. Ipse qvoqve ejusmodi exempli recordor: Anno scilicet 1680. Peste Haynæ grassante, Chirurgus qvidam pestilentialis, ad finem fere hujus mali sanus atqve incolumis munere suô functus, tandem ad Virginem non inelegantem, eodem morbo, in horto suburbii, decumbentem, accersitus ex pravâ nimisqve familiari cum ipsâ conversatione eodem contagio inficiebatur, paulòqve post amatæ obitum pariter vivere desinebat, sicqve ambo divinâ vindictâ morte pœnam luebant.

§. 69.

Imò nonnunqvam immani flagitiô atqve execrandô flammisqve expiandô scelere nonnulli diaboli incarnati Coitum cum defunctis non abhorrent, qvale exemplum de Vespillone, qvi Virginem noctu peste extinctam mane iniit, ex Th. Jordano refert Christianus Fridericus Garmannus, *de Miracul. Mort. Lib. 2. Tit. 2. §. 37. p. m. 363.* Talem coitum cum fœminâ, non qvidem Peste infecta, sed alio morbô non malignô defuncta, de duobus nebulonibus recenset Franciscus Mercurius Helmont, *Alphabet. Natur. Colloqv. 5. pag. m. 44.* nimirum cùm Sveci in Bavaria essent, duo qvidam eqvites ex turma Magistri Eqvitum notissimi, forte fortuna domum aliqvam ingressi, cum inventa in stramine suo fœminâ mortuâ concumbere, *Coitus cum mortuis.*

 non

non fuerunt veriti, e qvibus alter qvidem non iterum comparuit, alter vero per mensem & qvod excedit, carro vectus turmam secutus est, ob fœdissimum nempe ex facto illo contractum morbum, qvi eum qvoqve è vivis sustulit. Totum autem corpus ejus undiqvaqve magnis scatebat tuberibus, ex qvibus apertis vivi prorepebant vermes ejusdem speciei cum illis, qvi è putrescentibus demortuis prorepere solent.

§. 70.

Diæta in Venere.

Cum autem secundum superiùs dicta nimium Veneris exercitium sanitati maximè noceat, moderatum verò conducat, hinc nonnulli Medici, ne Natura ab ejusmodi excessu debilitetur, circa venereorum usum coitusqve tempus solliciti certas regulas diæteticas præscripserunt. Nam secundum M. Ant. Ulm. *Physiolog. Barb. Sect. 1. fol. m. 64.* Tempus ad utendum Venere opportunum est, cùm in excessuum omnium mediocritate Corpus fuerit constitutum: cùm scilicet neqve supra modum plenum, neqve vacuum extiterit, aut in Calore, aut frigore; aut siccitate, aut humiditate excesserit corpus. Qvodsi aberrare contigerit, parvus fit error. Meliùs autem illi calefactô magis, qvàm infrigidatô, & plenô, qvam vacuô & humidô potiùs corpore, qvàm exsiccatô, uti venereis. Et Caspar. Bartholdus Behreus, *Select. Diætet. Sect. 8. cap. 2. p. m. 456.* de hac materiâ ita scribit: Immaturus fœminarum complexus vitam fragilem ac breviorem reddit, qvod per Seminis ejaculationem spiritus animales fibris subtrahantur, qvibus tamen adolescere debitumqve robur acqvirere debent. Qvod ipsum evidenti priscorum Majorum nostrorum exemplô confirmatur, apud qvos tarda Venus ac pares validiqve miscebantur, unde & Parentum robora liberi referebant. Prudens proin ac vere πολιτικὸν Lacedæmonio-

niorum ac Ægyptiorum institutum erat, illis vigesimum qvintum, his verò trigesimum qvintum ætatis annum matrimonio ineundo destinantibus. Deinde tempus ipsum congrediendi uti natura seminis multitudine incitata facilè suppeditat, ita commodissimum esse, postqvam Cibus concoctus, nec tamen fames adest, corpusqve non ampliùs repletum, nec tamen inanitum est. Proderit qvoqve, ut somnus aut qvies iterum seqvantur, si forte lassitudo qvæpiam ex congressu contracta fuit. Item *Sect. 3. cap. 1. §. 7. pag. m. 307.* de Ebrietate ita scribit: Mulieres ebriosæ utplurimum ante tempus pariunt, vel fœtus edunt imbecilles, qvi vix supervivunt. In ipsâ verò ebrietate generati filii freqventissimè hanc patrum culpam produnt, ut vel inepti prorsus ad discendas artes & opificia existant, aut melancholici evadant. Unde scitè Diogenes Juvenem qvendam stupidum ac dementem videns, eundem Patre ebriô seminatum arguit. Et Johannes de Beverwyck, *Thesaur. Sanitat. Part. 2. cap. 2. fol. m. 184.* scribit, se novisse virum, qvi cum Uxore suâ non nisi ebrius congrediebatur, multosqve procreabat liberos; qvi tamen omnes Epilepsiâ laborantes moriebantur. Admonet etiam Andreas Rüdigerus, *Physic. divin. Lib. 1. cap. 4. Sect. 7. p. m. 192. seq.* in conjugio non facilè eô tempore, qvo corpus cibo potuqve nimis est refertum, cum uxore nondum gravida, rem esse habendam, ideò, qvia sic ex turgida sangvinis massa ad vasa seminalia præcipitantur particulæ seminales, nondum rectè ideis formatricibus signatæ: unde fit, ut hinc sæpe nascantur, sæpe valetudinarii. Secundum Chr. Warliz. *l. a. p. 363.* conceditur Venus moderata peractâ Ciborum concoctione, neutiqvam verò statim post cibum; Ventriculô adhuc cibô copiosiore repletô vel nimium exinanitô. Et *pag. 376.* Veneris œstrum & effrenis coëundi appetentia detrimentum in-

insigne parit Juvenibus, qvi nimis citò ad Veneris sacra properant, in ejus castris militantes, & in teneriori ætate lasciviunt, qvorum corpus statim in libidinem despumat. Hi enim robur ætatis frangunt ac effœtum corpus tradunt senectuti, &c. Ad fœcunditatem secundum Joh. Lang. *Lib. 2. Epist. 9. pag. m. 537.* præter cœtera, reqviritur sobria victus ratio. Nihil enim sanè genitale semen adeò, ut crapula & ebrietas, infrigidant; qvibus se mares plus, qvàm fœminæ, onerant. Temulentia qvidem mariti non modò semen infœcundum efficit, sed liberos qvoqve malè morigeros parturit, &c. ubi plura. Juxta J. Schreyeri, *Scrutin. Med. curios. de Natur. Aqv. Vin. & Cervis. cap. 2. Membr. 7. §. 13. p. m. 123.* Vinum sterilitatem causatur, qvando ad ebrietatem usqve & sæpe assumitur, turbat enim Ventriculi coctionem, ideoqve indigesta moles exturbatur in seminis stomachum, ubi ex crudâ materiâ excoqvi non potest fœcundum sperma. Vel à vini copiosô sulphure fit calidius semen, coqviturqve in Empyrevma & amaritiem sterilem, qvæ in Mari mortuo observatur; vel frigidius fit à pituitâ viro calore resolutâ & ad testes demandatâ. Proinde Amurathes IV. Turcarum Imperator, Vini usum & ebrietatem lege prohibuit, qvando prolis multiplicationem impedire senserat. Verùm hac lege nostros Germanos vivere exemptos, idem Autor ibidem addit. Exemplum Melancholici â Matre eô tempore, qvo Pater exstitit ebrius, concepti observavit Vitus Riedlinus, *Linear. medic. An. 1698 Mens. August. Observ. 26. p. m. 701. seq.* Item Sterilitatis, mulierum ebrietati deditarum exemplum refert idem, *L. all. Mens. Jul. Obs. 23. pag. m. 60. seq.* Porrò sanxit etiam Solon in suis legibus, tradente Plutarchô, ut ter singulis qvibusqve mensibus vir uxori congrederetur; Et Celsus, *de Medicin. Lib. 1. cap. 1. pag. m. 22.* ita de Concubitu scribit: Concubitus

tus neqve nimis concupiſcendus, neqve nimis pertimeſcendus eſt. Rarus corpus excitat; freqvens ſolvit: Cùm autem freqvens non numerô fit, ſed naturâ, ratione ætatis & corporis, ſcire licet, eum non inutilem eſſe, qvem Corporis neqve langvor neqve dolor ſeqvitur. Item Duncanus Liddelius, *Art. Medic. Lib. 5. cap. 24. pag. m. 823.* Ætas, inqvit, Veneri aptiſſima eſt juvenilis & virilis, reliqvis nocet, potiſſimùm ſenibus & naturis ſiccis & debilibus. Ad tempus qvod attinet, Vere Venus tutiſſima, deinde Hyeme, minus Autumnô, omnium minimè Æſtate, qvô tempore, ſi fieri poteſt, abſtinendum. Oportunè Venus inſtituitur manè, aut poſt primum ſomnum, peractâ Concoctione Ciborum in Ventriculô, non ſtatim poſt Cibum, crapulam, exercitia valida; nec tempore inediæ aut poſt immodicas evacuationes, nec temporibus nimis calidis & frigidis. Plura de hac materiâ, an nimirum Coitus ante vel poſt ſomnum exercendus ſit, vid. G. W. Wedel. *Diſput. de Vener. med & morbif. cap. 2. pag. m. 15. ſeq.* ubi deniqve dicit, præſtare, dum Phœbus albicaſſet & recentetur, Veneri officium facere, coctione noctu ritè peractâ, ſpiritibus ſomnô ac qviete refectis viribusqve redintegratis. Enim verò, ut homo aliis animalibus omnibus contra omni tempore Venerilitare aptus eſt; ita parum in hoc diſcriminis fuerit, modò caveat, ne exſolvatur nimis calente Syriô, vel frigore urente non minùs ac alio qvovis tempore. Ipſa verò natura ſubinnuere videtur tempus ineuntis ſomni commodiſſimum eſſe. Sic, juxta Fr. Sylv. *Prax. Lib. 3. cap. 5. A. 64. fol. m. 397.* laudant Medici congreſſum maris & fœminæ paulò poſt fluxum menſtruum, non item ipsô inſtante, dummodò ille Generationis ergò inſtituatur. Deniqve ſecundum Valent. Henr. Vogler. *Diætet. Comment. in Duncani Liddelii locum allegatum. cap. 37. pag. m. 262. ſeq.* in univerſum conſtat, præcoci & immo-

dicâ Venere corpus valde debilitari & robur ante diem ci subtrahi; contrà aliter illâ institutâ vires integras conservari. Id, qvod vel Majorum nostrorum maximè laudabili exemplô luculentissimè comprobatur. Illis enim cùm sera venus usurparetur omnisqve præterea lascivia & libido severè apud eos puniretur, hinc etiam factum est, ut juventus illorum esset inexhausta, ceu disertè de iis testatur Tacitus. Id suô exemplô probavit Nicolaus Leonicerus, qvi cùm usus esset valetudine vehementer afflictâ circaqve finem adolescentiæ, gravi resolutione laboravisset, accuratâ tamen victûs ratione & omni Veneris abstinentiâ ad nonagesimum sextum, imò, ceu qvidam notant, ultra centum annos vitam suam vegetus & incolumis prorogavit. Grandævus qvidam Civis inter Venetos qvæsitus, qvomodo ad tantam vitæ pervenisset longævitatem, hoc responsi dedit: freqvens movebar, rarò angebar, vix helluabar, parum rixabar, non libidinabar. v. Christ. Warliz. *de Morb. biblic. pag. m. 9.* ubi etiam ex Tacito causam longævitatis Patriarcharum hanc reddit, qvod serâ usi fuerint venere, & annô demum septuagesimô, octagesimô, nonagesimô conjugium intraverint liberosqve generaverint. Sic Reverendus Dominus Antonius Hosechius, qvi primus Parochus Gulensis in Diœcesi Leodicensi fuit, & in eâdem Parochiâ annos centum vixit, atqve ætatis annô 125. Anno Christi 1586. obiit, interrogatus ab Episcopô Leodicensi, qvô vitæ regimine vitam adeò longævam produxisset? respondit: se trium abstemium semper extitisse, videlicet mulierum, ebrietatis & iracundiæ. vid. Johann. Bapt. Verlosching. *de Curat. verno-autumnal. cap.* 12. *pag. m.* 381. 383. ubi docet, qvomodo vita nostra sana conservari ac ad centum annos produci possit.

§. 71.

§. 71.

His longævitatis exemplis alia adhuc annectere liceat, qvamvis, an omnes hi longævi ab Veneris abstinentiam hunc ætatis gradum attigerint, non defendam; siqvidem nonnullorum in Senio Uxores ducentium liberosqve generantium, jam supra Capite qvartô mentionem fecimus. Ludovicus Cornarus, Patricius Venetus, à juventute ad virilem ætatem usqve erat Valetudinarius, complurium Medicorum consiliis & Medicamentis incassum adhibitis, ut exigua spes diuturnioris vitæ residua, qvin ad Majores demigrandum, tandem, re desperatâ, cum nullis pharmacis cujusdam svadelâ observare cœpisset: strictam diætam, in qvantô & qvali modum haud excedentem, præter omnem Medicorum opinionem, ævum ad annum nonagesimum qvintum protraxit, uti ex Leonhardô Lessio recenset Augustinus Thanerus, *Observ. med. Lib. 6. Ep. 4. pag. m. 284.* Imò ipse Thanerus hæc scribens jamjam annum octogesimum secundum excesserat. Cum ex Johanne Dransfeldio, Pro-Rectore & Pædagogiarcha in Gymnasio Juliano, qvi Anno Christi 1716. ætatis verò octogesimo qvarto obiit, paulò ante mortem, Dux qvidam belli sciscitaretur, causam, & qvibus subsidiis ad tantam perveneric senectutem, ipse respondit: Se addidicisse posse ferre stultos. vid. *Act. Erudit. Lips. An. 1717. Septemb. pag.* 416. Casparus Scioppius, qvi libros scribere valde juvenis adhuc incepit, atqve ad senectutem usqve decrepitam continuavit, supra octoginta annos vixit. vid. Frider. Nitzsch. *Ephemerid. Erudit.* 1665. *p. m.* 105. Pythagoras Aceti scillitici usu ad centesimum & decimum septimum annum est productus, referente Juliô Cæsare Baricellô, *Hortul. genial. pag. m.* 831. *seq.* vid. etiam Joh. Tackii *Phas. Sophic. 3. p. m. 56.* Johannes Güntherius, Andernacius, Vesalii Præceptor Argentorati 1574. æta-

Longævitatis exempla.

ætatis ſuæ anno octogeſimo ſeptimo obiit. vid. And. Ottom. Gœlick. *Hiſtor. Anat.* §. *78. p. m. 58.* Felix Platerus, Medicus Baſileenſis, Anno 1618. obiit, poſtqvam ſenium ſeptuaginta annorum attigerat. vid. *idem ibid.* §. *107. pag. m. 75.* Penatus naturæ ſatisfecit, cum annum nonageſimum octavum ingreſſus eſſet. vid. Gvil. Fabric. *Epiſtol. Cent. Epiſt. 44. Oper. fol. m.* 691. Integrum longævorum Medicorum Catalogum reperimus in Johannis Jacobi Bajeri *Diſſertat. Epiſtol. ad Jac. Pancrat. Brunonem de Longævitate Medicor. p. m. 9. ſeq.* Ob eruditiſſimas Epiſtolas ſatis celebris Medicus, Johannes Langius, anno ætatis octogeſimô mortuus eſt. vid. Georg. Abrah. Mercklin. *Linden. renovat. p. m. 625.* Balthaſar Brunerus, Medicus Hallenſis, annum ſeptuageſimum primum complevit. vid. Joh. Neandr. *Medicin. Natalit. p. m. 246. ſq.* Hippocrates noſter qvintum ſupra centeſunum attigit annum; & Galenus centeſimum vigeſimum. vid. Joh. Ægid. Euth. *de Umbilic. pag. m. 7.* Gvilielmum Arragoſium Tholoſatem, Imperatorum & Regum Archiatrum celeberrimum, Baſileæ in pace & tranqvillitate vitæ ſuæ terminum, Anno 1610. ætatis nonageſimo ſeptimo attigiſſe, refert Theodorus Zwingerus, *Faſcicul. Diſſert. medic. Select. Diſſ. 6. p. m. 287.* Ambroſius Jonas, Natione Bohemus, Anno ætatis nonageſimô cum tertiâ uxore filiam generavit, poſteaqve demum adimpletô centeſimo qvarto anno Vratislaviæ die decimo tertio Septembris A. 1715. mortuus eſt, ut Relationes Berolinenſes de die 24. Septembris teſtantur. Gvilelmus Poſtellus, natione Gallus, conſtanti ſanitate annum ferè centeſimum ætatis attigit, qvod ipſe abſtinentiæ ab omni carnali voluptate adſcripſit. vid. Gottfr. Arnold. Kirchen- und Ketzer-Hiſtor. *Tom. 2. Lib. 16. cap. 22. fol. m. 316.* Theophraſtus Ereſius centum & ſeptem annos vixit vid. Leonard. Cozzand. *de Magiſter. antiqv. Philoſoph. Lib. 2. cap. 1.*

cap. 1. p. m. 139. Democritus ætatis anno centesimô & nonô vitam deposuit. vid. Joh. Beverowic. *Encom. Medicin. p. m. 56.* Helveti cujusdam nonagenariô jam majoris viribus tamen sat integris gaudentis, meminit Vitus Riedlinus *Lin. med. An. 1699. Mens. Jul. Obs. 19. pag. m. 734.* Xenophilus Musicus centum & qvinqve annos sine ullô corporis incommodô vixit. vid. Brun. Seidel. *de Morb. incurabil. p. m. 42.* Brasilianos post centesimum ætatis annum viridi & longævâ senectute potiri annotavit Gvilelmus Piso *de Medicin. Brasiliens. Lib. 1. fol. m. 6.* De Nautâ & Mercatore, Cive Rostochiensi, qvi centum & sexaginta duorum fuit annorum, vid. Joh. Lud. Hannemann. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 159. p. 352.* qvi *pag. seq. Schol.* ex Pufendorffio commemoratu dignam de Hacqvinô, Rege Svediæ, historiam adducit. Dictus nimirum Hacqvinus in somniô admonitus, Idolo Othen qvendam ex filiis suis immolaret, tunc sexaginta annos victurum. Hoc factó & eô tempore elapsó solenne Sacrificium suo Idolo Othen instituit, ibiqve ipsi hæc in somnio promissio facta est, se tamdiu vita fruiturum, qvamdiu qvolibet decennio filium aliqvem ex suis offerret Idolo. Hac promissione fretus ac desideriô longæ vitæ motus, septem successivè Idolo filios dedicavit; itaqve seniô gravatus scipioni innitens, octavum qvoqve Idolo dedit filium; præ senectutis ergò onere integrum Decennium lecto incubuit, hocqve etiam Decenniô finito, nec nono pepercit, qvin & eum lubens pro vitæ suæ prolongatione mactandum curavit; hoc ergò Decennio infantis suctoriô cornu alebatur. Cùm & ista annorum Decuria esset finita, nulla viventi satietas, qvam miserrimè etiam viveret, ipsum cepit, sed decimum ac ultimum, suæ vitæ adhuc decem anni ut adderentur, Idolo sacrificare constituit, & procul dubiô factum fuisset, nisi hunc, tanqvam unicum Regni hæredem, Svedi Pa- *Hacqvinus.*

tris manibus eripuissent; hôcqve ergò sacrificiô omissô Hacqvinus abiit & sepultus est in qvodam magnô colle Upsaliæ proximô. Hic Hacqvinus procul omni dubiô CLXX. annorum ætatem attigit; pono enim, ipsum, cùm in somnô admoneretur, fuisse XX. annorum, ei propter immolatum filium primum adjecti sunt LX. anni, & hi faciunt LXXX. cui numero si addamus XC. annos, exinde resultabunt anni CLXX. De dictô Rege seqventia recenset Johannes Schefferus, *Memorabil. Svetic. Gent. cap.* 36. *p. m.* 224. *seq.* Hacqvinum Regem, cognomentô Ring, ferunt eousqve annorum ætatisqve pervenisse, ut consumptis omnibus Corporis viribus, ad instar infantis recens editi, agitatis commotisqve Cunis debuerit deliniri, somnum qvietemve difficulter aliàs reperiens, neqve cibum nisi more puerorum ori per siphonem inditum immissumve capere voluerit. Ibidem etiam dictus Autor alia bina longævorum Sveciæ Regum exempla refert, alterum de Starkottero, qvi singulari gratiâ deorum, Odini præcipuè, secundum priscas fabulas, dicitur obtinuisse, ut trium hominum ætatem æqvaret, postremò tamen ipse sibi, qvæsitô percussore, finem vivendi fecit. Alterum exemplum agit de diuturnâ Anni Regis vitâ, qvippe qvi vivendo annum ducentesimum & decimum superavit, regnoqve annos centum nonaginta præfuit & ampliùs, si, qvibus exul fuit, his annumeres. Ferunt, post ætatis annum centesimum atqve nonagesimum non potuisse porrò pedibus insistere vel gressûs moderari suos, verùm sellâ circumlatum esse vel decubuisse lecto. Decennio post infantum ritu, præbito per vasculum corneum, mammæ specie lacte nutritum esse. Postremò nullâ valetudine adversâ verum ipsô seniô consumptis viribus diem ultimum claussisse. Unde factum, ut deinde, si qvis nullô morbô sed ætatis senis vitiô ac imbecillitate excessisset è vivis, Proverbiô quo-

quodam Anni sive Annæ morbô decessisse diceretur. Porrò Georgius Segerus aliquot longævitatis exempla annotavit; Anno scilicet 1657. Luneburgi Variolæ Vetulam, annum ætatis centesimum qvartum agentem sustulerunt. Anno 1659. in Helvetia senem adhuc dum cælibem, centum & decem annos natum offendit. Anno 1670. Thorunii mortuus est Martinus Mückenschmalz, Faber ærarius, ætatis annum decimum supra centesimum numerans, & viginti sex liberorum è duabus uxoribus genitor. His addit Johannem Ottele, Brabandum, Anno 1542. die 7. Sept. natum, senem vegetum adhuc, eloquentem ac diversarum linguarum peritissimum, qui annum ætatis centesimum decimum agens, Anno Christi 1657. Noribergæ cum barbâ prolixissimâ pro certo pretio videndum se exhibuit. *v. M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Observat.* 163. *p. 294. seq.* item Theoph. Bonet. *Medicin. septentr. Part. 2. Lib. 8. fol. 645.* De Rustico centum & viginti annos nato atque manuum propriarum labore, terram fodiendo, victum sibi comparante; Item de fœminâ centesimum & quinquagesimum annum agente & de rebus antiqvis optimè loqvente; Porrò de aliò Sene centum superante annos, qvi solô pane & vinô semelqve in die usus fuerat, vid. Petr. Borell. *Obs. med. Cent. 2. Observ. 39. p. m. 142. seq.* & *Cent. 3. Obs. 10. p. m. 204.* Mulieris cujusdam meminit, qvæ septies variolas passa est & annô centesimo & decimo octavo tandem eô morbô periit. Avenzoarem centum & qvinqvaginta annos vixisse, ex Averhoe refert Johannes Talentonius, *Thesaur. recondit. rerum Lib. 1. cap. 17. p. m. 174.* Laurentius Hethlandus post centesimum annum ætatis suæ uxorem duxit & natus centum qvadraginta sævissimo mari in sua navicula piscatum prodibat, tandem nulla vi gravioris morbi labefactatum, sed seniô solutus decessit, uti ex Buchanani Rebus Scoticis refert Philippus Camerarius,

Horar. Subcisiv. Cent. II. cap. 67. p. m. 277. seq. Marcus Gallius, Caroli V. Medicus, Vino qvodam sublimato vixit annos centum & viginti novem. vid. Georg. Horn. *Histor. natural. Lib. 3. cap. 7. p. m.* 173. Anno Christianæ Salutis 1137. qvô Ludovicus Grossus, Gallorum Rex, extinctus fuit, Johannes qvoqve de Temporibus, Gallus, morte absumptus est, qvem pertinaci consensu Franci & Germani Scriptores à Caroli Magni Imperio ad Ludovicum Juniorem Gallorum Regem vixisse tradunt: qvodsi à fide non abhorret, 361. annos superstitem in terris fuisse, refert Marcellus Donatus, *de Medic. Hist. mirab. Lib. 4. cap.* 14. *p. m. 385.* De Italo centum & qvinqvaginta annorum, vid. Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *p. m.* 356. *seq.* De Hortulano, Camillo Bassanô, centum & decem annorum, vegetæ & viridis senectæ, adeò, ut in hortô qvotidie terram ligone fatigaverit, ipse non fatigatus, nec ab ullô cibô atqve aliis officiis & operibus rusticis abstinuerit, firmâ memoriâ & integris sensibus, vid. Carol. Offred, *M. N. C. Dec. II. An. 9. Observ.* 211. *p. m. 381.* Religiosum qvendam in ætate centum & sex annorum constitutum, qvi bene edit, bibit & dormivit, Arthritide verò sæpe tentatus fuit, se novisse dicit Josephus Lanzonus, *M. N. C. Dec. III. An.* 1. *Obs.* 25. *p. 48. seq.* ibidem etiam fœminæ rusticæ mentionem facit, qvæ ætatem annorum centum & octo attigit. Longævitatis hæreditariæ exemplum Dominorum de Steinberg, in Domo Bodenburgicâ, in qvâ qvinqve ordine Burchardi recensentur, absqve interrupta serie se invicem seqventes, qvorum nemô septuagenariô minor, extitit, reperitur, *M. N. C. Dec. III. An.* 3. *Obs.* 116. *p. 206.* Tale etiam refert Flamant, Tractatu Gallico, *L' Art de se conserver la santé, ou le Medecin de soy-mesme, p. m.* 4. *seq.* Le Pere, inquiens, de Michel Montagne, un des plus beaux genies de Nôtre Siecle, à vécu soi-

soixante & quatorze ans, son ayent soixante neuf, son bisayent pres de quatrevingts, sans avoir gouté aucune sorte de Medecine. Huc pertinet etiam illud Grandævitatis exemplum Melchioris Rauccii, *de Vanis Mund. immund. desider. cap. 17. p. m. 118.* De Consule qvodam Reipublicæ Argentoratensis, Wolffgango Schötterlinô, qvi filios filiasqve septendecim, nepotes centum & octo, pronepotes centum & undecim, abnepotes duos, atqve ita in summâ ducentos triginta octo homines, ex suis lumbis progressos, adhuc vivus atqve superstes conspexit. Item de Jolanta Balliva, cùm centum ferè annos vixisset, filios & nepotes ex se ortos ad trecentos ferè vidente. Et de Anu qvâdam, quæ adhuc vivens decem supra centum annos computabat, cujusqve mater usqve ad centesimum vigesimum pervenerat, vid. Heinr. Meibom. *Epist. de Longæv. B.* De nobili qvodam Indo, qvi 340. annos vixit, tribusqve vicibus juvenis factus est, v. Frid. Nitzsch. *Ephemerid. Eruditor. An. 1666. p. 175.* ubi etiam ministri cujusdam Angliæ meminit, cui post annum centesimum dentes novi redierunt, capillus denuo natus, oculi corroborati atqve sensibilis sensuum omninò omnium redintegratio se ostendit, qvi tamen anno centesimo decimo qvarto ætatis mortuus est. De variis Gentibus & Individuis ultra centum ad ducentos annos & ultra viventibus, vid. Sim. Majol. *Dier. Canicular. Colloqv. 4. fol. m. 52. seq.* Marcus Gallus, Imperatoris Caroli Chirurgus, crebro certa qvadam aqvâ Vitæ utebatur & vitam ad annos 124. protraxit, v. Andr. Libav. *Prax. Alchym. p. m. 56.* De rusticô in Helvetiâ annos 130. vivente, item de Gvilelmô Postellô ejusdem ætatis, vid. Dan. Sennert. *de Consens. Chymic. cap. 17. p. m. 315.* De qvibusdam Fratribus Roseæ Crucis seqventiâ recenset Georgius Paschius, *de Nov. Invent. cap. 6. §. 5. pag. m. 319.* Vidit & subscripsit certum librum

brum, Frater non Frater, dictum, Hugo Alverda, ætatis suæ qvingentesimô septuagesimô nonô. Eduardus Woodstrang, Anglus, ætatis suæ qvadringentesimo tertio. Zacharias Benz, ætatis suæ ducentesimo octavo, Jacobus Pacherius, Pomeranus, ætatis suæ ducentesimô qvinto. Johannes Talentonius, *l. a. pag. 177.* nonnullorum mentionem facit, qvi ad qvingentos, sexcentos & octingentos, imò ad mille annos vixisse dicuntur. Multa longævorum exempla congessit etiam Comier in Tractatu Gallicô, in lingvam Germanam, titulô **Kunst, lange zu leben**, translatô, & qvidem ex Historia tum sacrâ, tum profanâ, qvorum nonnulli longè ultra aliqvot centum annos pervenêre, e. g. Cipirus Rex in Cyrô vixit annos 100. item Apollonius Thyaneus; Arganthemius 150. Seneca 144. Simon Cleophe, Episcopus secundus Hierosolymitanus, anno 120. cruci affigebatur. Narcissus Episcopus ejusdem loci vixit annos 166. S. Paulus Eremita 120. Antonius Episcopus 150. Cronius 155. Titus Fullonius 150. Attila, Rex Hunnorum, 124. Obstetrix qvædam Anglicana, munere suô adhuc fungens, 123. Episcopus Anglus, nomine David, 170. Laurentius Hutland, 140. Democritus 109. Sic Vir qvidam 104. annorum cum uxore ejusdem ætatis sani atqve vegeti vivebant, &c. Item Æginius vixit annos 200. Nestor, filius Neli, 300. Vir qvidam in Insula Bengala 335. Severinus, Episcopus, 375. Bracmannus qvidam 300. item Johannes de Temporibus, Gallus; vel juxta alios 360. Porrò alios ad 400. 500. 600. & 800. annos vitam protraxisse, refert Comier, *l. a. p. 4. seq. 6. 7. seqq.* Viro cuidam ex Insula Bengala, annos trecentos triginta qvinqve nato, cujus modò mentionem fecimus, aliqvoties jam deciderant dentes, aliis continuò subrascentibus, & barba, ubi prorsus incanuisset, in atrum denuò colorem semetipsa vertebat, v. Philipp. Camerar. *Horar. subcis. Cent. II.*

cap. 68. p. m. 278. De Nobili qvodam 340. annorum, cui juventæ flos ter exaruit terqve refloruit; item de Sene capulari centenariô, cui ex pilis, cute, ungvibus, situ atqve sqvalore ætatis decidentibus in melius omnia permutata, ut de sene juvenis evaserit & jucundæ valetudini qvinqvaginta annos suæ ætati superaddiderit. Vid. Phil. Jacob. Sachs. *Gammarolog. Lib. 2. cap. 8. pag. m.* 855. *seq.* & Just. Fidiklobii *Histor. Ambr. p. m.* 39. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. pag.* 123. *seqq.* Plura ejusmodi Longævitatis exempla benevolus Lector reperiet in Claud. Deodat. *Panth. Hygiastic. Lib. 1. cap. 6. p. m.* 56. *seqq.* Henr. Salmuth. *Annot. in Guid. Panoiroll. Rer. memorabil. Lib. 2. Tit. 10. pag. m.* 225. Christ. Warliz. *Valetudinar. Sen. Salomon. p. m.* 40. Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. 2. cap. 18. pag. m.* 216. 218. Georg. Franc. *Annotat. in Paul. Zacch. Qvæst. med. legal. Lib. 1. Qvæst. 9. No.* 55. *fol.* 93. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. pag.* 123. Trogill. Arnkiels Cimbrisch. Heyden-Religion, *cap.* 10. *pag. m.* 67. Thom. Bartholin. *Cent. 5. Hist. 28. p. m.* 46. *seq.* ubi præter varia longævitatis exempla etiam Ahasveri Ebræi, Sutoris Hierosolymitani, qvi à tempore Passionis Christi Salvatoris per orbem vagari dicitur, mentionem facit. Georg. Horn. *Hist. natural. Lib. 3. cap. 3. p. m.* 163. *seq.*

§. 72.

Sed ad Coitum nostrum revertamur, cùm de Coitu gravidarum pauca adhuc dicenda restent. Notum scilicet est, in brutorum genere gravidam fœminam marem, neqve appetere, neqve admittere, cùm econtrà solæ mulieres & uxores gravidæ Viros non modò admittant, sed quandoque etiam magnô desideriô appetant atqve exoptant, juxta observationem Friderici Lochneri jam supra Capite tertio è *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obs.* 123. *pag.* 228. allegatam, & quidem de fœ- *Coitus gravidarum.*

mi-

minâ gravidâ, quæ abſente diutius maritô tanto Veneris vexabatur deſiderio, ut tandem in lectulum pulvillis ventosè tumentibus plumâ delicatâ repletis proſtrata, impatiensque facta gemipomas & ſororiantes tangeret mammas, papillarumque nitidas carperet gemmulas geminas ſicque obdormiſcens, lumina clauderet, cum tantâ quidem impreſſione, ut poſt deſiderium hoc venereum atqve mariti reditum Puellam alias formoſam circa mammarum quandam deforme corpus, mentulæ inſtar, adnatum habentem peperit. Quamvis etiam non negandum, reperiri uxores, gravidas Cohabitationem maritalem maximè averſantes, eamque contra voluntatem patientes. Quô in paſſu laudanda Zenobia, Palmerinorum Regina, quæ Obedenatum maritum nullatenus gravida admittebat, dicens: modeſtam mulierem non propter voluptatem, ſed prolis cauſâ matrimonium celebrare. Cauſam verò, cur nimirum ſolæ mulieres geſtationis tempore virum admittant, cæterorum verò animalium ſeu brutorum fœmellæ pleræque coitum omni conatu evitent, interrogata Popia ſeu Populea, M. Agrippæ filia laſciva, hanc reddidiſſe dicitur: quia illæ beſtiæ eſſent. Quô absque dubiô indicare voluit, beſtiis Veneris ſenſum atque ſtimulum ſaltem ad ſpeciei ſuæ conſervationem, non verò ad delectationem, â naturâ datum eſſe; quando autem facta eſſet Conceptio, tunc etiam ceſſaret intentionalis coeundi finis; cùm econtra in mulieribus laſcivis delectationis in Coitu perceptæ recordatio ad Congreſſum freqventiorem ſtimulet. Alias autem Cauſas phyſicas reperies apud Rodericum à Caſtro, *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap. 2. pag. m. 104. ſeqq.* & Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 7. Tr. 1. cap. 4. p. m. 637. ſeqq.*

§. 73.

An licitus? Licet autem Gravidarum Coitus & injuſtô tempore blandiens

diens Venus, tanqvam multorum malorum ferax, tam gravidis, quàm fœtibus absqve dubio omni tempore noceat, & quidem ob perturbationem circuitûs humorum, qui ad fœtum tendunt, unde, ſecundum Chriſtian. Warliz. *de Morb. biblic. cap. 12. pag. m. 374.* loco benigni & laudabilis humoris nutritivi vitioſus, ſpiritibus orbatus, in qvalitatibus mutatus & adulteratus communicatur; nihilominus tamen Medici nonnulli gravidas primis ſaltem duobus vel tribus menſibus virorum conſortia conſultò vitare jubent, eò quòd, præterquam in motu illô venereô facilè Menſes aut planè etiam abortus concitaretur, facilè etiam ſuperfœtatio contingere poſſet; poſterioribus verò Menſibus concubitus videretur ſecurior, ob fœtum tunc temporis jam firmiùs Utero adnatum & ſuperfœtationi nullum ampliùs in Uterô locum permittentem. Vid. Marc. Gerbez. *Intricat. extricat. Part. 2. cap. 20. pag. m. 445. ſeq.* qui etiam *pag.* 447. inqvit, certum eſſe, freqventiorem Coitum ſaltem primis geſtationis Menſibus eſſe inſecurum, eò quòd, teſte Sylviô, fere præcisè propter iſtam cauſam Meretrices rariſſimè concipiunt, aut ſi concipiunt, plerumque ante tempus abortiunt. Attamen optimum, pergit idem, contra varia tam ratione Matris, quàm fœtûs, metuenda Symptomata remedium eſſe, ſi conjuges poſt benedictionem divinam hoc in paſſu brutali more viverent, id eſt, per totum graviditatis tempus ab ulteriori cohabitatione abſtinerent. Præterea etiam Hippocrates, *Lib. de Superfœt.* ſcribit, prægnantes faciliùs parere, à Coitu ſi abſtineant. Quia verò tam à parte viri, quàm Uxoris faciliimè ejusmodi ſtimulus venereus excitari poteſt, Medici nonnulli, de non inferendâ fœtui noxâ ſolliciti, Coitum averſum, de quo ſupra egimus, vel alios coëundi modos excogitârunt. Hinc etiam Gerbezius *l. a.* dicit: Virum tunc brachiis ſuis fortiter innixum coire oportere,

tere, ne prægnantis Ventrem comprimat. Congressum autem cum gravidis ad partum facilitandum paulò ante parturiendi tempus commendat Avicenna & Aristoteles, vid. Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *pag. m.* 365. circa hunc tamen Coitum monendum, ne sit admodum violentus atque tam fœtui, quàm ipsi matri mortem inferat, quale exemplum refert Philippus Salmuth, *Cent. 2. Obs. 69. p. m.* 91.

§. 74.

In Coitu Cohæsio.

In Coitu canes ordinariè cohærere, res satis nota est, cujus causa creditur officulum in medio Penis Parte repertum, qvod secundum Ol. Worm. *Mus. Lib. 3. cap. 23. fol. m. 321.* coitum ipsis reddit difficilem & dolorosum; dum scilicet circa hoc Spiritus & humores aggregantur. vid. etiam Christ. Warliz. *de Morb. biblic. cap. ult. pag. m.* 384. *seq.* Et juxta Melchior. Sebiz, *de Aliment. Facultat. Lib. 3. p. m. 625.* Causa in mare est; scilicet intumescentia partis pudendi posterioris, qvæ Ventrem spectat. Hæc enim Semine & Spiritu impletur, nec detumescit Penis, donec Semen planè emissum sit; itaqve turgidus exire neqvit è Vulva fœminæ. Talis tamen Cohæsio accidit etiam cuidam Petro Borello noto, ut in coitu instar canum junctus remanserit, qvod à nimio ardore partium genitalium tumefactarum provenisse existimat dictus Borellus, vel qvod è Zybethô, qvò amici cujusdam consiliô voluptatis augendæ gratiâ, balanum inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuissent. Oportuit autem Clysteribus crebris partes illas emollire, sicqve separatus fuit. vid. Petr. Borell. *Cent. 2. Obs. 31. p. m. 133.* Tantam ex inunctione nimia Zibethi glandi Penis spasmodicam affectionem genitalium fœmineorum, ut hinc qvidem & mas & fœmina stimulum & jucunditatem perciperent, nihilominus postmodum ita cohærerent, ut vix vi divelli possent, observavit Christianus Johan-

hannes Langius, *vid. Oper. med. Tom. II. Prax. cap. 23. fol. m. 145.* Talemqve historiam observavit Daniel Ludovici, cui Sponsus, qvi tale qvid primâ nocte passus, postmodum fassus est, non glandem solum, sed & anticam Penis partem arctissimè fuisse constrictam. vid. Ch. Franc. Paullin. *Cynograph. curios. p. m. 54.* ubi simile exemplum de Cive qvodam Jenensi, sibi ab amico fuisse relatum addit. Canum more Rugianos in Coitu cohæsisse, scribit Saxo Grammaticus, non mirum, inqviens, Rugianos Numinum suorum potentiam formidâsse, à quibus stupra sua sæpenumerò punita meminerant. Siquidem mares in eâ urbe Karentinâ cum fœminis in concubitum accitis, canum exemplô, cohærere solebant; nec ab ipsis motando divelli poterant. Interdum utrique perticis è diverso appensi inusitatô nexu ridiculum populo spectaculum præbuere. Eâ miraculi fœditate solennis ignobilibus statuis cultus accessit, &c. vid. Joh. Wier. *Oper. Part. 1. cap. 9. pag. m. 22.* Vipera à Venatoribus in Coitu deprehensas vix vehementiori etiam conatu à se invicem disjungi potuisse, atque iis recens inde divulsis exertum mari longius pudendum cum protuberante & aliquot aculeis, asperâ glande, quam Venere turgentem, fœminæ Vulvæ jam arctè complectitur, observari refert Paulus Lentulus, *de prodigios. Ined. p. m. 177.*

§. 75.

Ut de felium etiam Coitu aliquid addamus, notum est, *Coitus felium.* fœminas in congressu admodum vehementer ululare; cujus causa à plerisque agnoscitur Seminis marium ignea prope caliditas & acrimonia, ita, ut genitalia ferè adurat, quod fœminæ Uterus ferre non potest; quare feles Venere actæ vagantur, clamitant & furiunt, mares ad congressum frequentes alliciunt atque invitant. Ast Marcus Aurelius Severinus *Zootom. Democrit. Part. 3. cap. 5. pag. m. 132.* ad quæstionem, unde

de Ululatus felis fœminæ, dum mas insilit, respondet: ob hujus Penem asperum.

§. 76.

In Coitu Crepitus.

Nonnullis etiam coëuntibus et Semen ejaculantibus simul Ventris Crepitûs eliduntur, vel ipsa alvi excrementa profluunt; Qvod confirmat Hippocrates *Lib. 6. Epid. Sect. 3. Text. 8. Oper. Sect. 7. fol. m. 268.* Quibusdam, inquiens, cum Venerem exercent, Venter inflatur, quod Damnagoræ accidit; Quibusdam verò tum Crepitus fit, ut Arcesilao. Senibus cumplurimum in Venere excrementa fluunt, resolutô nimirum ani musculô ex naturali imbecillitate vel frigidâ pituitâ resolvente: Vis enim illa omnis ad genitalia in Venere transmittitur, subductô à sede Spiritu. Id evenisse cuidam Andreæ Traguriensi tantum novimus; ex vehementi enim Voluptate id accidere scribunt Autores. Sunt verba Alexandri Benedicti. v. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. 532.* v. etiam supra Capite primo.

CAPUT VI.

De

Signis à Semine ejusqve Organis desumendis.

§. I.

Signa ex Arteriis Spermaticis.

AB Arteriarum Spermaticarum defectu Sterilitatem, ab abundantiâ autem, seu auctô earundem numerô, nimiam Salacitatem dependere, jam suprà Capite II. adducta exempla probant, quare de iisdem, cùm inprimis hæc Vasa in Subjectô vivô oculos non incurrant, atque non nisi post

post mortem judicio ferendo occasionem præbeant, hoc loco tacemus, pauca tantummodo signa à Testiculis, Scrotô, Pene & Spermate desumenda adducturi.

§. 2.

De Signis Testium temperaturam indicantibus vid. Joh. Jacob. Wecker. *Medicin. utriusqve Syntax. Lib. 2. Part. I. fol. m. 275.* Si testiculi sunt laxati & oblongi, ægrotum moriturum, si verò contracti, servatum iri, significare nonnullis creduntur, uti jam supra ex Franc. Plazzono, *de Partib. genital. p. m. 21.* adduximus. Testes & Pudenda convulsa & interiora versus retracta vehementes dolores & mortis periculum significant, quemadmodum valde flaccida & pendula summam infirmitatem, exsolutionem, juxta Johann. Varand. *Prognost. med. Part. 1. fol. m. CC.* Vid. etiam Robert. Flud de Fluct. *Catoptr. Catholic. fol. m. 220.* item Jac. Anton. Phryg. *in Hippocr. Prognost. Lib. 2. Text. 10. pag. m. 148.* Honorat. Bicaiss. *Manual. med. p. m. 305.* & Joh. Bened. Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 2. p. m. 290.* ubi dicit: Quò testes contractiores existunt, eò sunt ad Venerem aptiores; penduli enim ac demissi langvorem aut minorem aptitudinem præsignant; quin ex contractioribus corporis universi robur & sanitas arguitur; ex demissis & nimis pendulis non benê constans aut valetudinaria natura convincitur. Ex Contractione Testiculorum signum metûs desumit Joh. Jac. Weckerus, *l. a. Lib. 2. Part. 2. fol. 312.* cujus hanc reddit rationem, quia metus invectus extrinsecus est, ut fugam in adversum agi oporteat. De Testiculorum inflammatione, quâ nonnunquam affici solent, ex eorundem acutô dolore, rubore, calore atque durô tumore signa desumi possunt, quippe, quæ Symptomata omnia, magis sese foris produnt, si inflammatio in Scrotum effunditur; obscuriora autem sunt, magisque tangendo,

Ex Testibus.

 do,

do, qvàm intuendo explorantur, si vitium solum occupans, testem in profundo occulitur. v. Jodoc. Lomm. *Obs. med. p. m. 261. s.* Ut de qvibusdam Herniarum speciebus, sic dictis, nimirum Hydrocele & Sarcocele, earumqve Signis diagnosticis è Testiculorum tactu desumendis nil dicamus. Ex magnitudine & parvitate Testiculorum de potentiâ & impotentiâ virili seu frigiditate judicari solet; sicuti enim minimi, v. g. instar Cicerum, qvorum supra mentionem fecimus, nullius usus esse solent, ita etiam maximi plerumqve morbosi atqve inertes sunt, uti in illô subjectô, cujus supra ex Riveriô, *Observ. Communicat. pag. m. 275.* meminimus, videmus. Qvamvis enim ipsius Testiculi magnitudinem Testiculorum eqvi superarent, nunqvam tamen liberos genuit. Et juxta Paul. Zacch. *Quæst. medic. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qu. 5. m. 24. fol. m. 274.* Testium carentia omnimoda aut eorum parvitas, aut etiam incongrua magnitudo, aut non naturalis situs, Caloris naturalis pauperiem & conseqventer imbecillitatem virtutis testantur. Immodicè exiles parviqve testiculi generationis muneri sunt impares; non enim sufficientem humorem coqvere & in Semen elaborare qveunt, inqvit J. B. Sinibaldus, *l. a. cap. 11. p.* 314. Qvare Testiculi mediæ magnitudinis absqve dubiô sunt meliores; Imò Antiqvitas, juxta Hieron. Mercurial. *de De-* [illegible] *Lib. 6. p. m. 10. b.* ob scelestissimos usus in pueris Testes parvos amare & Testes magnos inter turpitudinis notas habere solebat. Testiculô unô incisione amputatô Senes non gignunt, licet hoc munere juvenes non priventur, qvoniam Senes ex duobus Testiculis parum spermatis emittunt, multò minùs ergò ex unô, inqvit Valescus de Tarant. *Philon. pharmac. Lib. 6. cap. 7. pag. m. 645.* Parvi Testes malorum morum, magni stolidi atqve inertis hominis indices habentur, v. Joh. Sigism. Elsholt. *Anthropometr. cap. 24. p. m. 243.*

De

De Monorchidibus, triorchidibus, &c. item κρυψορχιdibus plura videantur infra in Capite VIII. de Qvæstionibus Medico-legalibus.

§. 3.

Ex Scrotô secundæ & adversæ Valetudinis Signa vulgò desumi solent; Qvippe uti Scrotum corrugatum & contractum prosperæ, sic relaxatum sinistræ valetudinis Signum freqventer exhibet: Modò ab externâ aliqvâ causâ, repentinô aëris vel aqvæ frigore aut calore, &c. hoc non contigerit. Ex qvô Signô etiam de Infantum valetudine solent judicare Nutrices & mulierculæ, secundum Isbrand. Diemerbroc. *Anatom. Lib.* I. *cap.* 22. *fol. m.* 112. Vel juxta verba Regneri de Graaf, *Oper. pag. m.* 17. Mulierculis circa educationem infantum versantibus signum bonæ & adversæ Valetudinis desumitur ex corrugatione vel relaxatione Scroti: qvando enim Scrotum corrugatum conspiciunt, infantem rectè valere judicant; contrà verò, si relaxatum propendeat. Qvamvis autem Scrotum laxum & propendens pro Signô morborum aut imminentium, aut præsentium habeatur, atqve nimia Scroti laxitas meritò nobis suspecta esse debeat, cum juxta Vitum Riedlinum, *Millenar. Curar. Observ.* 257. *pag. m.* 212. de Spirituum fibras in ordine servantium paucitate testetur; interim hoc non semper morbos denunciat, pariter uti Scrotum corrugatum non semper sanitatem indicat, qvod exemplô puеruli ex dentitione difficiliori laborantis, cui Scrotum corrugatum & parvum, spem optimam promittens, ad mortem usqve permanebat, idem Autor ibidem testatur. Ex Scroto.

§. 4.

Porrò non modò ex Penis magnitudine varia signa physiognomica peti, sed etiam de Penis magnitudine aut parvitate Ex Pene.

te vulgò à Naso istius subjecti Signum desumi, beneqve nasati etiam benè vasati seu mutoniati judicari solent; hinc Ludovicus Cœlius Rhodiginus, *Lection. antiqv. Lib. 27. cap. 27. fol. m.* 1058. Nasi magnitudine mutonis qvantitatem concipi scribit: Si qvis porrectam Nasi formam & oculorum pupillas annexas considerat, ipsam mox partem, qvâ vir est & jus testmonii habet, non vanâ omninò contemplatione complectetur, juxta Ludov. Septal. *Tract. de Nævis* §. 26. *pag. m.* 18. Imò longum crassumqve nasum esse signum similis mutonis, credere mulierculas ex Portâ refert Christianus Franc. Paullini, *Observ. med. physs. Cent.* 1. *Observat.* 97. *p. m.* 141. Sæpè tamen ex hoc signô decipi mulieres, dictus Autor ibidem testatur, siqvidem aliqvot honestos & eruditos, etiam religiosos se novisse scribit viros, optimè qvidem nasatos, sed parciùs vasatos; qvi segnes ad Venerem & unus ferè impotens fuêre. Qvid mirum itaqve, hoc nasatorum peculiô miserè deceptam fuisse mulierculam qvandam, qvæ Nasi magnitudine Mutonis qvantitatem mente præcipiens, at spe frustrata, O Nase, inqvit, qvantum me fefellisti, uti refert Henricus Salmuth, *Annotat. ad Gvidon. Panciroll. Rer. memorabil. Lib.* 2. *Tit.* 10. *p. m.* 177. qvô locô etiam Johannam Neapolitanorum Reginam, effrænis libidinis fœminam, potissimum nasatos seu viriliores ac belle mutoniatos in complexum sibi elegisse addit. Sic nobilissima ac venustissima virgo, sed valde petulca, duos simul habebat procos, alterum bonæ vitæ fortunæqve hominem, sed macilentum, alterum qvadratum & insigni nasô conspicuum, lurconem & fruges consumere natum. Illa temtô, istô hunc sibi elegit, ob peculium, qvod sperabat, magnum & conditionem strenuam. Sed egregiè decepta est. Hinc domi jurgia, foris rixæ & summa Viri aversatio ob sterilitatem, qvæ Thorum perpetuò comitabatur, teste

teste Ch. Fr. Paullini, *l. a. vid. etiam ejusd. Tr. de Asino cap. 3. pag. 54.* Huc pertinet etiam, qvod refert Jason à Pratis, *de Sterilitat. p. m. 199.* Mulierculam, inqviens, ferunt, cùm de secundis nuptiis sollicitaretur, solitam nasos torum sui poscentium acriori speculatu discernere. Fortassis in senatu ad Colum considentis vicinæ inaudierat, nasum procerum esse indicium prominentis caudæ, & hanc ipsam valere potiorem ad defricandam naturæ tentiginem non ignorabat, ita viro nubit grandem habenti nasum. Cui cùm Penis, qvod speraverat, immodicus non esset, neqve prioris mariti perticam superaret, sæpè inter copulandum, atqve aliàs, cùm suspiraret minùsqve alacris videretur, rogata conjugi, qvidnam mali animum commorderet? qvoniam, ait, egregiè falsa sum ex naso, qvem vastiorem habes: conjiciebàm tuum telum cum hôc paria facere, & multò extare porrectius: Si te qvoqve sum elatura, meliorem mentem dabunt dii, alium non patiar insessorem, cujus non sum his, manibus atqve his oculis perrimata tutumum. Evenit, ut & hunc efferret, tertium expetitur in connubium, haud immemor frustratæ expectationis, nulli me, ajebat, in fœdus individuum obstrinxero, cujus non sum antè conspicata, qvod membrum ad alendam initæ societatis flammam natura condidit. Procus rubore qvodam veluti perfusus, heus, inqvit, meum corculum, nec decet ea oculis intecta subjicere, qvæ pudor extra conspectum abdit. Qvodsi animo id insedit tuo, nisi explores, qvis vir sim, ut meis votis non obtemperes, is saltem homo eaqve reverentia per te largiatur, ut conspicilia tuo adaptes naso, per qvæ vides adapertis & revelatis oculis non objactanda, simulqve vitrum obtrudit, per qvod res conspecta multò, qvam sit, grandior apparet, iterumqve succumbit inclinata prolixioris jaculi spe. Tam est grata mulierculis ipsis Verpæ proceritudo.

§. 5.

Ex Penis magnitudine.

Sed qvantum signa prognostica ex Penis magnitudine desumenda attinet, sicuti asini, qvi inter stupidissima animalia non immeritò referuntur, magnis penibus sunt armati, ita etiam bene mentulati vulgò pro stupidis habentur. Inqvit enim Isbrandus Diemerbroc, *Anatom. Lib. 1. cap. 33. fol. m. 123.* Stolidos stupidosqve majore pene donatos tradi; Et Joh. Sigismundus Elsholzius, *Anthropometr. cap. 24. p. m. 240. seq.* dicit: Qvi justam Penis proportionem superant, Græcis Onobeli dicuntur, qvasi asini telum vibrantes, qvod huic animali præ reliqvis Priapus. Unde asinum appellabat Commodus Cæsar hominem sibi familiarem, cui Penis nimium in modum prominebat. Proptereà factâ comparatione Physiognomi mentulatos stolidos, justoqve majorem Verpam asinini notam ingenii esse contendunt. Item juxta Caroli Musitani, *Trutin. Chirurg. Tom. II. cap. 50. p. m. 218.* stolidi ac fatui majori pene insigniuntur, & ex penis magnitudine de hominis ingeniô nonnulli conjecturam faciunt, & magnum penem ingenium durum ac stolidum asinino simile indicare dicunt. Ast Christianus Helwichius, *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obs. 32. pag. 87.* de hac universali veritate dubitare videtur, inqviens: Alexandrum Petronium non falsum diceres, qvi ex magnitudine Mentulæ ingenium rude & stupidum colligit, si ex unô aut paucis singularibus propositionibus constituere liceret universalem. Item Carolus Musitanus *l. a.* has regulas perpetuas non esse, sed pluribus exceptionibus patere dicit. v. etiam Diemerbroc, *l. a.* Porrò ex Penis magnitudine & parvitate de majori aut minori ad Venerem aptitudine judicium nonnulli ferunt. Inqvit enim Adrianus Spigelius, *Anat. Lib. 1. cap. 10.* Major mentula vulvam potiùs replet magnitudine, qvàm Uterum fœcundô Semine. Est etiam ineptior ad Vene-

nerem, qvam neqve animosè aggreditur, neqve diu sustinet, victis pondere musculis, qvi rigidam hastam tenent. Parva contrà & salacior & fœcundior est, qvia titillando Cervicem Uteri magis prolectat fœminarum Semen & diutissimè pugnam perfert. Item Dominicus de Marchettis, *Anatom. cap. 6. pag. m. 66.* ideò parvum Penem ad generationem magis aptum esse dicit, qvia Semen, qvò citiùs ejaculatur, ac in Uterum pervenit, eò majorem obtinet calorem, &c. de qva tamen materia infra pluribus agemus. Ex Penis glande pallida nonnulli Signum Impotentiæ desumere volunt. v. Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. medic. legal. Part. 1. Sect. 1. Cas. 8. pag. m. 30.*

§. 6.

Deniqve ex ipso Semine virili Medici signa desumunt. *Ex Semine.* Qvidam enim pro Seminis fœcunditate probandâ Sperma aqvæ imittunt; qvod enim tenue ac frigidum est, secundum ipsos, diffusum citò per summa innatat: Qvod fœcundum est, in imum descendit. Calidum enim, qvod concoctum est. Concoctum autem est, qvod spissum crassum est, unde Spiritûs genituræ vitales ephalare facilè non possunt, juxta verba Johannis Langii, *Epist. medicin. Lib. 2. Epist. 9. p. m. 536.* Qvam tamen Seminis & fœcunditatis probationem rejicit Johannes Bened. Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 5. Tr. 1. cap. 6. p. m. 489. it. 491.* Deinde convalescentibus & morbô jam exutis licet adhuc summè debilitatis, qvandoqve genitalia turgescunt & veneris pruriunt desideriô, adeò, ut qvandoqve etiam Semen effundant; ex qvô Medici Practici in Morbis salutare signum petere solent, siqvidem Seminis effusionem seu excretionem & Mentulæ tentiginem in febribus certissimum esse reconvalescentiæ signum, ex Practicô exercitatissimô, refert Johannes Varandæus, *Prognost. med. Part. 1. fol. m. CCXXI.* ubi

ita pergit: Qvô tamen abutentes sæpissime juniores & libidini addicti, dum coitu in ipsis morbis aut convalescentiæ principiô utuntur, in magna pericula & recidivas exitiales præcipitari solent, non sine Medicorum calumniâ, nisi errores isti detegantur, qvod in Magnatibus contingit. Prolixè hanc materiam tractat suamqve sententiam de Causâ explicat Caspar à Reies, *Camp. Elys. Qvæst. 82. p.m. 1075.* In hac, inqviens, temporis intercapedine, dum natura adhuc convalescit, & in multis aliis langvet, accidit, ut genitalia Semine turgida pruriant, & coitûs desideriô plurimi teneantur. Qvod sanè mirandum est, cùm aliqvando nec cibum rectè appetant, nec feliciter concoqvant, ad animalesqve alias actiones non ita expeditè & alacriter se gerant. Qvî igitur fieri possit, qvod, cùm in plerisqvè aliis ratione præcedentis morbi parùm valentes sint, generationis tamen membra citius, qvàm alia sanitatem præsentiant, & langventibus adhuc aliis ad munus suum erigant, naturæqve & salutis beneficium multò, qvàm aliæ partes, celerius capessere ostendant? Cujus eventûs caussam eam potissimum esse suspicor, qvia venarum obstructione discussâ ac patefactis meatibus, qvi antea putrescentium humorum sarcinâ replebantur, hepar primum, deinde renes aliaqve interna membra, suscipiendis & distribuendis humoribus destinata, puriori alimentô jam perfusa, eô tanqvam desideratissimô fruuntur ac præ cæteris instaurantur: Qvô fit, ut novas vires arripiant, spirituqve naturali & vitali affatim impleantur. Sed cùm generationis membra multô robore in attrahendo polleant sensuqve exqvisitissimô prædita sint, & cum præcipuis membris communicationem qvandam obtineant, venarumqve arteriarum & nervorum propaginibus conspicuis & patentioribus sint referta, turgescunt facilè ac libidinem despumant; cùm adhuc eô tempore remotissima alia membra,

bra, pedes, brachia, armi, furæ, femora, Cervices & id genus alia, ut frigidiora & à Calore naturali minùs adjuta, serius vitali succô perfundantur; pudenda verò & obscœna hepatis munere, salubri rore promptissimè irrigata ac saginata pingvescunt, qvô fit, ut omnium primò convalescant, ac virile robur concipiant: nam ex optimô nullâqve putredine infectô novoqve alimentô impregnata intumescunt, & qvâ vi imbuta sunt, ad pristinum officium vel levi tacitâqve imaginatione occurrente deveniunt: Hinc apud medicos certa indubitataqve recuperandæ valetudinis indicia proferunt, cùm prurito ac tentigine affici incipiunt, qvamvis in reliqvis membris ad torum nuptialem adornandum & hymenæum celebrandum vires desint, nec tanto labori sufficiant. Scio aliqvos ad succorum & humorum caliditatem & acrimoniam ex morbô contractam, hunc in convalescentibus genitalium pruritum rejicere; sed hæc ratio mihi non placet, qvin si ita esset, dum ægrotant, hoc potiùs accidere deberet, cùm tum calor & acrimonia magis rigeant. Causa igitur à nobis adducta verior est, & ob hanc morbô defunctos & convalescentes, in Veneris amplexum sæpius proclives esse conspicimus. Qvos tamen seriò commonefacere oportet, ne maturiùs, qvàm par est, & vires tolerare possunt, sese Veneri tradant & in ipsam libidinosè ruant, cùm aliqvibus inconsultò ad illam properantibus lethaliter affici contingat, sin minus in deterius vergant; puriori namqve succô & vitali spiritu celeriter exhaustis, in periculosam debilitatem facillimè deveniunt, naturæqve vires à morbô nondum revalescentes enervant, & vigore nondum confirmatô in eundem aut graviorem morbum iterum relabuntur; siqvidem sincerior puriorqve alimenti pars ac roscidus humor, qvô arida extenuataqve membra & morbô inanita madescunt atqve irrigantur, intempestivô Veneris usu ab-

ſorbetur, ac velut lactis Cremor emungitur, unde vires, qvibus parum adhuc incrementi acceſſerat, de novô concidunt ac conteruntur. Hæc Reieſius. Ex Pollutione nocturnâ ſeu copioſâ Seminis ſub ſomnô, vel etiam per Manſtuprationem excitatâ ejectione Signum contra Impotentiam ſeu Seminationem deficientem à Medicis deſumi ſolet, ſiqvidem Jacobus Bürlein & Immanuel Wilh. Ayrer, poſt Inſpectionem Wolffgangi Negelingii, de impotentiâ ſuſpecti, ad qvæſtionem, an ſeminationis deficientis culpa ipſi tribui poſſit? Negativè his verbis reſponderunt: Seminationis deficientis culpa ipſi tribui non poteſt, cùm ſuperfluô ſemine gaudeat, adeò, ut non tantum qvæſitus affirmârit, qvod Semen copioſè ſub ſomnô ejaculetur, ſed extemplò, etiam absqve noſtrâ admonitione, ſibimet ipſi ſuccurrendo, non ſine mediocri voluptate Seminis probè elaborati non exiguam qvantitatem rejecerit. v. Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. 1. Sect. 1. Caſ. 10. p. m. 35.* Attamen notandum, pollutionem nocturnam etiam in impotentibus atqve ad generationem non amplius aptis, obſervari, licet Semen non ſit prolificum. Imò Thomas Bartholinus Evnuchum Italum Hafniæ novit, qvi nocturnas pollutiones ſæpe patiebatur. *vid. ejusdem Epiſt. med. Cent. 3. Ep. 64. p. m. 261.* ubi cauſam addit: Qvanqvam, inqviens, teſtes abſint, proſtatæ tamen ſuperſunt, qvæ Semini ſimilem humiditatem emittunt, ſed ſterilem, tam tamen neceſſariam ex Obſervatione Whartoni, *Adenograph. cap. 31.* ut à Lithotomis, ſi in calculi extractione proſtatæ lacerentur, ſterilitatem viris inducant.

CAP.

CAPUT VII.
De
Spermaticis virilis Usu medico.

§. I.

DE Usu Medicô Spermatis humani, præsertim internô pauca occurrunt proponenda, nisi, qvod de Impotentiâ habet Daniel Beckherus, *Microcosm. med. Lib. 1. cap. 13. p.m. 68.* Qvod si, inqviens, Impotentia virilis incantationibus, ceu sæpe à personatis diabolis fit, vel aliis qvibusdam ludicris rebus, Satanæ ope efficaciter operantibus, ligatis scilicet membris, ad generationem â Naturâ factis introducta, perfectè tollenda sit, finem optatum adsecuturum non desperabit, si Sperma recens nec aëri expositum in Ovô sorbili, cum pulvere macis diligenter mistum, ejusmodi ligaturam passo exhibuerit; Mirificè omnem etiam inveteratam tollit virumqve ad procreandam sobolem habilem reddit. Successus in qvodam Nobili Gallô aliqvando fuit exoptatus. *Usus Medicus seminis. Ad Impotentiam.*

§. 2.

Pro insensibilitate Torturæ, cui ob varia commissa furta, aliaqve facinora, subjiciendus erat, scelestissimus qvidam nebulo omniumqve neqvam neqvissimus atqve patibuli Candidatus, nomine Illmer, Rotulas seu pilulas ex Semine & stercore propriô confecerat, proximè ante torturam deglutiendas: seqve hoc modô à gravissimo doloris sensu planè immunem esse credebat. Qvi etiam, qvamvis ab aliis complicibus convictus, maxime torqveretur, nihil penitus sub maximò etiam Torturæ, qvum aliqvoties patiebatur, gradu, hactenus fassus est. *Ad Torturam. Observatio.*

§. 3.

§. 3.

Ad Philtra. Alii neqvissimi ex abominabili impietate varia ciborum genera Spermate conspurcantes, Mumiam magneticam seu Philtrum parare tentant, qvô homines utriusqve sexûs, aut alia animalia, qvibus talia mixta exhibent, in amorem indissolubilem erga eandem, ex qvâ hæc medicina desumpta fuit, personam, rapere student. Hoc tamen remedium à nemine Ortho-Christianorum, sed à solis impiis diaboli mancipiis, sine ullô prorsus fructu notabili, ad Philtra adhiberi scribit Johannes Fridericus Helvetius, *Diribit. med. p. m. 117.* Et Hermannus Grube, *de Transplantat. Morbor. pag. m. 45.* scribit: Ferunt eqvidem Semen nostrum vel cibo, vel aliis rebus immixtum & fœminis propinatum, amorem nobis posse eorundem conciliare; An verò Philtra sic dicta, ex semine concinnata, voto faciant satis ac desiderio periculum facientium, & numne attractio hîc subsit συμπαθικὴ, rationibus atqve experientiâ eluditur, siqvidem tot exitûs doceant tragici, amoris locô furorem succedere, ac mentis qvandam alienationem.

§. 4.

Ad Menses nimios. Pro usu externô allegatus Helvetius locô citatô sub titulô de Spermate in nimiô mensium fluxu seqvens commendat: Indusium per octiduum à Viro gestatum, si mulier, cui Menses nimiô abundantius fluunt, sibi induerit, Rhevma sistetur non ita multò post; isthoc tamen filiabus ad gignendam sobolem habilibus foret tam periculosum, ut ipsæ deinceps menses nunqvam recuperaturæ essent. Sæpius probavi. Absqve dubiô dictus Autor Indusium Spermate virili commaculatum intelligit, qvia sub spermate hæc commendat.

§. 5.

§. 5.

Eò etiam dementiæ pervenêre nonnulli Chymistæ, ut pro conficiendô suô Lapide philosophicô, materiam in Spermate humano qværant; inqvit Gabriel Clauderus, *de Tinctur. universal. cap. 5. pag. m. 184.* Id qvod mihi in mentem revocat, ante aliqvot annos virum qvendam non incelebrem atqve Senatorem Lipsiensem O. B. à Philosophô qvodam cotariô, seu qvi cultros cote acuendi artem exercebat, penitus fuisse persvasum, Lapidem Philosophorum, qvem ille anxiè atqve cum bonorum suorum dilapidatione anhelabat, ex Semine humanô certiùs certissimè parari posse atqve à se in suô laboratoriô ad summam perfectionem ferè elaboratum esse. Hujus fallacissimi artificii meminit etiam Daniel Beckherus *l. a.* his verbis: Seminis dignitas & majestas ad generationem hominis destinata non potuit qvibusdam, in naturæ arcana irrumpentibus, persvadere, qvin ex eô universalem illam Lapidis philosophici Medicinam olim confectam esse jurejurandô contenderent: Magnum certe impietatis & perversissimæ persvasionis argumentum. Item Georgius Wolffg. Wedelius, *Introduct. in Alchim. cap. 12. pag. m. 32.* inqvit: Tac[illegible]as, jam olim ex Paracelsi amphiboliâ, lusu vel superstitione, & hodie qvoqve nostrâ memoriâ, adeò absurdos qvosdam fuisse, ut ex Semine humanô, perversô planè naturæ ordine, idem attentaverint, vel solâ recensione refutandi apud prudentes & Christianos, cum ne Ethnici qvidem id fecerint.

Ad Lapidem Philosoph.

Observatio

§. 6.

Paucis adhuc circa Seminis examen Chymicum notandum mihi venit, juxta Philippum Verheyn, ex semine tauri destillato primum phlegma, deinde oleum fœtidum in notabili

Præparata,

tabili qvantitate, parum salis volatilis prodiisse, relictâ multâ terrâ leviori ac liqvori in rectificatione nihil spiritûs fundente. vid. Act. Erudit. Lipsf. *Supplem. Tom. IV. Sect. 10. pag. 445.*

§. 7.

Ad pediculos. Chymicos, qvi Sperma & sangvinem humanum coctione in pediculos muscasqve converterunt, se vidisse refert Petrus Borellus, *Observ. medic. physic. Cent. 3. Observ. 50. pag. m. 237.*

§. 8.

Ad Homunculum. Huc referendus etiam Homunculus spagyricus, cujus origo juxta Theophrast. Paracelsf. *de Vit. long. Lib. 3. cap. 4. fol. m. 849.* ex spermate consistit. Per maximam enim digestionem, qvæ in Ventre eqvinô fit, generatur Homunculus, similis ei per omnia, corpore & sangvine, principalibus & minus principalibus membris, à qvô prodiit. *vid. etiam fol. 860.* item *de Generat. Rer. natural. Lib. 1. fol. 883.* ubi Processum hujus homunculi præparandi prolixius describit. v. etiam Joh. Conr. Barthusen, *Histor. Medicin. Dialog. 15. p. m. 422.* Hanc tamen Paracelsi, de homunculi in Phialâ vitreâ generatione, Opinionem absurdam & ridiculam, imò nefandam atqve damnatæ memoriæ vocat Julius Cæsar Baricellus, *Hortul. Genial. p. m. 108.* item Antonius le Grand, *Curiosf. Perscrutator. p. m. 98.* (Circa qvem Antonii le Grand Tractatum non possum qvin moneam, esse eundem Julii Cæsaris Baricelli Hortulum genialem verbotenus absqve minimô & sine veri Autoris nomine editum.) Homuncionem hunc ex Semine in furnô chymicô productum inter Non-Entia ponit Gvernerus Rolfincius, vid. Thom. Bartholin. *Epistol. medicinal. Cent. 3. Epist. 26. pag. m. 98.* Et Michael Ettmüllerus, *Oper. med. Vol. 1.*

fol.

fol.m. 495. Homunculum Paracelſi, qvem ſine Patre & matre artis chymicæ beneficiô producere conatur, pro non ente atqve re contra conſcientiam nulliusqve uſus habet. Item Joh. Sigismundus Elsholtius, *Deſtillator. pag. m. 155.* dicit, nonnullos credere, qvòd ab hôc homunculô ſine patre & matre, artis beneficiô, generatô omnem ſcientiam univerſamqve naturam & ejus myſteria, præſertim verò Lapidis philoſophici confectionem diſcere liceat. Porrô de Paracelſiſticâ hominis formatione abominandâ ita ſcribit Johannes Erneſtus Pfuel, *Elector. phyſicor. ſeu de Magia Sect. 1. p. m. 118.* Si Dampra (Semen maſculinum) in cucurbitulâ incluſa vel eqvinô Ventre per nonaginta dies putreſcat, dum moveatur & ſimilis fiat Onechſtnerum (Embryoni) tum ſangvine humanô paſcatur & calore æqvabili Ventris eqvini foveatur, atqve exſurgat infans cæteris minor, ſed omniſcius. Qvale hominis ſpectrum Arnoldus de Villâ novâ ſe vidiſſe gloriatus eſt: at vaſculum abjeciſſe, ne tentaret Deum. Aſt ſi verus homo fuit, pergit allegatus Pfuel, qvem vidit paulatim prodire, impium fuiſſet extingvere viventem: ſi commentitius, qvid, peto & qvæſo, nugantur? Et qvis hominum, qvos ſol vidit, omniſcius? Ecqvis vel auditione accepit, ſemen maſculum hominis ad generationem ſufficere? Cauſæ ſociæ ſtant pro unâ: & fœcundum eſſe poſſe è corpore ita eductum, cum animâ noſtra dividi haudqvaqvam poſſit? Nonne & in nocturnis pollutionibus & à maſturbatoribus lydiis anima effunderetur, & Dæmon exinde tot homines arte plus, qvàm Paracelſicâ ædificaret. Et G. W. Wedelius, *Phyſiolog. Sect. 3. cap. 28. p. m. 203. ſeq.* ſcribit: Qvicqvid de homunculô ſuô Paracelſus ſcriptitet, poſſe ex ſemine virili in vitrô ceu locô commodè exceptô, digeſtô & altô, hominem produci ſapientem & arcanum philoſophorum lapidem edocentem, rectè Helmontius

tius infandum id esse Sodomiticum & nullâ ratione commemorandum Paracelsi figmentum scribit. Item David von der Bocke, *Experiment. circa Rer. natural. Princip. Lib.* 2. *p. m.* 267. *seq.* inqvit: Non satis possum mirari Paracelsi & audaciam & impietatem, qvòd spermata maris & fœminæ, phiolæ indita fimoqve imposita homunculum productura doceat, menstruo sangvine usqve dum perfectus sit, nutriendum. Ausim namqve hoc dicere: Paracelsum talem homunculum naturaliter productum nunqvam nec fecisse, nec vidisse, qvòd verum ignoraverit Semen fœmininum, scilicet liqvorem illum serosum falsò cum sui temporis Philosophis, pro semine habens, adeoqve verum fœmininum semen cum Masculino nunqvam conjungere potuerit, &c. Cùm dicto Paracelsi placito è recentioribus præprimis J. L. Hannemannus subscribat, huic autem contradicat Chr. Fr. Garmannus, *Dissert. de Homin. ex Ovò, seu de Ov. human.* §. 41. *seq. pag. m.* 21. *seq.* liceat nobis utriusqve verba huc transferre. Nihil magis mirabile, *inqvit Hannemannus*, qvàm illa homunculi alicujus in vitrô chymicô fabricatio chymica, hancqve possibilem multæ tradunt historiæ & experientia rerum magistra optima. Mihi aliqvando, pergit idem fide dignus Theologus, se talem homunculum chymicâ operatione fabricatum vidisse retulit & constantissimè asseruit. Novi & alios fide dignos, qvi & talem homunculum chymicum spectâsse, manu palpâsse, constanter affirmârunt. Qvid obstat, qvod non æqvè aliqvis homunculus Vulcano Chymico è Semine destillari qveat? Et hoc cuilibet possibile, qvi igni habenas contrahere & remittere ipsumqve Vulcanum incarcerare & liberare potens, tum laboriosissimus Archæus universalis in semine suas operationes concurrentibus causis perficit, ac primò fermentabit, & tres in eô bullas, tria principalia viscera referentes excitabit,

sic

ſic tandem paulatim & ſucceſſu temporis Idea ideans in homunculum ideabit, & compoſitum, homunculi formam, tam virilem, qvàm muliebrem exhibens, proveniet, ſummâ cum admiratione ſpectantium: Siqve in Vitrô chymicô hic Embryo humanô ſangvine nutriatur, in juſtam magnitudinem hominis excreſcet. Nec ſolum id poſſibile in humanô ſpermate, ſed & ovinô, caninô, bovinô, & in horum brutorum ſeminibus experimentum fiat, qvod in ſpermate humanô prohibeo: Hoc enim ob præſentiam animæ ſpiritualis ſanctum eſt. Hæc ille. Verum, reſpondet Chriſtianus Fridericus Garmannus, Artis Sphæram transſcendunt memorata miracula: Non dicam Vitri & Uteri conſtitutionem totô cœlô inter ſe diſtare: In vitri capacitate, dicat, qvæſo, qvomodo fœtus radices aget, à qvô externæ ejus partes irrigabuntur. Vellem regimen Vulcani demonſtraret, per tot menſes calori noſtro ita proportionatum, ut neqve in exceſſu, neqve defectu peccaret? Ridicula verò eſt embryonis chymici in Uterô vitreô beneficiô ſangvinis humani nutritio. Siccine extra venatus cruor in grumos & putredinem abibit, aut à calore Vulcani exſiccabitur? Qvomodo verò hauriet cruorem embryo, per umbilicum forſan? ſed ejus vaſa in placentâ radicantur, neqve hiant, ut hirudinum inſtar cruorem ſugere poſſint. Ergone per os? neqve id commodè. Membranis namqve includitur fœtus & humoribus qvaſi innatat, nec niſi grandior factus nutrimentum, per os appetit. Et ſi hoc modo nutritio celebrari poſſet, qvod tamen ad Calendas Græcas eveniet, Tartarus in ſangvine latens, qvem Hannemannus alibi defendit, tenellum fœtum corrumpet & peſſundabit. Adeò contra naturam agit & rationatur, qvi talia jactat experimenta. Cumqve nonnulli, ut Paradoxo huic fidem concilient, ad pullitiem Ægyptiorum, (de qvâ Bellonius, *Lib. 2. Obſerv. 32.*) aut Dani-

nicam (apud Thomam Bartholinum, *Cent. 6. Obs. 11.*) provocant; his pariter respondet Garmannus *l. a.* Longè alia, inqviens, ratio pullitiei, effectu ipsô sæpiùs comprobatæ. Eam imitari in hominis repræsentatione non licet. Homo namqve est ex illis animalibus, qvæ Semen aut ova non exponunt, sed in matrice usqve ad fœtus perfectionem fovent & servant. Ab ovis proinde, qvæ secundum naturam exponuntur, ad Ova humana & brutorum velle concludere, est à baculô ad angulum argumentari. Pullities ergo nihil ad rem. vid. etiam Christ. Franc. Paullin. Langeweile, *no. I. pag. 6. & 7.* De hoc tamen Paracelsi & Arnoldi homunculô aliam fovet sententiam Franciscus Josephus Burrhus, *Epist. 2. ad Thom. Bartholin. de Cerebr. Ort. & Us. med. pag. m. 12.* Ab hujus, inqviens, scientiâ arcet ignarum pecus difficultas ænigmatis sapientissimi horum Philosophorum, qvamvis indecori, qvia Semen in se habet vires omnium partium corpora constituentium, atqve ab aëre vivit, ad cujus regulas præparari debent essentiæ qvintæ à Chymicô, videlicet eô artificiô, qvô ab aëre ali atqve in unum corpus virosum coagulari possint. Aër est omnium Tincturarum Rector & Corrector planè divinus, vocaturqve ingeniosè à prædictis Philosophis arcanum sangvinis, qvô nutriri debet eorum infans artificialis.

§. 9.

Testiculorum Usus. Porrò cùm sæpiùs variorum brutorum, qvàm hominis, Testiculi pro usu medicô apud Autores adhibiti legantur, de iisdem nonnulla hoc locô adducere libet. *Apri.* De Apri & Verris testiculis seqventia refert Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 9. pag. m. 310.* Testiculos apri seu parvi porci exsiccatos atqve in pollinem redactos, tam viro, qvàm mulieri exhibitos, ab infaustâ sterilitate liberare ac numerosæ prolis parentes efficere. Apri etiam testes comi-

tia-

tialibus opitulari, ſcribit Sextus Platonicus & confirmant pleriqve Empirici. Democritus etiam teſtatum reliqvit, qvòd ad lætam ſobolem excipiendam mirificè conducit Apri ſeu Verris teſticuli in umbrâ exſiccati pulvis, ſi per aliqvot dies Conjugibus jejuno Stomachô in Galli veteris jure propinetur. Sic Conradus Geſnerus, *Hiſtor. Animal. Lib.* 1. *de Qvadruped. fol. m.* 1017. ſcribit, contra comitialem morbum dari ſuum ſeu Verrium teſticulos inveteratos tritosqve in Suis lacte, præcedente vini abſtinentiâ & ſeqvente continuis diebus. Teſticulos Verris Bartholomæus Montagrana miſcet medicamento cuidam melle excipiendo, ad coitum in Virô & conceptum in Muliere promovendum, &c. vid. etiam Caſp. Schwenckfeld. *Theriotroph. p. m.* 124. Johannes Hartmannus contra ſterilitatem non ſolum teſtibus apri uſus eſt, ſed etiam eorundem Eſſentiam pro ſummô Arcanô habuit. vid. Joh. Michael. *Oper. Prax. Clinic. Gener. cap.* 34. *pag. m.* 255. & *p.* 616. Genitalia & Teſticuli aprorum ad Veneris impotentiam ac prolificationem faciunt, juxta Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib.* 5. *pag. m.* 805. qvod etiam confirmat Frid. Hoffmannus, *Clav. Schrœd. pag. m.* 642. Electuarium D. Friderici, Profeſſoris Jen. contra Sterilitatem, qvod ingreditur raſura teſticulorum Apri, vid. Phil. Grüling. *Medic. Pract. Lib.* 4. *Part.* 4. *cap.* 5. *pag. m.* 629. *ſeq.* Olim Doctori Belzeno ſeqvens Pulvis contra Sterilitatem in Uſu fuit:

Rp. Semin. Eruc.
Fol. Saturej.
Teſtic. Apror.
Vulp. aa ʒj.
Cinamom acut
℔. aa. ʒj.

Piper

Piper long.

Galang. aa. ℨß. M. f. Pulvis pro Muliere; qvem ex ipsius relictis Manuscriptis inserere debui. Verris testiculos siccatos & Vinô assumtos ad Epilepsiam prodesse; item Viros ad Coitum Segniores ad Venerem stimulare mulierumqve sterilitatem abigere, dicit Georg. Abr. Mercklin. in Medicin. Thier-Buche, *p. m.* 211.

§. 10.

Asini. Testes Asinini sale asservati & aspersi potioni in asinarum maximè lacte, vel ex aqvâ, ad Comitialem prosunt, vid. Conr. Gesnerus, *l. a. fol. m.* 9. & juxta Chr. Franc. Paullin. *de Asinth. Sect. 4. cap. 1. pag.* 222. Testes Asini sale conditi dentur contra Epilepsiam in lacte asininô. Ad venena expugnanda, asinini testiculi pulverem commendatum videmus apud Joh. Ben. Sinibaldum, *l. a. pag.* 311. Tales testiculi brachio alligati, ad Venerem incitare atqve à veneficiô præservare dicuntur. vid. G. Abr. Mercklin. *l. a. cap.* 10. *p. m.* 46. vid. etiam Lud. Bonaciol. *de Fœt. Format. p. m.* 186.

§. 11.

Canis. Canis Testiculi exsiccati pulvis ad rhevmata, ventrisqve tormina, nec non ad venereos conflictûs valdè celebrandos præstat, qvod ex celebri qvodam autore, Johanni Ben. Sinibaldo, significavit, Paulus Mancinus, Accummulensis, vir eximius, *vid. l. a.* Qvod ultimum Christianus Franciscus Paullini, *Cynograph. curios. Sect. 3. cap. 7. pag. m.* 136. seqventi Observatione confirmat: Vir, inqviens, honestus ac eruditus, annô ætatis sexagesimô tertiô ob molestissima rei domesticæ tædia & onera, duxit Juvenculam vegetam & robustam. At cùm optimus Senex vota conjugis explere non posset (utpote cui, juxta Petronii verba, funerata erat pars illa, qvâ qvondam

dam Achilles fuerat, & frigidior rigente brumâ confugerat in viscera mille rugis operta,) rixæ nascebantur & odia. Frater ejus, lepidum caput, motûs hosce compositurus, Cani in ipsô coitu testiculos exscindit, siccatosqve langvido & inscio Seni bis qvotidie ad Drachmas duas cum jusculô exhibet felici cum successu. Vidit etiam dictus Paullini Circumforaneum qvendam idem remedium in simili casu faustè exhibentem. Salacissimum animal Canis. Qvis dubitet ergò, testiculos ejus, præsertim in Coitu exsectos, Venerem insigniter proritare? Aliam adhuc Observationem ibidem communicat: Lustrum, inqviens, ferè nunc est, qvod me accerserit fœmina, honesta alioqvin & bonæ famæ, conqverens de maritô, sibi aliàs dilectissimô nulliqve molestô, at ob freqventissimos nec amplius tolerandos coitûs, qvos ultra qvinqve septimanas, singulis ferè horis diu noctuqve acriter repetierat, sibi & Conjugi molestissimô, causam hujus excessûs & remedium anxiè & sub rosâ, ut par erat, indagatura. Variis in medium prolatis, qværo, num aromatibus calidisve aliis, seu stimulantibus crebriùs vesceretur homo aliàs summe biliosus? Non, dixit, qvod ego qvidem sciam. Et licet refrigerantibus utatur, e. g. Endiviâ, Lactucâ, æstus tamen non extingvitur. Servat autem sibi Electuarium qvoddam stomachicum à famosô Doctore (ita plebecula nostra salutat agyrtas & impostores) magnô pretiô emptum, qvô de crebrò sumit, superbibito haustulô vini generosi. Apage! dicebam; hinc forsan illæ lacrymæ. Cedo igitur nobile stomachicum. Gustavi, fœminamqve cum Maritô seriò reprehendi. Ego interim ratus Agyrtam vel ex ignorantiâ, vel malitiâ hoc substituisse Electuarium, moneo virum, ut prece pretioqve formulam ejusdem ab eô impetret, aut repugnantem (nè plures ita falleret,) ope Magistratûs compellat. Et factum est. Ecce au-

 tem

tem, mi Lector, admirabile Stomachicum manu Idiotæ Impostorisqve descriptum:

Rp. Pyber alb.
Zinomanah Untz j.
Pruabus dauhri.
Mater leber anah. Untz ij.
Zeh repron pazer Untz iij.
Testibus Kahini & gallo Untz ij.
Confexionum allkürmes completo Untz jß.
Stinc maris Untz jß.
Folfe chaino Untz j.

Viad com Sirybus cort citron & aqva Zimomanahi electuarium Sicnet. Köstliche Magen-Ladwerg vor allen Schaden, offt des Tags einer Castanien groß.

Id est:

Rp. Piper alb.
Cinamom. Unc. j.
Priapi tauri.
Matricis lepor. ana Unc. ij.
Cerebri passer. Unc. iij.
Testium canin. & gallor. Unc. ij.
Confect. alcherm. complet. Unc. jß.
Scinc. marin. Unc. jß.
Vulv. canin. Unc. j.

Fiat cum Syrup. Cort. Citr. & Aqva Cinamom. Elect. Signet. &c.

§. 12.

Cervi. Testiculi cervini sicci ex Vinô poti concubitum cum voluptate excitant, juxta Casp. Schwenckfeld. *Theriothroph. Siles. pag. m. 83.* Juxta Mich. Ettmüller, *Oper. Tom. I. fol.*

fol. m. 781. Testiculi cervini optimi sunt ad stimulandam venerem, si â cervô sub Veneris æstu occisô exsciffi exsiccentur & pulverisati asserventur pro usu. Et *Vol. 2. fol. m. 985.* Sangvinem & testiculos Cervi in actu venereô transfossi singulare arcanum venereum cujusdam Principis fuisse dicit. Testiculi cervini ingrediuntur etiam Confectionem Satyrii Hadriani a Mynsicht. v. *ejusd. Armamentar. med. chim. Sect. 13. p. m. 212.* Extrinsecus etiam ad Venerem pro necessitate testes, perinæum & lumpi inungi possunt Linimentô ex Oleo formicarum Uynf. de Pipere & Nucis Moschatæ expressô, cum pulvere Priapi ac Testiculorum Cervi, Caryophyll. & Spic. mistô, cui pro lubitu qvoqve unum atqve alterum granum Moschi addendum, vid. Joh. Andr. Graba, *de Cerv. Descript. Sect. I. cap. 20. pag. m. 255.* vid. etiam Matth. Tiling. *Prodrom. Prax. Chymiatr. Class. 3. p. m. 768.* Mos. Charas, *Pharmacop. reg. Galen. cap. 20. p. m. 276.*

§. 13.

Eqvi castrati testiculi frustillatim concisi & in fumô siccati, pulverisati & in vinô poti, qvantum tribus digitis datur, idqve, si opus fuerit, bis aut ter repetatur, ad Secundinas pellendas præsentissimum remedium & plurimis jam deploratis fuit. v. Casp. Schwenckfeld *l. a. p. 91.* Juxta Samuel. Dale, *Pharmacolog. Part. 3. p. m. 556.* Testes eqvini ad Secundinas pellendas remedium præsentissimum sunt. Commendantur qvoqve in doloribus colicis. Et secundum verba Joh. Bened. Sinibald. *l. a.* Eqvorum testiculi longè majori insigniuntur virtute ad calamitosum inprimis mulierum morbum. Qvippe ad secundas depellendas tantæ existunt efficaciæ, ut Gesnerus in Epist. testetur, rusticum qvendam in qvinqvaginta mulieribus hoc fuisse remediô semper faustè & feliciter usum. Confirmat Horatius Augenius, qvi pariter eventum probavit. Equ.

 Cur

Cur amabo fœtæ omnes mulieres hunc apud se tanqvam athanasion, pulverem non asservant? Tonsoris uxor, decies qvater ægerrimis partubus qvatuordecim Agrippas mortuos ejecit, hujus autem undecimum fœtum Obstetrix prehensis pedibus Collotenus extraxit, relictô in matrice integerrimô puelli Capite. Accedens Henricus ab Heer, visoqve Cadavere puelli jam totis septendecim horis à Capite revulso, pessum applicandum curat. Dein per os Testium eqvi præparatorum, Boracis, ana Dragmam, Croci Scrupulum cum aqva Liliorum alborum propinat, atqve patiens humi jacens qvadrante post horæ Caput relictum tantô impetu ejecit, ut per cubiculum ad octodecim pedes, sphæræ instar ligneæ se rotaverit. Item Uxori militis difficili partu pene enectæ, idem Medicus dedit pulverem testium eqvi in aqvâ liliorum alborum cum Croco & dimidiô qvadrante citiùs Croceo colore tinctissimum puerum enixa est puerpera. v. Heer, *Observ.* 14. *p. m.* 139. *seq.* ubi Secretum hoc ab Horatio Augenio accepisse refert. Rursus Fonseca, *Tom.* 1. *Consult.* 57. *pag. m.* 396. eosdem tanqvam arcanum admirabile ad colicos dolores extollit; ubi præparationem reperies.

§. 14.

Leporis. Leporis testiculos ad involuntariam compescendam urinam, nec non masculinos fœtûs producendos empirici qvidam ex Dioscoride atqve Aetio præscribunt. v. J. Ben. Sinibald. *l. a.* Puerulis continuè lectum permingentibus, jamjam cubitum ituris seqventem pulverem ad Scrupulum unum aut Drachmam semis cum Aqvâ foliorum Qvercûs exhibet Franciscus Joel, *Prax. Lib.* 9. *Sect.* 4. *pag. m.* 354. & ex eo Johann. Franciscus Löw, *de Morbis. Infant. cap.* 64. *pag. m.* 442.

Rp.

Rp. *Testiculor. Leporis* tostor. ℥j.
Guttur. Gall. cremat.
Vesic. porcin. cremat. aa. ℥ß.
Gland. ℈ij.
Semin. Rut.
Fol. Nepeth. aa. ℈j.
F. Pulvis subtilissimus.

Ad calculum frangendum & expellendum testiculos & renes leporis inter alia prædicat Joh. Georg. Macosius, *Promptuar. Mater. Med. Lib. poster. cap. 22. p. m. 353.* Pro confortatione virium à qvartanâ dejectarum, sponso intra paucos dies sponsam in domum thorumqve ducturo seqvens Electuarium præscripsit Christianus Franc. Paullini, *Lagograph. curios. Sect. 3. cap.* 13. *p. m.* 310.

Rp. Condit. Rad. Eryng.
Satyrion. aa. ℥ß.
Nuc. Mosch. condit. No. j.
Succolat. Indic. ver. ℥ß.
Nucl. Pinear.
Avellanar.
Pistac. virid. aa. ℥iij.
Confect. Alcherm. Monspel. ℥ß.
Semin. Urtic. Roman.
Fœnicul.
Pastinac. Sylvestr. aa. ℥iiß.
Testicul. Lepor. & Galli, aa. ℥iß.
Ol. Cinamom. & Caryophyll. aa. gtt. ij.
F. c. s. q. Sacch. in 🜄 Cinamom. solut. Morsuli.

Qvid autem ex his Morsulis alii Viro qvadraginta aliqvot annorum ex errore Pharmacopæi acciderit, *vid. l. a.* Ubi etiam

Uu 3 de

de Testiculis Leporum dictus Autor Arcanum Venatorum recenset: Sunt, inqviens, ex Venatoribus, qvi in arcanis habent, si sub digitis pedum majoribus occultant testiculos leporum, & postmodum nudis pedibus per prata rore adhuc madida, deambulent, persvasi, fore, ut lepores in confiniô odore allecti, tandem ad prata confluant, facilè sic vel retibus, vel globulorum explosione captandi. At successus vix semper respondebit votô. Leporum testiculos fœcunditatem promovere, scribit Ludovicus Bonaciolus, *de Fœtus format. p. m.* 184.

§. 15.

Vulpis.) Vulpis Testiculi sicci pulverisati ex vinô proritant ad Venerem, & conceptionem in muliere excitant, juxta Casp. Schwenckfeld. *Theriotroph. Siles. p. m.* 135. Testes vulpis exsiccati Venerem stimulant intus adsumpti, inqvit Frid. Hoffmannus, *Clav. Schrœder. Lib. 5. p. m.* 692. Et juxta Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 9. pag. m.* 311. Vulpis exsiccati testiculi atqve assumpti, lacertosos Neonymphos præstare possunt, pigros Veneris excitare milites. Rursus ad Parotides, Arthritidem, aurium dolores præpollere, literis consignârunt Medici antiqvi. Seqvens Electuarium Belzero contra Sterilitatem in usu fuit:

Rp. Cortic. Citr. condit.
Zingibar. in Ind. condit. aa. ℥j.
Rad. Eryng. condit. ℥ß.
Pulv. Priap. Cerv.
Testicul. Vulp. ana ʒß.
Spec. Diamosch. d. ℈ij.
Diamargar. fr.
Aromat. ros. c. M. & A. aa. ℈ij.
c. Syr. de Cortic. Citr. f. Mixt.

Ad

Ad Affectus hystericos seqvens Medicamentum ex Henrici Scretæ Curationibus Manuscriptis communicat Rosinus Lentilius, *Miscellan. med. Pract. Part. III. p. m. 136.*

Rp. Testicul. Vulp. pulveris. ℥j.

Radic. Pencedan. ℥ß.

Croc. ℈ij. M. redige in pulverem, qvi ligetur in Syndonem & suspendatur in Collo intra Mammas femellæ. Hoc sacculo ab occultâ qvalitate & vi specifica, tanqvam magnetica, curantur omnes affectus hysterici & ex Drachma semis ejus intro assumti singulis matutinis temporibus, curabuntur epilepsiæ & furones uteri.

§. 16.

Lupi testiculos contra febrem cum euphoria adhibitos recenset Christianus Franciscus Paullini, *Lycograph. cap. 4. p. m. 190.* Virgo, inqviens, aulica poposcit à Venationum Magistro pulverem, qvô se in vicinia celebrem fecerat, antifebrilem. Annuit ille & mittit, ut in vehiculo, qvodcunqve placuerit, sumeret. Illa sanitatis compos reddita astra super extulit divinum remedium. Rogatus verò à Comite suo, ex qvâ re composuisset? aperte dixit: Fuisse Testiculos Lupi in aëre exsiccatos & præterea nihil. Qvantus inde cachinnus! In δυϛοκία seu difficillimo tempore Medicus qvidam parturienti de seqventi pulvere Drachmam unam cum præsentaneo auxilio dedit: *Lupi.*

Rp. Testicul. Lupin.

Fell. Angvill. exsicc. a. ℥j.

⊖ volat. Succin. ℈j.

Croc. orient. ℈ß. M. f. Pulvis. Detur Drachma una in seqventi vehiculo.

Rp.

Rp. ∇. Artemis. rubr.
Caro. aa. ℥j.
Cinamom. ʒß.
Ess. Meliss. ℈ß. M. pro vehiculo.

§. 17.

Galli, Galli Gallinacei Testiculi deperditas in morbis vires mirificè restituere dicuntur, semen prolificum suppeditant & venereas vires roborant, præprimis recentes usurpati, febribus itidem medentur assumpti, juxta Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. 5. p. m. 860.* Et secundum Conr. Gesner. *Hist. animal. Lib. 3. de Avib. fol. m. 392.* Testes Gallorum svavissimi sunt & probum alimentum corpori conferunt. Gallorum lacte altorum testes utiles sunt in Synope ex succis tenuibus, Testes Galli castrati, qvi scilicet castrando eximuntur, laudabiles sunt & faciles concoctu; Langventibus dari consveverunt. Iis, qvi ex Syncope Marasmô contabescunt, testiculos Gallorum dare oportet, perpetuò enim omnibus hecticâ laborantibus commodi existunt, cum abunde nutrire & vires augere possint, ubi probè concocti fuerint; qvapropter id alimenti semper exhibendum est, ubi vires nondum ad extremum collapsæ fuerint, &c. Talia ex aliis Autoribus adducit etiam Sinibaldus, *l. a. pag. 310.* Gallorum testes, inqviens, præterqvam qvòd mirè corpus reficiunt, succum spermaticum abundè reparant; unde segnibus in Venere, ac Neogamis auxiliantur. Ex Trallianô, *Lib. 1. capite de Epilepsiâ,* Comitialibus prosunt; Galli Gallinacei testiculos in pulverem tritos, ex aqvâ & lacte jejuno propinato, idqve diebus qvinqve facito. Pisanellus eosdem ulceribus Urinarii meatus prodesse tradit; & Johannes Khetan conceptionem juvare scribit, etiamsi illos sub lectô conjuges detineant. At ludibrium.

Itali

Itali farcimina ex Cristis & testiculis Gallorum cum sangvine Galli irrotatis parata mirè commendant. v. Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. II. fol. 985. Et fol. seq.* pullorum viperis nutritorum & cum testiculis Gallorum pro alimentô assumptis meminit. Erat Studiosus in Academia Oxoniensi, natione Styrus, qvi contra tertianam varia hactenus ingesserat. Venit tandem Svecus & præsentissimum ei spondet remedium certamqve medelam. Dedit autem iste Testiculos gallinaceos, in pulverem rasos, cum decocto Centaurii minoris, ante paroxysmum, qvi ocyus cessit sine recidiva, v. Chr. Franc. Paullin. *Lycograph. cap. 4. p. 191.* ubi plura.

§. 18.

Anserum Testes si comeduntur, multum ad sobolem procreandam facere dicuntur, inqvit Conradus Gesnerus, *l. a. fol. m. 147.* vid. etiam Sinibald. *l. a. p. 311.* *Anseris.*

§. 19.

Catti nigri, mense Martiô nati, testiculos, & intra annuum tempus eodem Mense exsectos, nonnullas mulieres infantibus loco Amuleti contra Epilepsiam è collo suspendere, reperimus apud Paul. Spindler. *Observ. med. 7. Schol. p. m. 13.* *Catti.*

§. 20.

Sed ne qvis putet, humanos Testes cæteris inferiores atqve inutiliores à naturâ productos esse, sciat, ex illis ab Hermeticis Mumiam confici præclarissimam atqve ad omnes penè morbos pharmacotheon. vid. Crollium ac reliqvos Theophrastæos. At naturæ cunctas vires testibus consignatas & nos ignoramus, & impendio longum describere foret, inqvit Sinibaldus, *l. a.* Interim ad Philtra Testiculos hominum adhibe- *Hominis.*

biberi, ex Mizaldo refert Christianus Joh. Langius, *Oper. med. Tom. II. cap. 19. §. 6. fol. m. 124. annotation.*

§. 21.

Usus Penis. Qvod hactenus de brutorum Testiculis adduximus; eorum scilicet usum medicum sæpius, qvàm humanorum, apud Autores observari, idem etiam circa Penes locum habet; siqvidem Cervi Priapus ad varios morbos commendatur, & *Cervi.* qvidem Johanni Schrœdero, *Pharmacop. Lib. 5. pag. m. 820.* Genitale cervinum est diureticum, Venerem stimulat, Pleuriticis, Dysentericis colicoqve dolore correptis auxiliatur. Datur tum tritum, tum decocto incoctum, vel & aqvam, qvâ genitale ablutum est, exhibere convenit; Id, qvod ipsius Commentator, Fridericus Hoffmannus, *Clav. Schrœd. p. m. 658.* confirmat, Priapus, inqviens, Dysenteriæ & Colico dolori medetur, item in Pleuritide hujus rasurâ in aqvâ Scabiosæ nihil præstantius. In suffocatione uterinâ Priapus Cervi justô æstûs tempore exsectus præsente Paroxysmô, qvantum cuspide cultelli sumi potest in aqvâ appropriatâ, propinatus est singulare remedium. Item sperma Cervorum, qvod ad Priapum in Parastatis reperitur, dum cervus œstrô libidinis percitus in ipsô Coitu globulô perfoditur, ad rem venere-am cum Vinô propinatum valde efficax est. Juxta Reineri Solenandr. *Consil. medicin. Sect. 4. Cons. 19. fol. m. 390.* Usu probatum, ante congressus Drachmam unam pulveris Veretri cervini, excisi, dum in amore est, & exsiccati, exhibitam cum Ovô sorbili & paucô generosô vinô superbibitô, plurimum profuisse. Inter ea medicamenta, qvæ neminem in Pleuritide & Peripnevmoniâ derelinqvunt, Johannis Baptistæ van Helmont Pulverem de Virgâ Cervi & Tauri locat. *vid. Pleura furens, §. 32. fol. m. 247.* Peripnevmoniæ curam præcipuam & absolutam esse in sangvine hirci, vel in pulvere Vir-

gæ

virgæ cervi seu tauri, dicit Christianus Langius, *Patholog. anima. cap. 27. §. 9. pag. m. 299. & 306.* Genitale Cervi sangvine probe expressô abluitur vinô aut aqvâ destillatâ, deinde in furnô probe exsiccatur & reponitur. Cum vinô generosô incitat Venerem, remorantibus urinis auxilio est, & dysentericis salutare. Adversus Pestem & morbum comitialem â nonnullis prædicatur, juxta Casp. Schwenckfeld. *Theriotroph. p. m. 83.* Seqventes usus collegit Conradus Gesnerus, *Histor. animal. Lib. 1. de Qvadruped. fol. m. 386. seq.* Genitale Cervi tritum (Ægineta siccari prius jubet, tum teri, additqve misceri remediis, qvæ ad viperarum morsûs componuntur) & in Vinô potum à viperâ demorsis auxiliatur. Desiccatum & limâ in scobem redactum, cum vinô potum, morsibus Viperæ succurrit. Naturæ Cervi siccatæ & corrasæ si Drachmam unam in sorbitione ovi potaverit, omnis morsus serpentis apud te innocuus fiet. Si qvis cervi genitale ustum & tritum cum Vinô illimat, testibus & pudendo animalis admissarii, vehementius ipsum reddet ad Coitum. Virga arida pota valet contra difficultatem mingendi aut Colicam: Bibitur autem aqva solùm, in qvâ abluta fuerit. Secundum Michaelis Ettmülleri, *Oper. Tom. I. fol. m. 780. seq.* Priapus Cervi multi usus. Attendendum autem, ut colligatur & transfodiatur Cervus eô tempore, qvô in Coitu reperitur, ita enim maximi usus est in stimulandâ Venere, in formâ pulveris ad Drachmam unam assumptus, cum Ovô sorbili & paucô vini generosi. Dysentericus verò usus nullus est, dum hiat in Venerem, ubi potiùs damnum infert: Aliô verò tempore, qvocunqve etiam, si Cervus transfossus fuerit, & Priapus inde collectus, optimum & singulare evporiston est contra Dysenteriam & Pleuritidem. Et qvæ valent de Priapis Tauri, seu bovis & Ceti, ea κατ' ἐξοχὴν dici possunt in Curâ Dysenteriæ & Pleuritidis de hôc priapô Cervi,

vi, sive sub pulvere aut rasurâ, à drachmâ semis ad drachmam unam, in aqvâ appropriata; vel in aqvâ Plantaginis, Menthæ, &c. pro Dysentericis; vel in aqvâ Carduibenedicti & Tussilaginis pro Pleuriticis, addendo parum Laudani opiati, assumatur. Sive recipiatur rasura hujus Priapi & coqvatur, & decoctum exhibeatur ægro; aut decoctione inde paretur Gelatina, expectando sudorem; in qvibus affectibus repetitô usu sunt egregii; utut qvidam Priapum Ceti hisce præferunt. Commodè etiam Electuariis antidysentericis rasurá hæc additur. Idem Autor etiam varias formulas, qvas Priapus Cervi ingreditur, præscripsit. e. g. in Seminis defectu & Impotentia:

Ad Venerem. Rp. Chocolat. Indic. ℥j. ad ℥iß.
Electuar. Diasatyrion. ℥ß.
Condit. Rad. Eryng.
Satyrion. aa. ʒiij. l. vj.
Nuc. Indic. ʒij.
Zingiber. ʒiß. ad ℥ß.
Rasur Priap. Cerv. veneri inhiant. ℥ß.
Cubeb.
Cardamom. aa. ʒj.
Spec. diambr.
Diamosch. dulc. aa. ℈iv.
Sem. Eruc.
Pastinac.
Urtic.
Ling. Avis s. Fraxin. a. ʒj.
Ambr. optim.
Mosch. elect. aa. gr. vj. ad ℈ß. vel ℈j.
c. s. q. Brod. Helen. l. Zingib. l. Syrup de Canell.

f. Ele-

f. Electuarium, tempore Usus cum ▽ magnanimitat. aut ♌. formic. probe irrorandum

Item Electuarium Comitis de Wallenstein.

Rp. Sem. Eruc.
Saturej.
Urtic. aa. ℥j.
Priap. Cerv. in Coitu transfoss.
Ras. Corn. Taur. in Coit. abras. aa. ℥ij.
Ambr. gris. ℥j.
Mosch ℈j.
Confect. Alkerm. ℥x.
Mell. despumat. q. s. f. Electuarium.

v. Mich. Ettmüll. *Oper. Vol. II. fol. m. 986. seq.*

Seqventes Pilulæ in Impotentiâ magica laudantur:

Rp. Virg. cervin. ℥ij.
Bolet. cerv. ℥j.
Borac. Venet. ℈jv.
Ol. Nucist. ℈j.
Anis. gtt. iiij.
Tragacanth.
▽ flor. Hyperic. aa. q. s.

Harum Pilularum singulis diebus, duabus circiter horis ante coenam ab ægrotô in Ore detineatur, ut sensim colliqvescat, tunc demum deglutienda. v. Georg. Abrah. Mercklin. *Syllog. Cas. Incantat. pag. m. 238. seq.*

§. 22.

In Dysenteriâ Ettmüllerus *l. a.* non solum laudat Priapum Cervi, Ceti & Tauri, sed etiam variis formulis immiscet. v. g. *In Dysenteria.*

Rp. Conserv. Rosar. antiqv. ℥ß.
Rasur. Priap. Cerv. ʒij.
Laudan. Opiat. gr. iij.
c. s. q. Syr. Cydon. aromat. f. Electuar.

In formâ liqvidâ præscribitur hic Priapus in Decocto, qvod ad aliqvot Uncias crebriùs haustum similiter est expertum, â qvibusdam in secretis habitum, non tantum per se potando, sed etiam pro vehiculô aliis inservit remediis, v. g. cum eodem Emulsiones parando ex seminibus appropriatis, Semine Papaveris albi, Pineis, Amygdalis dulcibus, &c.

Rp. Sem. Papav. alb.
4. frigid. major. aa. ʒiij.
Amygdal. dulc. ʒij.
c. s. q. Decoct. Priap. Cerv. l. Cet. f. Emulf.
add. 🜃 sigillat. alb. ʒj.
Unic. fossil.
Coral. r. ppt. aa. ℈ß.
Syrup. Papav. alb. ℥ß. M.

Julebus in Dysenteria conveniens.

Rp. Decoct. Priap. Cet. vel. Cerv. ℔iß.
🜄 Cinamom ℥j. ad ℥iß.
Syr. Corallor. Qverc. ℥ij. l. iij. M.

hauritur crebrius, imprimis nocte, est grati saporis & optime convenit. Aliud decoctum ibidem reperies, ut & varios Pulveres dysentericos. v. g.

Rp. *Priap. cervin.* ℥ß.
Rad. Symphyt. major.
Tragacanth.

Nuc.

Nuc. Moſchat. aa. ʒiij.
🜃 Sigillat.
Bol. Armen. ppt.
C.C. uſt. ppt. aa. ʒij.
Zedoar. ʒiß. M. f. Pulvis, &c.

Ingreditur etiam Priapus Cervi Pulverem Dyſentericum Johannis Langii, qvi juxta Pharmacop. Auguſt. *fol. m.* 117. hic eſt:

Rp. Maxillar. Luc. cum dentib.
Priap. Cerv.
Cortic. Granat.
Corn. Cerv. uſt.
Bol. Armen.
Sem. Lapath. acut. aa. ℥j. M.

Seqvens Pulvis dyſentericus in uſu fuit Doctori Ganzlando, Archiatro Saxonico:

Rp. Priap. Cerv. exſiccat. ℥ß.
Corn. Cerv.
🜃 Sigill. rubr. Sileſ.
☿ Diaphoret. fixat. aa. ʒij.
Rad. Symphyt. major. ʒiij.
Zedoar. ʒiß.
Croc. ♂t. adſtring.
Tragacanth.
Nuc. Moſchat. aa. ʒiij. M. f. Pulvis.

Magnæ virtutis in Dyſenteria eſſe decoctum ex Priapo Cervi, Radice Tormentillæ, Succino Maſtiche, radice Symphyti & Semine Papaveris paratum, ſcribit Fridericus Hoffmannus, *Annot. in Petr. Poter. Cent. I. Obſervat. cap. 31. Oper. pag. m.* 55.

§. 23.

§. 23.

In variis affectibus.

Secundum Christiani Johannis Langii, *Oper. med. Part. 1. fol. m. 445.* Pulvis Priapi cervini adhibetur adversus Tormina Ventris, Colicam, Pleuritidem, Dysenteriam ac Diarrhœam; item pro scopo alexipharmacô adversus morsûs venenatos, in Peste, pro Scopo augendi Venerem, cujus langvori tam internè, qvàm appensus aut sub forma linimenti adhibitus succurrere dicitur. Pellit urinam & Calculum. Curat mictum sangvinis; Inservit etiam contra sterilitatem mulierum, cui medetur, si fumus ejus intra genitalia admittatur, promovet partum. Qvicqvid tamen facit, præstat sua gelatinositate ac sale volatili, qvô turget. Scribit etiam Johannes Baptista van Helmont, *Tract. Pleura furens* §. *35. fol. m. 248.* seipsum in Pleuritide statim Cervi genitale carptum sumpsisse, statimqve dolorem imminutum fuisse, &c. Et juxta Thom. Bartholin. *Cent. 6. Histor. 50. pag. m. 279. seq.* Priapus & Cervi & Tauri justô æstûs tempore exsectus singulare secretumqve in Suffocatione Uteri & Colicâ remedium subministrat. Pro hysterica ita procedendum. In ipso Paroxysmô pulveris, qvantum cultri apex capit, in Cerevisiâ calente, vel aqvâ appropriata exhibe bibendum. Ad præcautionem novem orbiculi exinde abscindendi & terni globuli linteo involuti imponantur potorio scypho, ex qvo per hebdomadas tres bibat ægra, ab alio potu interea abstinens. Eo remedii genere qvamplurimæ desperatæ sanitatis & colica passione misere excruciati ad se redierunt. Priapi Cervi pulverisati atqve ad Drachmam seu Ducati pondus, in vino rubro cum euphoria exhibiti, meminit Georgius Abrah. Mercklinus, im Thier-Buch, *Part. 1. cap. 15. pag. m. 82.* Juxta Claud. Deodat. *Panth. hygiast. Lib. 1. cap. 33. pag. m. 341.* Testiculi cervini, ut & Penis ipse, exsiccati & pulverisati valent ad Dysenteri-

terias, Diarrhœas, Lienterias & Pleuritides. Plura vid. Joh. Andr. Grab. *Elaphagraph. Sect. 3. cap. 20. pag. m. 247. seq.* Ingreditur Cervi Priapus Species Diaplantaginis Mynsichti, *cujus vid. Armament. med. chym. Sect. 5. pag. m. 118.*

§. 24.

Priapum Tauri rubri aridum, tritum & præsumptum mulieri aurei pondere fastidium Coitûs afferre; Dysentericis autem utilem esse, dicit Caspar Schwenckfeld. *Theriatroph. Siles. p. m. 64.* Qvæ verba ex Rhase qvoqve recenset Conradus Gesnerus, *Histor. Animal. Lib. 1. fol. m. 110.* ubi pergit: Recentiores qvidam contrà, ut in Viris Venerem excitent, Tauri membrum cæteris hujus facultatis medicaminibus admiscent. Pro stimuló ad Venerem ex Bartholino Priapum Tauri laudat Michael Ettmüllerus, *Oper. Vol. II. fol. m. 985.* Ad stimulandam Venerem pro magno Principe Poma Ambræ præparata fuere, qvorum descriptionem communicat Martinus Bernhardi à Berniz, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Observat. 41. pag. 73.* scilicet *Tauri.*

Rp. Rad. Satyrion, qvarum bulbæ distensæ
& graviores sunt ℥iiij.
Ambr. grys. ℥ij.
Rasur. Priap. Taur.
Sem. Eruc. aa. ℥j.
Euphorb.
Storac. Calamit.
Benzoes.
Succin. alb. aa. ℥ß.
Piper. long.
Cantharid. aa. ℈viij.
Mosch. ℈jv.

Zibeth. ℈ij.

c. Cer. alb. virgin. & Balſ. Vit. Schrœd.

l. Apoplect. Croll. q. ſ. f. Maſſa.

ex qvâ formentur duo Poma, qvæ nocte in lectô manibus tenenda ſunt. Senibus & iis conducunt, in qvibus Calor naturalis imminuitur, & qvi ex Morbo chronicô vel arte qvadam veneficâ in virilitate debiles ſunt facti, ut verſus maritam virili ſuo munere fungi non poſſint: Bovis autem Cerviqve Priapos, ut plurimum minori ſucceſſu ad venerea trahi, ſcribit Daniel Ludovici, *Diſſert. I. Oper. pag m. 210.* In colicô dolore Pudendum taurinum à ſpecifica virtute mirificè juvare, ſcribit Zacutus Luſitanus, *de Prax. med. adm. Lib. 2. Obſerv. 24. fol. m. 47.* Plurimos, inqviens, notavi miſerrimè hoc tormento concuſſos, qvi ſolùm hoc auxiliô ſanitati ſunt reſtituti. Alii ab eô hujus vi ſunt præſervati. Utere eô in pulverem redactô ſcrupuli qvantitate in Malvaticô diſſolutô. Juvenem qvendam pudendum tauri ad Drachmam unam in decocto Rutæ & Salviæ datum ex Votô reſtituiſſe, refert Chriſtianus Franciſc. Paullini, *de Salv. Sect. 2. cap. 2. pag. m. 247.*

§. 25.

Vulpis. Vulpis genitale oſſeum Calculo humano remedium præcipuum vocat Caſpar. Schwenckfeld. *Theriotrop. Sileſ. p. m. 135.* Et juxta Chr. Joh. Lang. *Oper. Part. 1. fol. m. 446.* commendatur tanqvam peſſus ad provocandos Menſes, ſi oleô & bitumine imbutus applicetur. Alii Virgam vulpinam capiti vertiginoſi alligant juxta Chr. Fr. Paullin. *de Theriac. p. 87.* ubi addit Nobilem qvendam Weſtphalum à Judæo Medico accepiſſe ſeqventem pulverem, qvem rarioris ſecreti inſtar contra vertiginem habuit.

Rp.

R. Rasur. Virgæ Vulpis maris, Cerebr. Passer. exsiccat.
N. Mosch. in ▽. Major. per noct. macerat. & siccat.
aa. ʒj.
Sem Cumin. Rom. ℈ij. Ther. cœlest. Cassel. ℈j. Ol.
Lavend. gt. v. M. div. in 4. Dos.

§. 26.

Lupi Virgam fumô siccatam, postea masticatam stimulos excitare vimqve coëundi conferre; ex Schwimmero refert Chr. Fr. Paullini, *Lycograph. cap. 3. §. 13. p. m. 183. & p. 185.* pudendum Lupi intus datum contra suffocationem & Epilepsiam hystericam commendat. Externè idem Autor ad dictum Malum ex Macasio Veretrum lupinum cum testiculis supra umbilicum gestatum proponit. Item Priapum Lupi gestatum contra sterilitatem facere illiusqve fascinationes solvere, ex Hieronymo Cardanô adducit Jacobus Wolff, *Scrutin. Amulet. cap. 2. Sect. 1. p. m. 175.* *Lupi.*

§. 27.

De Rosmari Penis viribus seqventia communicat Thomas Bartholinus, *Cent. 2. Hist. 43. pag. m. 207.* Os pudendi singulare calculosis esse remedium, experientia comprobavit. Pulvis qvoqve ex eodem partum promovet, & Secundinam promptè expellit. Qvod si extremâ penis spongiosi parte tuberosâ & spongiosâ sugatur Cerevisia Stranguriam statim sedare, in urbe nostra compertum est. *Rosmari.*

§. 28.

Priapus Ceti â paucis annis pro summô arcanô dysentericô adhibitus est ex Indorum Orientalium Medicinâ in Europam delatô experimentô, qvi dum freqventer dysenteriâ corrumpuntur, sumptô Priapô Ceti restituuntur, qvod & apud nos sæpè feliciter cessit, ob facultatem suam glutinosam, oscu-

la venarum oblinentem & anodynam vim archei furorem sedantem, juxta Frid. Hoffmann. *Clau. Schræder. Lib. 5. p. m. 699.* Et Michael Ettmüllerus, *Oper. Vol. 1. fol. m. 492.* Priapum Ceti non solùm pro specificô antidysenterico, sed etiam pro optimô antipleuriticô habet. Et *Vol. II. fol. m. 156.* Decoctum Priapi Ceti contra Dysenteriam præscribit, v. g.

℞. Fol. Heder. terrestr.
Plantagin.
Sangvis. aa. Mj.
Flor. Rosar. rubr. p. iij.
Rad. Tormentill. ℥iß.
Rasur. Priap. Cet. ℥iij.
Incisa & contusa coqvantur in s. q. ▽. simpl.
Colatur. ℔iij. add.
▽. Cinamom. ℥j.
Syr. Cydon. arom. ℥ij. l. iij. M.

Decoctum Priapi Ceti Johanni Michaelis, *Oper. pag. m. 616.* specificum est, imò maximum arcanum in Dysenteriâ, in Julepô aut potu ordinariô sumptum, vel cum Syrupô Coralliorum Qvercetani mistum, &c. vid. etiam Christ. Joh. Lang. *Oper. med. Part. 1. p. m. 445.* ubi Ceti virgam seu virilem hastam probe à sordibus omnibus repurgatam, vel ad solem aut calorem fornacis extremè exsiccatam, per plures annos asservari & Usibus medicis, præprimis tanqvam summum arcanum in Dysenteriâ, impendi posse scribit.

§. 29.

Hominis. Ne autem de Priapi seu Penis humani usu medicô planè sileamus; contra Passionem hystericam & Hysteromaniam, qvandoqve Penem vivi & validi Juvenis prodesse, jam supra adduximus, Mentulæ autem Viri defuncti pro hoc scopô usus sane

sane rarissimus erit, nisi qvod de Mentulâ, summô in hysterica passione secretô, reconset Christianus Franc. Paullini, *Obs. med. phys. Cent. 1. Observ. 16. p. m. 24. Et M. N. C. Dec. II. An. 6. App. pag. 6.* Prô certô, inqviens, mihi relatum est, in qvadam confœderati Belgii urbe, fœminam laudabilis vitæ & honestæ gentis, ex inauditô erga defunctum maritum amore, cum qvô amicissimè, licet in sterili Conjugiô, ultra octodecim annos vixerat, membrum, qvô vir fuerat, nemine sciente, ei abscidisse & inter pretiosiora sua argenteæ pyxidi inclusum sanctè custodivisse. Senior tandem facta crebrius passa est dolores hystericos, ad qvos profligandos, cùm nescio apud, qvem singulariter commendatum reperisset pulverem de Priapô cervinô, subitò rata, rariorem sibi in scriniis esse thesaurum. Fecit ergo periculum & rasuram Mentulæ maritalis in vehiculô sumsit, præsentissimô cum levamine. Tentavit sæpius, nunqvam infeliciter. Confluunt aliæ mulierculæ, in eâdem navigantes navi, & semper restitutæ sunt; ut hôc remediô tandem celebrem sibi pepererit famam. Post obitum tandem uxoris Arcanum hoc ab ipsomet ejus fratre detectum est, uti Vir fide dignus, rerumqve naturalium curiosus indagator juratò asseruit.

§. 30.

Contra fascinum Veteres obscœnæ religionis sqvalore fascinati Fascinum Deum seu Priapum, pudendi masculini formâ repræsentatum, ceu fascini fugatorem & propulsorem è collô pueris velut amuletum suspendebant, ut intuentium oculos sic depellerent, & omne fascini genus averruncarent. v. Joh. Christ. Frommann. *de Fascin. Lib. 1. Part. 1. Sect. 3. cap. 4. p. m. 59. item cap. 5. p. 66.* ex Gutierrio Hispano, Priapi imaginem in formâ manûs, pollice sub Indice missô, infantium thoraci in Hispania appendi tradit. *Contra fascinum.*

CAPUT VIII.

De Herniotomia & Castratione.

§. 1.

Castratio. Castratorum eqvidem jam suprà Capite secundo paucis mentionem fecimus; cùm autem de hac materiâ adhuc plura restent, peculiari hoc Capite de illâ agere proposuimus. Notum siqvidem, simul tamen maximè dolendum est, qvàm plurimos mares hinc inde non solùm alterô, sed etiam, inprimis in Italia & Regionibus orientalibus utroqve testiculô simulqve potentiâ liberos generandi Castratione privati.

§. 2.

Causa. Variô autem pro scopô variisqve de causis tam in infantibus & pueris, qvàm adultis talis Operatio & sæpissime absqve ulla ratione institui solet; & primò qvidem v. g. in herniosis. Qvis enim ignorat, plerosqve Herniotomos in qvacunqve Herniâ Scrotali statim ad alterius Testiculi resectionem properare, talemqve curam non nisi Castratione peragere? Modus empiricus. Qvorum modus empiricus hic est: Collocatô ritè super tabulam ægrô, ac Intestinis repositis, abdomen circa vaginalis processûs initium manu ministri comprimitur, ne intestina denuò prorumpant; interim Testiculus ad ingven propellitur, super qvô sectio fit, id est secundum processûs memorati tractum ad longitudinem circiter duorum digitorum transversorum, illæsô tamen processu ipsô, hinc immissis vulneri duobus digitis anterioribus, ille à partibus vicinis separatur, & cum Testiculô atqve vasis spermaticis per vulnus protrahitur. Altiore

tiore verò, qvò poteſt locô, firmiter & filô craſſiore duplici ac Cerâ obductô ligatur, ſubqve ligaturâ cum Teſticulô reſecatur. Vulnus autem, per qvod filum propendet, tam diu apertum ſervatur, usqve dum, qvod ſub ligaturâ remanſit, computruerit ac filum decidat, proceſsûs verò extremum coaluerit; hinc Vulnus lege artis conſolidatur. Vel, juxta Paulum Æginetam, reponitur ægrotans in aſſere ita, ut Caput ſit declive, Ingvina verò in tantum elevata; hoc poſito deinceps ſenſim atqve ſenſim inteſtina in abdomen ſunt reprimenda. His repreſſis miniſter Chirurgi digitis obturat qvaſi rupturam proceſsûs Peritonæi. In Ingvine verò prope Scrotum Chirurgus alterutrâ manu prehendit Cutem leviterqve primò tollit, deinceps verò diſtendit & alterâ manu mediante Cultrô inciſoriô Cutem ſecundum longitudinem diſcindit. Qvô factô Teſticulum cum Vaſis ſpermaticis ſeparat, Vaſa verò ſeparata deinceps chordâ laneâ vel cannabinâ craſſiore firmiſſimè ſtringit. Factâ conſtrictione chordam reliqvam forfice præſcindit unà cum Teſticulô & Vaſis ſpermaticis ultra ligaturam. Deinceps verò deligatur vulnus modo conſvetô, &c. In Sarcocele aut Gangrænâ Johannes Baptiſta Verduccius, Caſtrationem ita inſtituit: *Dans les Operations de la Chirurgie, cap. 8. pag. m. 28.* Le malade etant ſur le dos, ayant les feſſes plus hautes que la teſte, on luy ecarte les cuiſſes, & on luy fait tenir les jambes par des Serviteurs, decrainte qu'en ſe remuant il n'embaraſſe le Chirurgien; On fait, en pinçant legerement la peau, une inciſion ſur le ſcrotum, on ſur le Corps du teſticule; On detache la carnoſité du Dartos, qvi enveloppe le teſticule; on lie les vaiſſeaux entre les anneaux & la tumeur; on Coupe à un travers de doigt de la ligature & l'on emporte le teſticule. On laiſſe un petit bout de fil hors de la playe & l'on ſe garde de trop comprimer les vaiſeaux ſper-

P. Æginetæ.

Verduccii.

ſpermatiqves, ce qvi feroit tomber le malade en Convulſion. Si le Sarcocelle occupe les deux teſticules, & qv'il ſoit dur & Scirrheux avec douleur, il vaut mieux n'y point toucher. Si l'excroiſſance de chair n'a pas d'adherance avec la ſubſtance du Teſticule, & qv'on la ſente mobile en touchant, il faut la detacher adroitement du teſticule & laiſſer plutôt qvelqves membranes de cette excroiſance ſur ſe teſticule, qve de le toucher; & ſi les Vaiſſeaux paroiſſent conſiderablement, on ſera une ligature avant qve de couper l'excroiſſance. On panſe la playe dela méme maniere, qve toutes les autres. vid. etiam Hier. Fabric. ab Aqvapend. *Lib. 1. de Tumor. præt. nat. cap. 28. fol. m. 67. & de Operation. fol. 274.* & juxta Editionem Francofurtenſem, *Part. 1. de Operat. cap. 73. p. m. 293. & Part. 2. Lib. 1. cap. 33. p. 764.* Thom. Fien. *Libr. Chirurg. 10. cap. 7. pag. m. 84.* Frider. de Leanſon, *des Operations en Chirurgie cap. 7. ſeqq. p. m. 15. ſeqq. Edition. german. p. m. 19. ſeq.* Anton. Nuck. *Operat. Chir. Experim. 36. pag. m. 128. La Chirurg. complette de* Monſ. le Clerc. *des Operations cap. 14. pag. m. 302.* Joſeph. Dela Charriere, *des Operations de Chirurg. cap. 11. pag. 80. ſeqq.* Anonymi Trait. *Nouvelle Methode de Operations de Chirurg. cap. 8. p. m. 60. ſeqq.* Mich. Bernh. Valentin. *Polychreſt. exot. diſp. 6. §. 11. p. m. 98.* Johann. Scultet. *Armament. chirurg. Tabul. 39. pag. m. 84. ſeq.* Laurent. Heiſter. *Chirurg. Part. 2. cap. 106. p. 594.*

§. 3.

Non ſemper admittendus. Attamen Caſtrationem ſeu adductum modum empiricum non in omnibus herniarum ſcrotalium ſpeciebus veri Chirurgi & Medici admittunt, ſed tantummodò in Sarcocele, vel Teſticulorum inflammatione & Gangrænâ, aut niſi aliâ vi ejusmodi malum & Hernia inteſtinalis curari poſſit, uti ex

Ver

Verduccio vidimus, qvi loco allegato scribit: *Les testicules sont trop de conseqvence à l'homme pour les perdre sans necessité, & il ne faut jamais amputer ces parties, qu'il n'y ait des occasions pressantes; leur mortification ou le Sarcocelle sont les causes ordinaires, qvi obligent d'en venir à l'operation, lorsqve les remedes n'ont pas été capables de guerir ces maladies.* Qvod confirmat etiam Paulus Ammannus, *Irenic. pag. m. 243.* Herniotomi, inqviens, persvadent vulgaribus, etiam interdum magistratui, exsectionem testiculorum in omni Herniâ esse necessariam, imò artis chirurgicæ fundamenta hoc reqvirere. Deinde persvadent etiam, testes non esse partes nobiles, sed saltem ad bene esse facere, & esse instar verticillorum in fusis, ad impediendam Vasorum seminalium divaricationem. Qvæ omnia falsa sunt. Nam Chirurgia non reqvirit ablationem Didymorum, nisi in Sarcocele, qvoniam testiculi ad Herniæ intestinalis constitutionem nihil faciunt, &c. Et juxta Joh. Scultet. *Armament. Chirurg. Tabul. 39. pag. m. 80.* Herniæ intestinalis sectio duplex est, una fit citra extractionem testis, altera peragitur cum ejusdem deperditione: illam veri cum Medicis Chirurgi, qveis hodie parum fidit ægrotus, bene proponunt, hanc verò circumforanei, qvos æger, spretô melius consentientium consiliô, facilè admittit, valde commendant. Qvamvis Operatio per punctum facta aureum & sectio prior dolore & periculô non vacent, tutiores tamen & tolerabiliores crudeli sunt Castratione; cui Medicus nunqvam debet subscribere, nisi Hernia fuerit carnosa, qvæ, medicamentis frustra usurpatis, excisionem testis reqvirit. Qvod Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *Lib. 1. de Tumor. cap. 25. fol. m. 67.* iisdem fere verbis confirmat. Et Thomæ Fieno, *l. a. cap. 4. pag. m. 82.* in curandâ Herniâ intestinali seu Enterocele (nisi fuerit inveterata,

maxima, aliisqve remediis frustra tentata) Castratio planè illicita & periculis plena videtur. Herniotomiam in Enterocele non immeritò rejiciunt etiam Dionis, *dans le Cours des Operations de Chirurgie p. m. 264.* Laurent. Heisterus, *Chir. Part. 2. cap. 106. p. m. 592.*

§. 4.

Per punctum aureum. Inter præcipuas autem Causas, cur Medici hunc modum cum castratione dissvadeant, referenda est Testiculorum resectio & sæpissimè subseqventes Convulsiones & mors; Qvâ de re etiam de aliâ hernias intestinales curandi methodô fuere soliciti, qvam vulgò punctum aureum vocant, hocqve modô administrant: Repositis nempe reponendis incisio fiat modô empiricis usitatô, pro denudandô processu, cujus qvædam portio à vicinis integumentis separatur ac sub hac filum aureum, aut qvodvis flexile, qvod rubiginem non contrahat, crassitudinis aciculæ majoris traducitur, ut processum vel supra rupturam aut principium laxitatis bis circumvolvat. Hujus extremitates sibi mutuò moderatè intorqventur, ne nimis arctâ processus constrictione vasa spermatica constipentur aut laxiore nimis intestinorum descensus non sufficienter impediatur. Filum hoc totô vitæ tempore inibi relinqvitur & vulnus cum decenti ratione consolidatur: De hac Operatione vid. etiam Anton. Nuck *l. a. Experim. 35. p.* 126. Frid. Leauson. *l. a. cap.* 12. *p.* 32. *seq. Edit. German. p.* 40. Laurent. Heister. *Chir. Part. 2. cap.* 106. *p. 595.*

§. 5.

Ast suspectum. Minimè tamen ab hac methodô desideratum semper successum nec Medici cum Chirurgis, nec ipsi herniosi sunt experti, siqvidem modò à nimis arctâ processus constrictione, præprimis in infantibus, qvorum vasa spermatica qvotidie adhuc

huc crescunt atqve crassiores evadunt, varia symptomata exoriri, vel ob nimiam laxitatem novus Intestinorum prolapsus non sufficienter impediri, vel etiam ob rupturam & lubricitatem membranularum fila aurea vel plumbea locum mutare, atqve ob superjacentium intestinorum pressionem descendere, atqve ita operationem irritam reddere possunt. Qvale exemplum mihi ipsi notum in viro, cui non multum post talem per punctum aureum administratam Operationem denuò Intestina prolapsa erant. Frustraneam qvoqve hanc Observationem in Colonis seu rusticis Helvetiæ, magnis laboribus assvetis annotavit Wolffgangus Christiani, qvi in Manibus Baglivianis, *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Append. p.* 111. ita scribit: Vix ulla gens herniis magis obnoxia est, qvam Helvetiorum coloni. Causa facilis: Vix enim datur gens, qvæ tantos, nedum majores in colendis agris sustineat labores. Absqve Sectione nullum memini me vidisse curatum colonum absqve recidiva, impares enim sunt membranarum fibræ, semel ultra modum expansæ sustinendis conatibus, qvos miseri hinc fodiendo, arando, &c. subeunt, neqve est proportio inter horum violentiam & artificium constrictionis à medicamento factæ. Ob eandem forte rationem in Nosodochio Bernensi usitata est & publica almæ Facultatis autoritate introducta Herniotomia, cum amputatione Testiculi, qvia neqve punctum sic dictum aureum, neqve Thevenini sectio, aut alius qvicunqve servato Testiculo operandi modus visus est sine recidiva sanasse. Monendi porro sunt hac occasione Herniotomi, ut in ejusmodi ruricolis præcipuè processum Peritonæi ligent, qvam proximè fieri potest abdomini, ni cum opprobrio suo in ægris paulò post illorum dimissionem loco Oscheoceles videre velint Bubonocelen.

§. 6.

Alius modus. Unde adhuc alium absqve Castratione hernias intestinales curandi modum excogitârunt Medici, videlicet processum Peritonæi luxatum vel etiam disruptum, intactis Vasis spermaticis, interductâ acu chordâ constringi posse credentes; cùm nimirum dicta Vasa non per Processus cavitatem, sed inter ejusdem membranas descendant. Qvam tamen Opinionem econtrà alii exinde dubiam reddere conantur, qvò scilicet ob eandem rationem, (dum nimirum, dicta vasa per processus membranas percurrant,) talis operatio ob arctam membranularum & vasorum spermaticorum connexionem non modò difficillima & ferè impossibilis sit, sed etiam, qvod membranæ processus post ejusmodi, mediante acu factam. (si qva possibilis esset) separationem, eò tenuiores fiant, ut adeò vel in ipsâ processus constrictione, vel paulò post, à superjacente intestinorum pondere facillimè disrumpi atqve Operationem frustraneam reddere possint. Accedit, qvòd Herniotomi hanc novam & adhuc incognitam secandi methodum variis de caussis, sine præeunte Magistrô, tentare recusent. Unde etiam aliàs notus satisqve celeber Operator ac Herniotomus, Johannes Andreas Eisenbarthius, cùm Anno 1693. die 27. Januarii, ad mandatum Electorale, pro impetrandô artis suæ exercendæ Privilegiô, in Præsentiâ Dominorum Commissariorum & Archiatri, Beati Henrici Erndelii, in Curiâ Dresdensi à me examinaretur, inter alia, ad qvæstionem, annon herniæ intestinales absqve Castratione & sine punctô aureô curari possint? respondebat: Se qvidem hanc de acûs inter processum Peritonæi & Vasa Spermatica traductione sententiam seu methodum ab aliqvot Medicis speculativis percepisse, ipsam autem Operationem nunqvam vidisse, eandemqve ob supra adductas rationes potiùs vanam & frustraneam judicare.

care. Imò, se certo cuidam Medico ipsum ad talem sectionem absqve verô fundamentô & avtopsiâ persvadere conanti, centum Ducatos promisisse, addebat, si ipsi talem Enchiresin in subjectô vivô herniosô monstrare, aut, qvòd ipse hanc operationem feliciter administrare viderit, juratò affirmare posset. Qvod tamen hactenus non factum esset.

§. 7.

Silentio tamen involvere non possum, qvod in duobus subjectis herniosis avtopsia me docuerit. Anno scilicet 1695. Virum qvendam qvadra inta aliqvot annorum, nomine Gau, secare licuit, qvi duplici herniâ scrotali, in utroqve nimirum latere, ad Capitis infantilis seu Urcei pyriformis, Cantharum unum cum dimidio capientis, magnitudinem expansâ per, aliqvot annos laborârat, ita, ut in altero Scroti latere Intestina, in altero verò Omentum prolapsa in Sectione apparerent. In utroqve dicti Viri latere Vasa spermatica ad Calami scriptorii crassitiem à disruptô Peritonæi Processu remota, seu distantia mihi cum Chirurgo & Hernictomô nostrô, qvi simul ad sectionem reqvisitus fuerat, observare licuit, ut adeò dicta Vasa facillimè & absqve metu rupturæ hujus Processus (siqvidem illius membranæ circum circa ejusdem adhuc erant crassitiei) per se & sine vasorum spermaticorum attactu constringi possent. Qvam qvoqve Operationem dictus Chirurgus in sinistrô ejusdem subjecti latere similiter affectô, meô jussu, tentaminis gratiâ facillimè & celeriter peragebat. Post qvinqvennium Anno 1700. die 2. Februarii, qvô vir qvidam plusqvam sexagenarius, cui nomen Buchnerus, ex notâ Buchneri familiâ ortus, qvemqve pariter duplici herniâ laborasse noveram, naturæ tributum solverat, ab ipsius uxore obtinere vix poteram, ut mariti sui sectionem curiositati meæ concederet. Qvâ deniqve concessâ statim, ne uxorem promissi pœniteret, di-

Observationes in Herniosis.

Alia.

ctum Chirurgum duplicis herniæ iterum visendæ & demonstrandæ gratiâ accersendum curabam; in cujus & aliorum, qvi simul aderant, præsentiâ, præter alia rariora (de qvibus in Lithologiâ nostrâ agemus) duplicem Herniam â magnâ utriusqve processus laxatione seu extensione ortam, Sectione deteximus; ubi iterum Hernias tales, meâ qvidem sententiâ, absqve Castratione secari atqve curari posse, demonstrabam. Siqvidem in hoc qvoqve subjecto Vasa Spermatica nec Processuum pæritonæi cavitatem, nec eorundem membranas pertransibant, sed communi saltem tenuiqve membranulâ, hîc itidem satis laxâ iisdem erant annexa; ita tamen, ut statim & sine magnô labore separari, atqve hac separatione Vasorum & Nervi, à peritonæi processu factâ, Processus facillimè per se ligari atqve constringi posset; & hôc qvidem cum emolumentô, ut nullus supervenientis Convulsionis aut nimii doloris ipsiusqve mortis metus supersit; qvæ symptomata aliàs à nervis & vasis unà constrictis in vulgari methodô sæpissime occurrunt.

§. 8.

Autoris sententia. Nemo itaqve, ut spero, mihi vitio vertet, si ob recensitas Observationes & adductas rationes hujusmodi Herniotomiæ possibilitatem mihi persvadeam; & qvamvis, in Viris non herniosis, sed sanis, Vasa spermatica à processu Peritonæi non adeò, ut mihi videre contigit, distare libenter concedam, minimè tamen dubito, qvin in aliis qvoqve herniosis, imprimis herniâ majori aut diuturnâ laborantibus, ob dilatationem membranarum & affluxum humorum, similis Vasorum spermaticorum à processu distantia observanda fuerit. Posset etiam aliqvis objicere, ad hanc operationem, pro meliori dictorum Vasorum separatione, plus temporis, qvàm ad methodum empiricam, reqviri; ad qvod tamen respondendum: exercitato

Ope-

Operatori hanc enchiresin fore facillimam; & licet tantillum temporis impendere teneatur, hoc tamen majus commodum, tam ratione evanescentis Convulsionum & mortis metûs, qvàm intermissæ castrationis compensabit.

§. 9.

In qvâ sententiâ me qvoqve ante biennium circiter confirmavit Operator qvidam natione Gallus, (cujus nomen memoriâ meâ excidit,) ex Thermis Carolinis huc Dresdam veniens, atqve, qvò artis suæ exercendæ permissionem haberet, me accedens; qvippe qvi inter alia de Herniæ intestinalis secandæ methodô interrogatus, se neqve per Castrationem, neqve per punctum aureum, sed per solam processus Peritonæi, absqve vasorum spermaticorum tactu seu læsione, factam ligaturam, hanc Operationem peragere, sanctâ contestatione respondebat. Cumqve ipsi modò adductas Observationes meamqve de sectionis modô opinionem recenserem, ipse non modò possibilitatem affirmabat, sed mihi etiam hanc methodum, simul ac Vir qvidam herniosus suæ se curæ committeret, monstraturum esse promittebat, post paucos verò dies dehinc Berolinum abibat. Erat aliàs hic homo in arte suâ & aliis scientiis satis peritus & curiosus, insuper modestus, nec more agyrtarum jactabundus. Sicuti autem nemini Herniotomorum, absqve præviâ & meliori informatione, aut herniosorum sectione, hunc secandi modum obtrudere volui, ita pro meliori ejusdem indagatione & exercitiô eandem Medicis Anatomicis & Operatoribus committere debui. De hac tamen materia prolixe suoqve more, secundum fundamenta anatomico-chirurgica agit Johannes Bohnius, *de Offic. Medic. duplic. Part. 1. cap. 22. pag. m. 519. seqq.* Operatoris.

§. 10.

§. 10.

Le remede de Chabriere.

Hernias absqve Castratione curandi arcanum in Gallia ante aliqvot annos invenit Prior qvidam, qvod in Spiritu Salis & in Emplastro qvodam consistit, cujus descriptionem & modum Hernias tractandi communicat Dionis dans le Cours d' Operations de Chirurgie Demonstr. 4. *pag. m. 223. seq.* sub titulo: Remede du Prieur de Cabrieres pour les descentes, donné au public par la bonte du Roy.

§. 11.

Castratio Arietum.

Non possum, qvin hoc loco peculiarem qvendam modum Arietes vel agnos castrandi ex Robert. Boyle, *de Philosoph. experiment. Utilitat. Exercit. 5. cap. 12.* §. 4. *pag. m. 297.* inseram: Opiliones, inqvit, qvidam periti peculiarem modum tenent castrandi Arietes aut agnos eò adultos, ut citra periculum usitatô modô castrari non possint. Servus qvidam meus in hac ipsa praxi exercitatissimus ejus descriptionem seqventem mihi depinxit: Brutum castrationi idoneum à virô robusto sursum vellere attollitur: alius autem chordam qvàm firmissimè (nodis binis, ne ligatura forte laxetur, factis) supra Testiculos contrahit, non secus, ac si eosdem chordâ resecare animus esset: parte hac Butyrô recenti aut aliô conveniente remediô inunctâ Vervecem pastum dimittit; qvi non obstante arctissimâ ligaturâ, brevi cibum suum, utplurimum avidè devorare solet: Duorum autem aut trium dierum spatio, Testiculi, arctâ ligaturâ Nutrimentô & spiritibus cæteroqvin ad eosdem delatis privati, adeo putrefiunt, ut aut sponte suâ unà cum chordâ decidant, aut commodissimè eximi possint, & nonnunqvam ad cadaveris similitudinem gravissimè fœteant.

§. 12.

§. 12.

Deinde dantur etiam alii ſcopi aliæqve cauſæ, cur tum infantibus, tum adultis modò alter, modò uterqve teſticulus exſcindatur, v. g. pro multorum liberorum generatione impediendâ, vel pro velociori curſu promovendô in filiis Hottentottorum, uti ſuprà ex Wilhelm. ten Rhyne *de Promontor. Capit. bon. ſpei: cap. 22. p. 64.* & *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. pag. 82.* allegavimus. Vel pro pœnâ vitæ diſſolutæ, imprimis in Islandia, uti legimus dans le Journal des Sicwans, *Tom. XI. pag. m. 126.* Qve ceux, qvi par leur mechante conduite ſont reduits à la pauveeté, ſont condemnez par la loy du païs à eſtre chaſtrez jusqves mêmes au dangeur de leur vie, de peur, qve dans cet eſtat de miſere ils ne mettent au monde des Enfans, qvi dans la ſvite ſervient à charge au public. Vel pro refrœnandâ libidine & ſervandâ Caſtimoniâ, vel ex maniâ, vel pro ſuſpicione evitanda, vel pro vocis ſvavitate, &c. qvalia exempla jam capite ſecundo & tertio recenſuimus. Caſtratione & virilium abſciſſione olim adulterium punitum legimus apud Henr. Salmuth. *Commentar. in Gvid. Pancirol. Rer. memor. Lib. 2. Tit. 2. p. m. 86.* Ægyptii enim in adulteriô deprehenſis virilia amputabant, uti ex Franciſco Boſello, *Amalth. med. hiſt. Apparat. 2. cap. 11. p. m. 192.* jam ſuprà adduximus. Deniqve plurimi etiam caſtrantur, imprimis in Regionibus orientalibus, ut Gynæceis atqve Magnatibus pro Miniſtris intimis inſerviant, talesqve vocantur Evnuchi & Spadones. Pro hoc ſcopô autem Caſtratio jam dudum in uſu fuit, uti hinc inde teſtatur Scriptura ſacra, & Autores profani. Inqvit enim Thomas Garzonus *nella Piazza univerſale cap. 132. pag. m. 363.* Il Meſtiero d'Caſtradori, qvanto all' Antichità, ſi puèr dir nobile, perchegli Evnuchi, i qvali ſone giovani caſtrati, ſono nelle vecchie hiſtorie più

Caſtrationis alia cauſa.

volte commemorati, come in qvella di Hester si fà mentione di Thare & Bagata Evnuchi regii, & ne' gesti de' Persi sono nominati più voltegli Evnuchi del Rè Dario, usando massimamente qvella natione per la custodia delle loro donne qvesta specie d'huomini, come fà hoggidi il gran Turco nel suo seraglio, i qvali son riputati come femine, peresser loro levate le parti virili, &c. Qvod suo exemplo confirmat Nobilis qvidam è Galliâ Narbonensi oriundus, qvi iter faciens atqve in Turcarum potestatem redactus in Thraciam fuit deductus, ac Principi cuidam donatus, à qvò non barbarè (ut aliàs barbari solent) sed, qvod propter ætatem formamqve Gynæceo destinaretur, qvovis humanitatis genere fuit exceptus. Factum itaqve fuit, ut hic tam ciborum potuumve varietate, qvàm abundantiâ, in somnum inciderit integri tridui: qvô elapsô expergefactus ac lotium excernere cupiens castratum se vidit, ac tum demum non fine maximâ perturbatione animadvertit, qvamdiu somnô jacuisset obrutus, nec non qvidnam in causâ fuerit, ut tam opiparô copiosôqve exceptus conviviô, ac qvonam cibi genere tum altô correptus fuisset somnô. Rediit tandem ad suos & hanc attulit causam, cur nuptiis facilè carere posset, referente Johanne Wierô, *Oper. Lib. III. de Lamiis cap. 17. pag. m. 225.* Imperatorem seu Regem Sinensem non nisi Evnuchos pro Ministris Statûsqve Consiliariis habere, atqve non nisi castratos ad ipsius familiaritatem & Colloqvium admitti; imò in eâdem aulâ perpetuò ad decem millia Evnuchorum ministrantium reperiri, scribit Johannes Neuhof, *Itinerar. Ind. p. m. 294.*

§. 13.

Membri totius resectio. Alii solâ Castratione seu Testiculorum exsectione non contenti ipsum Penem vel etiam totum Membrum resecari curant, v. g. In Turciâ & Imperiô magni Mogolis Impera-

to-

res atqve Magnates in usu habere solent, ut iis, qvibus Uxorum, concubinarum & aliarum fœminarum Custodia atqve ministerium committitur, non modò Testes antea sint excisi vel attriti, sed etiam, pro evitandâ omni suspicione, Penis & Scrotum sint recisa. vid. Franc. Rosset. *de Part. Cæsar. Sect. 4. cap. 6. Hist. 2. pag. m. 103.* De hac materiâ seqventia commemorat Petrus Bellonius, *Observ. Lib. 2. cap. 29. fol. m. 189.* Vulgare est Turcis, ut etiam olim Romanis Evnuchorum ministeriô uti: illud mirum, inventum id esse mulieris. Semiramis enim Regina, celebris illa bellatrix, multos adolescentes castrari jussit, qvos dein Gynæceo suo præfecit: ab illa posteri eam consvetudinem observârunt in Imperiô sibi subditô. Credimus, Turcas, cùm primùm Evnuchos castrârunt, Testes duntaxat amputare solitos, veterum Romanorum more, qvi Veretrum non præciderunt; at grandiores facti robustioresqve fœminas, testibus licet resectis, inibant, ut etiam qvorundam Imperatorum uxoribus eâ causâ gratiores fuerint; generandi enim facultatem non habebant. Obscœnum est, propterea haud plura. Turcarum Imperator intelligens, eos, qvibus præfecti Testes essent, suis uxoribus & concubinis voluptatem afferre, in posterum Penem cum testibus resecare jussit. Sunt, qvi aliam rationem referunt; Imperatorem videlicet castratum eqvum inire eqvam conspicientem, occasionem eâ, qvâ diximus, ratione castrandi sumsisse, &c. Plura ibidem de Evnuchorum functionibus reperies. Ex Tavernier. Itinerario qvoqve refert Rosinus Lentilius, *Jatromnem. Part. 1. cap. 34. pag. m. 647.* qvòd Solymannus II. Turcarum Imperator, in itinere videns eqvum castratum nihilo segnius eqvam conscendisse, ne communi more extesticulati spadones idem in Gynæceô tentarent, primus fuerit, qvi omne, qvod ex abdomine prominerer, rescindi mandavit, qvem in

Imperiô Successores hactenus sunt imitati. Hanc resectionem partium genitalium confirmat etiam Gislenus Busbeqvius, *Epistol. 3. Oper. p. m. 184.* Qvi Turcarum, inqviens, potentiores sunt & freqvens habent Gynæceum, ejus custodiæ Evnuchos apponunt, non modò Testibus captos, sed totô cole; alioqvi simplicibus Evnuchis se parùm tutò mulieres suas putant committere, qvod eis superet, qvô delectare possint, qvamvis ad generationem non sint pares. De hac apud Turcas consvetâ Castratione ita scribit Dionis, *dans le Cours d'Operations de Chirurgie Demonstrat. 4. pag. m. 265.* L'on excuse les Turcs chez, qvi la Castration est en usage : la pluralité des femmes, qvi leur est permise par leur loy les engage d'avoir plusieurs domestiqves pour les garder, & comme per la chaleur du Climat les femmes de ce païs sont fort amoureuses, & qu'au defaut du mari elles satisferoient leurs passions avec les esclaves, ainsi qu'il est arrivé trés-souvent, ils font chatrer ces esclaves avant qve de les mettre avec leurs femmes, & on les appelle pour lors des Evnuqves, à qvi l'on coupe en ce tempscy la verge avec les testicules, de crainte qu'ils ne se servent de cette partie pour badiner avec elles. Et Johannes Riolanus, Comment. in Johann. Fernel. *de Procreat. Homin. cap. 3. p. m. 234.* dicit: Cum Turcæ ab Evnuchis compressas virgines observârent, qvas illorum fidei & custodiæ committebant, testes illi reliqverunt, sed Veretrum amputârunt, suo & Evnuchorum commodo: Sic enim intacta & illibata manet Virginibus pudicitia, & Evnuchis virilitas relinqvitur, qvæ priùs cum testibus eripiebatur. Ante aliqvot annos in Aula nostrâ Electorali sustentabatur qvidam Æthiops seu Nigrita, nomine Alexander, per cannulam Urinam suam mittens, in cujus defuncti Cadavere neqve testes, neqve penis, neque vestigium qvidem partium externarum generationi inservientium apparebant.

§. 14.

§. 14.

De officiô Castratorum in Aulâ Regis Persiæ scribit Engelbertus Kæmpferus, *Amœnitat. exotic. polit. phys. medic. Fascicul. I. Relat. 14. pag. m 202.* Gynæceum Castratos nigritas alit circiter qvingentos, nec omnes tamen præsentes. Nam à Rege missi peregrè vagantur, alii exploratores, nuncii, inspectores, custodes; alii suâ sponte foras, impetratâ Veniâ, recreationibus vacant, aut pro gloriâ nominis in construendo occupantur opere publicó, velut hospitiô, balneô, ponte & similibus. Et *pag. 204.* Singulæ, inqvit, Concubinæ pro meritis suis certo gaudent numerô Castratorum, sibi ad ancillandum datô. Item Nigri Spadones dignitatibus & variis, qvæ gerunt, officiis distingvuntur. Primatum obtinet Mehter, qvi supremus est cubicularius & Gynæcei magister; Secundus est ab eô Kasinadaar, vel thesaurarius; qvem excipit Aseb basji, ephorus hæredis Regii; hunc Isjik agasi, sive summus Gynæcei janitor; sed is plerumqve est evnuchus albus. Inter primores qvoqve numerant Receptorem redituum Regiæ matris, qvos tribuunt Christiani Sulfensis suburbii; tum qvi Regis triclinio inserviunt, pocillator, dapifer, & lateris stipatores cubicularii, qvi sigillum, arcum, pharetram, sagittas, sclopetum & crepidas porrigunt. Sunt ex Spadonibus, qvi res administrant conjugum, & primariæ notæ pellicum; sunt Pædagogi & inspectores Regiæ sobolis ex matrimoniô seqviori; sunt, qvi religionem, scriptionem, lusûs, artesqve varias inculcant fœminis. Non desunt, qvi novitias aulicis instruunt moribus, anteqvam Regi offerantur: ex his unus est formæ corporis æstimator, cingulum habens, cujus si mensuram Ventris crassities excedat, cibis eas interdicit, saltem aqvâ & oryzâ alendas, donec abdomina ad ambitum cinguli gracilescant. Sunt ex Cubiculariis, qvorum cura in eô versatur, ut singu-

Castratorum officium.

lis vesperis, ex gremio Gynæcei, concubinas duodecim planè ad sacrum Imamorum numerum, comendas ungendasqve curent, pro cubiculi Regii custodiâ, si fortè ex his sociam lecti Rex desideret. Sunt alii, qvi curant publicationem Khorunchi, i. e. abactionem masculi sexûs, sexenniô majoris, à viis, per qvas Rex ire cum fœminis constituit. Cœteri Magnates cum fœminis suis peregrinantes, vel noctu abeuntes ad balnea, saltem, spadonibus immediatè præmissis, fugam capessendam voce Khorunch! annunciant; qvâ per plateam resonante, qvisqve ad latebras recedit. Evnuchorum senili Consilio ac Matris præcipuè assessu Rex in rebus agendis, etiam publicis, freqventer utitur, & qvæ in regnô molienda veniunt, cum hac effœminatâ curiâ deliberat. Aliqvando foris in Senaculo conclusa ad Matris & nigritarum ingenium & svasum mutari accidit, &c.

§. 15.

Castrati Spadones & Evnuchi qvomodo differant.

Secundum hactenus adducta, Castratorum, Evnuchorum atqve Spadonum vocabula plerumqve promiscuè atqve pro Synonymis habentur, cùm ab aliis Autoribus, nihilominus inter se discrepantibus, à se invicem destingvantur. Deinde occurrunt apud Medicos adhuc alii, Testiculorum attritione & contusione laborantes, Thlibiæ & Thlasiæ dicti, qvos nonnulli Autores cum Spadonibus confundunt, qvapropter ipsorum verba & judicium, qvid de eorum potentiâ, adoptione & matrimonio sentiant, prolixè adducere liceat. Caspar à Reies, *Camp. Elys. Qvæst. 28. §. 2. pag. mi. 597.* illos propriè Evnuchos vocari dicit, qvi sine testibus nascuntur, & posteà crescentibus annis in eôdem statu permanent, qvod de Dorotheô, Antiochenô Præsule, & Eusebiô idem Autor refert, qvem ideò verè Evnuchum vocat. Qvi autem ante pubertatem testiculis privantur, Reiesio Spadones dicuntur. Secundum

dum Paulum Ammannum, *Irenic. pag m. 145. seq.* Spado propriè Medicis dicitur; cujus nervi, qvi Membrum genitale & Musculos acceleratores erigere debent, à qvacunqve causâ vel morbô convulsi sunt. Fornerius Spadones ab Evnuchis ita distingvit, ut Spadonum nomine Thlibiæ Thlasiæqve comprehendantur, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, i. e. à convellendo, non qvidem de industriâ, sed ob morbum necessariò exsecti, vel qvi naturâ ob frigus coëundiqve imbecillitatem gignere neqveunt; Evnuchi verò seu Castrati definiantur consultò, nullâqve necessitate impellente mulctati damnô virilitatis, vid. Basil. Fabr. *Thesaur. Lingv. latin. Edit. Cellar. sub Spado.* Juxta M. Ant. Ulm. *Physiolog. Barb. Sect. 3. cap. 4. fol. m. 213.* Thlibiæ & Thlasiæ ii sunt homines, qvibus testes fracti & contusi fuere; Spadones, qvibus exsecti vel extracti sunt. Evnuchus nomen qvasi commune utriqve stat. Hollerio sunt Evnuchi, qvi nati sunt sine testiculis, vel qvibus ante pubertatem testiculi sunt exsecti & aliqvando totus coles, vid. Joh. Schenck. *Observ. Lib. 4. fol. m. 525.* Εὐνοῦχοι, qvi ab ortu Testiculis carent, βάκηλοι, qvi aliqvando viri fuerunt, Schenck. *l. a.* Autor qvidam Gallicus C. d' Olincam in Tract. de Evnuchis, vocabulum Evnuchi pro generali habet, ita ut Evnuchus sit ille, qvi non possit generare, vel propter infirmam aut frigidam naturam, vel cui partes, generationi inservientes, sunt abscissæ. Et licet varia Evnuchorum genera recenseat, ipse tamen hæc omnia sub Spadonis nomine comprehendit. vid. Act. Erudit. Lips. *An. 1708. Mens. Jul. pag. 308. seq.* & ibidem *pag. 310.* non modò de Evnuchorum apud Reges & Principes dignitatibus agit, sed etiam illos, qvi reverà secti non fuerunt, sed in locum Evnuchorum, ratione officiorum, qvæ antea castrati sustinuerant, successerunt, nonnunqvam in sacrâ Scripturâ Evnuchos fuisse appellatos, docet.

Ipsum

Ipsum enim Potipharem non revera fuisse castratum, vel exinde patere, qvod uxorem habuerit, nec non filiam, qvæ postea, ex nonnullorum sententiâ, Josepho nupserit. Porrò, Evnuchum naturâ talem vocat Christianus Hebrichius illum, qvi neqve titillatione, neqve ostentatione corporis nudi uxoris, neqve ullô modô ad prælium in Castris venereis accendi poterat, licet penis debitâ magnitudine & conformatione, & Didymi magnitudine Ovi columbini æqvantes à facultate Medicâ deprehenderentur. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 4. Observ. 32. p. 86. seq.* Paulo Zacchiæ, *Qvæst. med. legal. Lib. 2. Tit. 3. Qv. 7. fol. m. 243.* Spado propriè dici videtur debere is, cui arte ambo Testiculi, vel alteruter, excisi sunt. Spado enim à verbô Græcô, qvod evellere aut abscindere significat, derivatur. Improprie autem & abusivè Spadonum appellatio latè patere videtur, omnes enim, qvicunqve testiculis, unô vel ambobus carent, aut ex eorum vitiô ad Venerem impotentes facti sunt, Spadones appellantur, atqve hôc modô sumptum Spadonis nomen Generis potiùs videtur, qvàm speciei peculiaris. Imò, pergit idem, non ii solùm, qui uno vel ambobus Testiculis carent, Spadones vocandi erunt ad Legum mentem, sed & Castrati & Evnuchi & Thlibiæ & Thladiæ, & si quos alios hujusmodi esse constet, &c. ubi plura: Item illos, quibus ignava sunt genitalia, sive hoc à naturâ, sive casu aliquô experiantur, Evnuchos atque eviratos nuncupavit Hippocrates, aliàs etiam peculiari nomine Spadones appellantur. Vid. Fortunat. Fidel. *de Relation. Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 3. p. m. 360. seq.* Secundum Paul. Æginetam, *Operat. Lib. 6. cap. 68. fol. m. 303.* Evnuchismi seu Evnuchos faciendi duplex ratio est, fit enim vel contusione, ubi puerorum adhuc infantium in aqvam calidam collocatorum testiculi digitis premuntur vel contunduntur, usqve dum abo-

le-

leantur vel evanescant, atqve ejusmodi Evnuchi vocantur Thlibiæ & Thladiæ; alter modus fit excisione, & taliter privati vocantur Evnuchi, Spadones, excisi, exsecti, semiviri, castrati, &c. Non autem tantum digitis juxta allegatum Æginetam, sed etiam fissâ ferulâ Veteres testiculos comprimebant, & ita paulatim eos constringebant. v. Theophil. Bonet. *Polialth. Tom. II. Lib. 4. cap. 71. fol. m. 1151.* Et Casparus Zieglerus, *Not. in Paul. Zacch. Qvæst. l. a.* scribit: Admodum variè ista vocabula, accipi & inter se confundi, certum est, ut difficile sit, genuinas eorum differentias exponere. Nihilominus tamen apud Dominos Jurisconsultos differentia qvædam inter Spadones & Castratos observatur, uti partim in jam allegatis Autoribus, partim in Zieglero videmus, qvippe qvi ita pergit: Spadones à Castratis distingvi ex pluribus Juris civilis textibus patet. Castrati enim à Nuptiarum & liberorum jure arcentur, nec adoptare, nec posthumum hæredem instituere possunt; In Spadonibus verò diversum obtinet. Nec perpetua tamen, pergit idem Autor, ista est differentia, cùm Spadonis vocabulum sæpe castratum denotet. Conqveritur etiam Facultas Theologica Regiomontana Leges interdum nullam differentiam observare inter Evnuchos, cum tamen jure meritò discrimen aliqvod habendum sit, qvia scilicet arduum est, differentiam in omnibus dignoscere. vid. Mich. Bernhard. Valentin. *Novell. Medico legal. Cas. 6. pag. m. 142.* in qvo Responsa plura de differentia Spadonum & Castratorum reperies. De hac materiâ, imprimis de differentiâ inter Spadones, Evnuchos & Castratos satis perspicuè loqvi videtur Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 5. Tract. 3. cap. 3. pag. m. 321.* & qvidem verbis seqventibus: Differunt Spadones ab Evnuchis & Castratis, quòd illi à natura impotentes sunt, vel qui à parvis omninò attritisve te-

stibus sunt, aut meatus seminis cæcos, ut ajunt, obtinent; illi qvidem parum omninò seminis & infœcundi etiam producunt: his verò omnis humori prolifico transitus intercipitur. Adhuc Evnuchi à naturâ & castrati, arte collisi, aut exsecti generari non possunt. Spadones, si ob meatûs obstructos & cæcos impotentes sunt ab ætatis principiô, naturâ vigescente, vasaqve calore dilatante & aperiente, aliqvando à sterilitate liberantur & concipiunt; & qvidem apud Aristotelem tum alibi, cùm præsertim *Sect. 4. Problem. 28.* Spadones peculiari nomine appellantur, qvi seminis meatûs cœcos habent. Adhuc Spadones illi dici debent, qvi eodem modô præpediti testibus sunt ex aliqvâ naturali causâ; vel qvia testes parvi omninò sunt, vel qvia ex defectu nutritionis nimis emaciati aut aliqvô modô simili affecti: ex qvô neqveunt generationi operam navare: sed futurum fore, ut aliqvando possint, non desperant, evictô morbô & superante naturâ. Quod autem verissimum id sit, quod asserimus, vel ex eô patet, quod Justinianus castratis adoptationem denegavit, ut, qui nullam futuræ prolis spem possent nutrire: Spadonibus permisit, ut, qvi temporali tantummodò sterilitate offensi, fœcunditatem, ut diximus, in futurum recipere valent. Atqve ut unô verbô rem totam complectamur, in Castratis & Evnuchis est negatio fœcunditatis, in Spadonibus privatio tantum. Et hinc insuper moneri possumus, cur Spadones, licet infœcundi, aliquatenus tamen concumbant ac delectentur etiam: Siquidem cum obstructos meatûs habeant, per hos quidem portio Seminis crassior atque adeò fœcunda permeare nequit; at potest per eosdem serosi aliquid humoris delabi, qui aliquatenus pruriat ac titillet, nec non Venerem quoquô modô excitet; Quod idem castratis etiam contingere potest, si testes undequaque attriti aut exsecti, ut sæpe accidit,

dit, non sint. Hæc Sinibaldus. De Spadonibus etiam sequentia habet Paulus Ammannus, *Irenic. pag. m. 136. seq.* & quidem ex Lib. 128. ff. de verb. Signif. Spadonum generalis appellatio est, quô nomine tam hi, qui naturâ Spadones sunt, (ut ἀνόρχιδες, qui sine testiculô nascuntur, μικρόρχιδες, i. e. quibus testiculi sunt magnitudine ciceris aut fabæ. Item Thlibiæ (habent testiculos collisos, wie ein Klopf-Hengst,) Thlasiæ (quorum Testes sunt attriti) sed & si quid aliud genus Spadonum est, continentur. Et Lib. 6. §. 2. ff. de Ædil. Edict. Spadonem morbosum non esse, nec vitiosum, verius mihi videtur, sed sanum esse, sicuti illum, qui unum habet testiculum, qui etiam generare potest. Si autem quis ita Spado est, ut tam necessaria pars Corporis ei penitus absit, morbosus est. Hos terminos denique etiam Johannes Calvinus, *Lexic. Jurid. fol. 152.* & quidem tam in genere, quàm in specie ita explicat: Castrati dicuntur, qvibus virilia excisa sunt. Item, castrati propriè dicuntur, quibus Penis ipse cum testiculis est excisus. Evnuchi propriè dicuntur lectorum custodes & cubicularii, non Spadones. *fol. 338.* Spado in specie is dicitur, qui aliquô corporis vitio impeditus generare non potest, eô remotô potest. Etsi etiam quidam arbitrantur, eos demum Spadones esse, quibus extracti sunt κρημαθῆρες, vel adempta virilia, quia tamen σπάω non solum pro evello, sed etiam pro detorqueo & contorqueo à Græcis accipitur, ex eô rectè Ulpianus Spadonum appellationem generalem esse dicit. Comprehendit enim non solum, qui naturâ Spadones sunt, hoc est, quibus vasa seminaria & virilia sunt distorta, vel exsecta, aut inutilia, item, qui sunt Thlibiæ, Thlasiæ; sed & si quod aliud genus Spadonum est, puta, si sint castrati, vel qui excisi, collisi, contusi, aquâ calente aut herbarum succis Evnuchi facti. In summa, Spado comprehendit eos, qui

fine testibus nascuntur: secundò, qvibus ablata est virilitas: tertiò, quibus exsecti sunt Testes; quartò, quibus attriti vel contusi sunt testiculi: quintò, qui integris & incorruptis membris propter vitium quoddam procreare liberos non possunt, tametsi rem veneream gnaviter exerceant. Primi, secundi & tertii generis Spadones propriè castrati appellantur, item Evnuchi. Et *fol. 861.* Thlasiæ sunt, qui fractos habent testiculos, & Thlibiæ, qui attritos. Hi propter hoc vitium liberos generare non possunt, sed vitiô sublatô, possent, ideoque adoptare his permissum est & matrimonium contrahere, quia sanitatis spem habent.

§. 16.

Spado. Videmus proinde Vocabulum Spadonis Autoribus generale esse, omnesque eos includere, qvi sine exsectione testiculorum vel naturâ, vel morbô, vel contusione ad procreandum sunt inepti; *Derivatio.* quod etiam derivatio dicti vocabuli indicare videtur, quippe quod plerique Autores à græco verbo σπᾶν, vellere, convellere, trahere, contrahere, derivant; hinc Zacuto Lusitano *de medic. princip. Histor. Lib. 3. Quæst. 22. fol. m. 518.* inde Spadones dicuntur, quod illis virilia convelluntur. Qvamvis negandum non sit, τὸ σπᾶν apud Lexicographos etiam evellere, educere & extrahere significare, ut hoc modô, meo quidem judiciô, Spado quoque illum, cui testiculi sint evulsi, indigitet. *Alia.* Deinde vocabulum Spado nonnulli Autores à Spadâ, pagô quodam Persarum, ortum traxisse statuunt, ubi primam hujusmodi actionem castrandi exercitam fuisse contendunt; v. g. Stephanus de Urbib. & Vossius. Quæ tamen sententia aliis non placet. vid. Basil. Fabr. *Lexic. l. a.* Doctissimo etiam Vossio, qui in ea opinione fuit, Autor suprà allegatus C. d'Ollincam ex hac parte pollicem premere non potest, quod ipsa Scriptura Sacra Evnuchi

cujus-

cujusdam meminerit, Potipharis nimirum, qui Josephum emerit, atqve multò ante Persas vixerit. Potipharem autem, non Castratum fuisse exinde patet, qvod uxorem & filiam habuit, uti jam supra diximus. Castrati derivatio per se patet, nimirum à verbo castrare, qvòd schneiden, beschneiden significat, & *Castratus.* de hominibus, pratis, arboribus & alvearibus dicitur, atqve hoc loco exsectum, seu cui unus, vel potius uterqve testiculus per Castrationem est ademptus, vel etiam , cui scrotum & penis simul resectum , significat. Evnuchus secundum *Evnuchus.* qvosdam ab εὐνὴ, cubile, & ἔχω custodio, qvasi lecti custos, vel secundum alios, ab εὖ νοῦν ἔχειν, qvasi bonam mentem & ingenium habens, derivatur. vid. Gvern. Rolfinc. *de Partib. generat. Part. I. cap. 1. pag. 8.* Christian. Becmann. *Origin. lat. Lingv. pag. m. 448.* Jul. Cæs. Scaliger. *de Subtilit. Exercit. 277. pag. m. 796.* Henr. Smet. *Miscell. med. Lib. 8. p. m. 425.* Hoc εὖ νοῦν ἔχειν Johannes Mauritius Hoffmannus per mentem illecebris venereis non contaminatam explicat. vid. ejusd. *Disqvisit. Corpor. hum. anat. patholog. Specim. 8. §. 17. pag. m. 98.* Thlibiæ illi vocantur, qvibus Testiculi sunt at- *Thlibiæ.* triti, à verbo θλίβω, premo vel attero, & Thlasiæ, qvibus te- *Thlasiæ.* stes sunt fracti seu contusi, à verbo θλάω, frango, collido, contundo, conqvasso. Veteres namqve fissâ ferulâ testiculos comprimebant, & ita paulatim eos confringebant; qvod optimum Castrationis genus putat Mago apud Columellam. vid. Godofr. Mœbii *Physiolog. cap. 19. pag. m. 499.* eò qvod contritis tubulis seminalibus, & qvoad situm ordinemqve inversis, ac procul dubio divulsis & dilaceratis, seminis secretionem & ad Vesiculas seminales per solitas vias distributionem tali modo intercipi probabile sit. vid. Joh. Maurit. Hoffmann. *l. a. p. 99.*

§. 17.

Jul. Cæs. Scaliger.

Refertur celeberrimus Vir, Julius Cæsar Scaliger, filiis suis tali Testiculorum comminutione sterilitatem intulisse, ut generis extingveretur multiplicatio, id quod suo loco relinqvit Georgius Wolffg. Wedelius, *Patholog. med. dogm. Sect. 3. cap. 11. pag. m. 637.* Veritatem autem hujus rei autoritate cujusdam Pastoris defendit Georgius Fridericus Laurentius, *Exercitat. in Hippocrat. Aphor. Exerc. 12. pag. m. 165.* his verbis: Julius Cæsar Scaliger Parens, filio suo puero Josepho, ne miseriam propagaret, virilitatem exemit. Ita enim Froburgo Dominica II. post Epiphanias Anno 1631. Reverendus & Clarissimus Vir, M. Adamus Fusius, Pastor ejusdem loci, tam ob vitam, qvàm doctrinam, magni nominis Theologus ad me scripsit seqventibus verbis: Ita est, vir clarissime, retuli Excellentiæ tuæ de Josepho Scaligerô ea ipsa, qvorum renovas memoriam. Non autem è Monumentis Scaligerorum, sed ex amici fidâ commemoratione. Is est Christianus Ancsorge, quem Elector Serenissimus & Filiis constituit Lingvarum Magistrum, & Judiciorum Senatorem. Ante aliquot enim annos è peregrinatione longinqvâ Italiæ, Galliæ, Belgiiqve regressus, & arcis nostræ aliqvandiu incola, non pauca sibi tum visa, tum audita mecum perhumaniter communicavit, percunctantique aliquando, num fuisset cum Josepho Scaligerô, & an huic sit, quemadmodum Parenti, Julio Cæsari, soboles copiosa? respondit: nulla nec est, nec esse potest; Parens enim puero virilitatem exemit, ne miseriam propagaret.

§. 18.

Evnuchi excludendi ab Ecclesiâ.

Hæc de Testiculis attritis materia in mentem mihi revocat Textum Sacrum, juxta quem Evnuchi attritis vel amputatis

tatis testiculis, vel abscissô Veretrô, Templum seu Ecclesiam Domini intrare prohibebantur. Devteronom. *cap.* 23. *vers.* 1. Imò juxta Levitic. *cap.* 21. *vers.* 20. nullum animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis erat, offerre licebat. Unde videmus, attritos, castratos, evnuchos & vacuas bursas gerentes â Chorô excludendos esse, siquidem præter Mandatum divinum, juxta Antonii Majorag. *Orat. de Auro p. m.* 62. alterô captos oculô, aut claudos, aut testibus carentes, aut quovis aliô membrô spoliatos, ad sacerdotii dignitatem adspirantes, per Jus Pontificum non licet in sacerdotum numerum aggregari; Et secundum Henr. Cornel. Agripp. *Oper. Part. poster. seu de Incertitud. & Vanitat. scientiar. cap.* 63. *de arte meretric. p. m.* 153. in Ecclesiâ Romanâ receptum est, quod carens testibus Papa esse non possit, prohibeanturque Spadones, Evnuchi & Castrati in Sacerdotes ordinari; de quâ tamen materiâ modestius loquitur Platina, scilicet Papam ad Ecclesiæ gubernaculum non admitti, nisi habeat bona genitalia. Id quod absque dubio *Devteron.* 23. *vers.* 1. fundamentum habet; scilicet non intrabit is, qui læsus est compressione, aut cui exsectum est membrum effusionis, in Ecclesiam Domini, vel, juxta versionem Sebastiani Schmidii, non veniet contusus contritione aut excisus teste, in congregationem Jehovæ. Vel juxta Tremellii & Junii Versionem: Nec Vulneratus teste, neque exsectus virilitate, venito in congregatione Jehovæ. Quod Martinus Lutherus ita reddidit: Es soll kein Zerstossener noch Verschnittener in die Gemeine des HErrn kommen. Secundum versionem Italicam: L' Evnuco, che havesse cavato ; testicoli & ancora tagliato il membro, non entrarà nella chiesa del Signore. Hispanicè: No entrará en la Congregacion de Jehova & qvebrado de quebradura, ni el castrado. Gallicè: Celui, qvi

est

est châtré par froissure ou par taillure, n'entrera point en la Congregation de l'Eternel. Anglica Editio sic habet: He that is wounded in the stones, or hath his privy member cut off, shall not enter into the Congregation of the Lord. Belgice sic sonat: Géen gebrecken noch gesneden en sal in Menigte des Heeren komen. Vel juxta Versionem Statuum Hollandiæ dictam: Die door pletteringe verwont ofte nytgesneden is aen de Manlicheyt, en sal in de Vergaderinge des Heeren niet komen. Ex qvibus versionibus discrepantia qvædam apparet, aliæ enim solam Castrationem, aliæ autem totius membri amputationem, aliæ testiculorum contusionem seu fracturam indicant. Ejusmodi tamen personis mutilatis non tam ipsam congregationem seu Ecclesiam fuisse interdictam, quam potiùs nullum ipsis concessum fuisse votum aut commissum officium aliqvod publicum, volunt Domini commentatores Editionis ultimæ allegatæ in dictum locum, & nomen Vergaderinge ita explicant; Vergaderinge, dat is, na't meeste gevoelen sal geene stemme hebbe in publicke Vergaderingen, noch plaetse in den Raet der Regenten, Richteren ofte Officieren des Volks; welcke Vergaderinge ock eene Vergaderinge Gods genoemt wort. *Ps. 82. v. 1.* Hunc autem locum cum aliis dictis, *Levit. 22. v. 29. & Deuter. 23. v. 1.* tantùm de Sacrificiô & ministeriô Levitico intelligenda, atqve ad Legem forensem & ceremonialem referenda esse, eâqve de causâ Rempublicam Christianam Novi Testamenti ad Observantiam non obligare, alii judicant. vid. Mich. Bernhard. Valentin. *Novell. medic. Legal. Cas. 6. pag. 68.*

§. 19.

Johannes VIII. Papa. Utrum tamen nota Cardinalium Romanorum in Papæ electione cautela, qvam, ob virilitatis certitudinem, ejusdem

par-

partium genitalium palpitatione adhibere solent, ex allegatô Scripturæ locô, an verò ex aliô fundamento, nimirum à Papâ Johanne octavô, qvem varii Autores fœminam fuisse contendunt, derivanda sit, non inqviram. De hoc Johanne Johannes Pannonicus Papista ita cecinit:

Petre tuâ qvedam fuit ausa sedere Cathedrâ
Orbi terrarum jura ferenda dedit.
Hæc compressa quidem multos latuisset in annos,
Facta foret partu ni manifesta novô.
Posthæc Roma diu simili sibi cavit ab astu
Pontificum arcanos qværere fveta sinûs.
Nec poterat qvisqvam reserantes æthera claves
Non exploratis sumere Testiculis.
Cur igitur nostrô mos hic jam tempore cessat?
Ante probat, qvòd se qvilibet esse Marem.

Et alius Autor anonymus in Tractatulo qvodam Italico, cui titulus, Historia di Papa Giovanni VIII. che fù femina, stampata nel LVI. *p. m. 5. seq.* inter alia ita scribit: Accioche non possa mai più esser fatta qvalche simil novella vituperosa, di haver una femina per Capo, e una santa Madre per un Padre, fecer una provision tale, che fabricarno à San Giovanni Laterano una sedia di Pietra viva, chiamata stercoraria: perche è in forme d'un Cacotoio, & qvivi facendo seder colui, ch'è eletto Papa, avanti chegli permettano l'amministratione, fanno, che l'ultimo Cardinal Diacono (ecco bell' ufficio, che danno à lor Diaconi) gli tasta di sotto, per chiarirsi & assicurarsi se egli è maschio, è come gli hà ben palpati, grida ad alta voce: Testiculos habet. Qvasi che lascivia vita, che tengono, e le mandre de' bastardazzi, che hanno d' in terno,

bastino à far sapere, che sieno maschi & più libidinosi, che Satiri. Plura de hac Johanna Papa reperies in Joh. Georg. Lairizens Römisch-Pabst-Thron, *Lib. 2. cap. 2. p. m. 295. seqq.* Act. Erudit. Lips. *Supplem. Tom. 1. Sect. 6. pag. m. 286.* Gottfr. Arnold Kirchen- und Ketzer-Historie, *Tom. V. Lib. 19. cap. 2. fol. m. 309.* Sim. Majol. *dier. canicul. Tom. 1. Colloq. 3. f. 38.* Illam tamen sellam, cui Pontifices olim electi insidere solebant, stercorariam dictam, non fuisse perforatam, statuit Chimentellius, monstratqve rationem, cur sit dicta stercoraria, ex eo scilicet, qvod tum, cùm Pontifices eidem insiderent, versiculus ille cantatus esset: Suscitat de pulvere egenum, & de Stercore erigit pauperem. vid. Frideric. Nitzsch. *Ephemerid. Erudit. An. 1667. pag. m. 658.* Secundum Jacob. Mollerum, *de Cornut. & Hermaphrod. cap. 7. pag. m. 200.* conjicere licet, Papam Johannem octavum Hermaphroditum fuisse, in qvô aut uterqve sexus æqve perfectus ac potens fuit, aut fœmineus magis prævaluit; qvi pariter occultando hanc qvalitatem primò ad Monachatum, & deinceps per gradus ad summum Pontificatum evectus fuit, & postea in processione sacrum partum edidit, cujus historiam apud Platinam *de Vitis Pontificum, pag. 201. b.* vide. Et certè hoc casu in eligendo Papa non sufficeret nuda palpatio, per sellam perforatam, an membrum virile habeat; sed ocularis inspectio necessaria foret, annon etiam sub hoc membro virili, vel ad latus ejus lateat membrum fœmineum, ne Hermaphroditus eligatur similisqve Casus iterum contingat.

CAP.

CAPUT IX.

De Quæstionibus Medico-Legalibus circa Testiculos occurrentibus,

Scilicet

De Castratorum, Monorchidum, Triorchidum & κρυψόρχιdum potentia generandi & matrimonio, &c.

CUm in Capite antecedente de Castratis & Evnuchis actum fuerit, de his autem aliisqve, tam defectu, qvàm abundantia Testiculorum laborantibus, nonnunqvam in Foro-Medico-Legali variæ ventilari soleant Qvæstiones, peculiari hoc capite qvasdam earundem, cum qvibusdam Qvæstionibus practicis, proponere voluimus. Sit ergo

QVÆSTIO I.

An illi, qvi aut naturâ, aut arte, aut aliâ vi externâ castrati seu penitus exsecti sunt, ita, ut ambobus destituantur Testiculis, cum fœminis coire, Sperma effundere atqve generare valeant, hincqve ad matrimonium sint admittendi?

§. 1.

An Eunuchi coire possint.

Ad hanc qvæstionem ut respondeamus, singula ejusdem membra consideranda nobis erunt. Qvoad primum ergo, an scilicet Eunuchi arrigere, vel coire, seu actum venereum exercere possint? minimè negandum videtur, Eunuchos seu Castratos, cæteris paribus, Penis erectione, pro ineundâ fœminâ necessariâ adhuc gaudere, qvia primò reqvisitis & Organis ad eandem sufficientibus adhuc instructi sunt; qvæ secundum Veteres & qvosdam recentiores sunt Musculi Penem erigentes, vel Penis erectores dicti. Qvamvis enim Regnerus de Graaf, *de Organ. Viror. Oper. pag. m. 107. seq.* uti jam supra adductum, hunc dictis musculis ab aliis Anatomicis assignatum usum improbet, illosqve non immediatè ad Penis erectionem facere, sed potiùs ad ejusdem extensionem & obrigescentiam concurrere contendat, nihilominus tamen hos Musculos mediatè ad hanc actionem, scilicet ad erectionem, concurrere posse asserit, qvatenus scilicet iidem coarctando corpora nervosa circa eorum exortum sangvinem versus Penis partem anteriorem propellunt, atqve sic Corporum nervosorum distentione erectionem adaugent, *vid. ibidem pag. 117.* Cui etiam assensum præbet Christianus Fridericus Garmannus, *de Miracul. mortuor. Lib. 1. Tit. 11.* §. 12. *pag. m.* 293. item Joh. Frid. Ortlob. *Histor. Part. Corp. hum. seu Dissertat. anat. physiol. 34.* §. 11. *p. m.* 269. *seq.* Huic tamen Graafii Opinioni contradicit atqve communem hujus paris Musculorum erectorum Penis functionem contra ipsum aliosqve modernos defendit Philippus Verheyn, *Anatom. Corp. hum. Tract. 2. cap. 22. p. m.* 175. *seq.* qvò benevolum Lectorem remitto. vid. etiam Isbrand. Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 23. fol. m.* 125. De materiâ etiam suprà cap. 3. de Penis erectione prolixiùs egimus. Deinde in Castratis affluit etiam ad

affirmatur.

Penem ſangvis arterioſus ſeu ſpirituoſus juxta Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib.* 1. *cap.* 24. *p. m.* 244. ad Penis indurationem & erectionem neceſſarius. Porrò adſunt nervi, per qvos Spiritus animales in membranaceas Penis partes influentes easdem rigidiores tumidioresqvè reddunt, vid. Regn. Graaf *l. a. pag.* 114. Cùm proinde omnia ad erectionem Penis neceſſaria Organa & reqviſita in Caſtratis, & qvibus absqve caſtratione natura ſcrotum vacuum reliqvit, reperiantur, hinc ipſis etiam erectio & rigiditas Penis, imò ipſa coeundi potentia, denegari non poterit.

§. 2.

Penis erectio unde?

Dicit eqvidem Chriſtianus Fridericus Garmannus *l. a.* ſangvinem qvidem multum ad penis erectionem facere, in eo tamen non eſſe acqvieſcendum, ſed vaporem qvendam titillantem reqviri, hincqve in pueris nullum ſtimulum deprehendi addit. Sicuti autem ratione vaporis ſeminalis Garmanno noſtro in tantum ſubſcribimus, qvod ſcilicet in viris juſtæ atqve ad generationem aptæ ætatis ille Vapor reperiatur, atqve à tali ſemen ad Conceptionem vel potiùs generationem aptum reddatur, ita econtra in tantum ab ejusdem opinione, (ac ſi à ſolô ejusmodi vapore, halitu ſeu ſpiritu prolifico, Penis erectio & detumeſcentia dependeat,) diſcedimus, potius credentes, etiam absqve præcedente titillatione libidinoſâ, imò etiam absqve Calculis Veſicæ & renum (qvi juxta eundem Autorem præter naturam tentiginem concitandô Satyricum movent impetum) Penis erectionem ſæpiſſime fieri, cum in puerulis duorum vel trium annorum; qvandoqve etiam in puſionibus vix dum natis, in qvibus nulla Seminis prolifici elaboratio aut appetitus libidinoſus præſumi poteſt, ſæpiſſime, inprimis poſt ſomnum, mentulas rigidas obſervare liceat; unde etiam Julius Cæſar Scaliger, *de Subtilit. Exercit.* 175. §. 2. *pag. m.* 542. di-

dicit: Et pueros infestat tentigo, qvibus tamen nullum est Semen. Qvodsi proinde puelli absqve venereâ impressione qvandoqve Penes rigidos monstrant, cur non etiam ab Evnuchis ex fœminarum conversatione, aut aliis causis, Penis erectio expectanda erit?

§. 3.

Castrati coire possunt.

Secundò, Castratos & Evnuchos coitum celebrare posse, multi testantur Autores. Inqvit enim Baldassar Timæus à Güldenklee, *Lib. 3. Cas. 45. Resolut. pag m. 186.* certò sum persvasus, coire homines absqve testibus posse; Et Julius Cæsar Scaliger, *de Subtilitat. Exercit. 104. §. 8. pag. m. 321.* scribit: Evnuchos posse etiam, non solùm velle, ut ait Terentius, jam compertum est, magnô malô puberum apud Turcos, qvi non solos, ut olim, Testes, sed Penem qvoqve abscindunt. Et *Exercit. 175. §. 2. p. 548.* inqvit: Non est idem ad Venerem semen necessarium, sed ad generationem eorum, qvæ semine propagantur: Non enim coire neqveunt Evnuchi. Coeunt certè, nonnulli etiam valide, etiamsi nihil emittant. Et Juvenalis, *Satyr. 6.* canit:

Sunt qvas Evnuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectant & desperatio barbæ,
Et qvod abortivo non est opus, illa voluptas
Summa tamen, &c.

In qvorum verborum explicatione ita dicit M. Antonius Ulmus, *Physiolog. Barb. hum. Sect. 3. cap. 4. fol. m. 236.* Hæc Satyrici Carmina indicant, ipsos Evnuchos & arrigere & incumbere, sed non implere mulieres aut gravidare, & mulieres compressas ab Evnuchis non cogi satagere in medicamentis reperiendis, propter abortum conciliandum & faciendum, siqvi-

siqvidem Romanæ matronæ, qvotiescunqve se concepisse intellexerant, vel conjecturâ ductæ id suspicabantur, nullum non adhibebant ingenium ad ejiciendum conceptum & Abortum provocandum. Evnuchos Venere uti, non autem generare posse, non ignoravit Martialis, inqviens:

Cur tantùm Evnuchos habeat tua Gellia, qværis
Pannice, vult futui Gellia, non parere.

Nec minus Galenus, *de Usu part. Lib. 14. cap. 11. fol. m. 289.* idem confirmat, humorem, inqviens, à mulieribus in coitu effusum seu effluentem, non modò ad Venerem impellere meatum, sed, dum prodit, voluptate qvoqve hominem seu virum perfundere æqve ac meatum madore conspergere, vel ex hoc intelliges, nam eò tempore è fœminis effluit, cùm ipsæ qvoqve, dum rebus venereis utuntur, mirum in modum oblectantur, & qvi se illis miscent, cum circa pudenda sibi effundi persentiscunt. Eadem res, pergit Galenus, afferre etiam Spadonibus delectationem videtur, &c. qvamvis alii non propter illum humorem, sed propter memoriam anteactæ voluptatis illos tantummodò, qvi jam juvenes fuerunt castrati, in coitu delectari existiment. vid. Rod. à Castr. *de Natur. mulier. Lib. 2. cap. 1. pag. m. 39.* ubi pergit: Sed nihil vetat, duplicem hanc causam voluptatis in Spadonibus conjungi, ideò haud sine ratione amatores eos esse mulierum maximos tradidit Comicus Poeta. Scribit etiam Georgius Fridericus Laurentius, *in Aphorism. Hippocr. Exercit. 12. pag. m. 156.* Evnuchi utuntur coitu freqventi, ideò mulieres antiqvitus, qvæ nolebant imprægnari, alebant domi evnuchos, ut scilicet freqventer venere uterentur, neqve proderentur. Et pagina seqv. ex Philostrato refert, in aulâ Regis Babyloniæ Evnuchum qvendam cum regiâ concubinâ deprehensum, at-

qve

qve Phavorinum Evnuchum consularis viri uxorem adulterasse. Sic Bagoas Evnuchus in adulteriô & membra in membris habere deprehensus est, juxta Henr. Salmuth. *Not. in Gvidon. Pancirol. Rer. memorabil. Lib. 2. Tit. 2. pag. m. 88.* ubi qvæstionem tractat: an Evnuchus stupri insimulari possit? Et *pag. 89.* idem Autor inqvit: Spadonibus maximè delectantur fœminæ, qvibus volupe est veneris illecebris titillari potiùs, qvàm concipere & parere. Huc pertinent etiam, qvæ in Michaelis Bernhardi Valentini, *Novell. Medic. legal. Cas 6. p. m. 74.* legimus, scilicet Titius seu Bartholomæus de Sorlisi, Castratus, pro obtinendo Matrimonio dicebat, se ad exercitium venereum non prorsus inhabilem, sed ad demonstrandum (si concessum esset) paratum esse, qvòd erectionem penis patiatur, congressum administrare, sicqve Uxori & satisfacere & libidinem ejus exstingvere valeat. Et ibidem *p. m.* 136. ex Tostato allegata reperimus; qvòd si soli testiculi abscissi fuerint, non auferantur desideria: imò sint valde magna, in qvibus peccare possint, etiamsi non tollant omnes actus; Possint etiam, qvi tales sunt, facere commixtionem sexuum, sed non commixtionem Seminum: testiculi enim adjuvent ad emissionem Seminis, extendendo vias ex pondere suô, vel aliàs, & ideò castrati, qvibus virga manet, fortes tentationes patiantur, qvas non expleant; sed possint deflorare qvamcunqve mulierem, nullam tamen imprægnare. Item Calligonum Valentiniani junioris Evnuchum gladiô fuisse ultore punitum, meretricis confessione convictum, ex Augustinô ibidem legimus. Plura de Evnuchorum stimulo venereo & potentia coeundi reperies ibid *pag. 86. seq.* Martialis Domitiano gratulans refert, ante ipsius tempora Evnuchos mœchos fuisse:

Lusus

Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Lusus & immeritò exsecuisse viros.
Utraqve tu prohibes, Cæsar, populisqve futuris
Succurris, nasci qvos sine fraude jubes.
Nec Spado jam, nec Mæchus erit, te Præside, qvisqvam,
At priùs (ô mores!) & Spado mæchus erat.

Et juxta verba Rosini Lentilii nec genialis libido, nec erectio mentulæ à qvantitate Seminis dependet, cùm & Evnuchi libidinari, feminasqve alacriter inire comperti sunt. vid. ejusdem *Jatromnemat. Part.* 2. *cap.* 34. *p. m.* 647. Et *Ephemerid. Academ. Natur. Curios. An. I. & II. Observ.* 168. *Schol. pag. m.* 356. idem scribit: Qvi sunt Evnuchi nati, vel ante pubertatem tales fiunt, nunqvam in masculas vires adolescunt, nunqvam vocem gravem ebuccinant, barbam alunt, &c. Secus verò res habet cum illis, qvi jam ephebi castrantur. His, experientiâ teste, neqve vox mutatur, neqve barba excidit, neqve aliud qvid effeminati contingit, nisi qvòd generare vel efficaciter coire desinant. Coëunt tamen, lascivi sunt, pruriunt, feminas ineunt; & de Evnuchis non unis, qvod coiverint, res certa est. Huc pertinet etiam, qvod refert Bartholomæus Cabrolius, *Observ.* 3. scilicet accidisse Monspelii Anno 1564. ut ex stipatoribus Mommorantii qvidam vim faceret virgini. Mommorantius audito matris clamore, reqve intellectâ, hominem ipso momentô è fenestrâ suspendi jubet. Cadaver ejus Theatro Anatomico illatum, cum ad genitalia ventum esset, stupratorem illum Plauti joco intestatum, hoc est, testibus carentem tam exterius, qvam interius invenerunt, &c. v. Regn. de Graaf, *de Organ. Viror. p. m.* 6. De Phavorinô tria fuere maximè mira, & primum qvidem, qvòd Gallus qvum foret, Græcè tamen optimè sciverit: adeò, ut

gentis illius eloqvio, veluti dolatorio levigatus excomptusqve, præterqve sapientiâ imbutus celebre, ad posteros nomen dederit. Deinde, qvum foret Evnuchus, adulterâsse tamen consularis viri uxorem creditus subiit, eô nomine judicium ab eodem postulatus: adeò libidinis etiam erat præfervidæ. Postremò Principi Adriano factus offensior, nihilominus inde nullô affectus incommodo supervixit, juxta Lud. Cæl. Rhodigin. *Lection. antiqvar. Lib.* 19. *c.* 12. *f. m.* 742. Cum proinde Castrati seu testiculis privati cum fœminis coitum exercere qveant, ideoqve ob non timendam imprægnationem ab orientalibus uxoribus sæpe intimius admittantur, qvid mirum, qvòd earum viri atqve Magnates contenti non sint, ut uxoribus suis pro famulis Castratos eligant, sed majoris securitatis gratiâ hos Pene penitus mutilare soleant, de qvibus jam supra egimus. Inqvit enim Julius Cæsar Scaliger *l. a.* Coitus Evnuchorum fuit causa, ut Asianorum immanis barbaria progressûs faceret in crudelitate. Exsectos namqve pueros, cum fœminis custodes adhibuissent, eosqve adultos postea cum illis in adulteriô deprehendissent, flagitium illud à qvibusdam commissum in illis mortis suppliciô ulti sunt, in aliis totius virilitatis amputatione. Et Georg. Wolffgangus Wedelius, *Patholog. med. Sect.* 3. *cap.* 11. *p. m.* 637. ita dicit: De Castratis hodie observatum est, illos nihilominus coire posse, unde hi ipsi non sunt amplius Evnuchi, i. e. qvi probè cubilia custodiant, ex qvô nomen obtinuere. Unde & hodie apud Turcas non sufficit æqve Castratio per Testiculorum evulsionem, sed qvibusdam accedit mentulæ abscissio, ut tutiores habeant fœminarum custodes, testibus Scriptoribus Rerum Ottomannicarum. Plura de hoc Puncto paulò supra vidimus.

§. 4.

Absolutô nunc primô superioris Qvæstionis membrô porro qværitur; an tales viri Testiculis, à qvacunqve causâ, internâ vel externâ, carentes, in Coitu liqvorem, & qvidem prolificum seu verum Sperma ejaculari liberosqve generare valeant? Non desunt, qvi ad totam qvæstionem affirmativè respondent, atqve ratione generationis experientiâ freti pro suâ sententia exempla adducere conantur, qvale esse solet, qvod supra capite secundò ex Henric Smet. *Miscell. Medic. Lib. 10. pag. m. 524. seq.* de Musicô qvodam Maniacô adduximus. Hic scilicet dilaceratô ungvibus suis clanculum Scrotô utrumqve testem avulsit; nihilominus tamen haud longô post tempore à scroti disrupti & mentis vitio restitutus non solùm ipse, sed & Conjux ejus, justæ ætatis habitiqve bene corporis mulier, candide fassi sunt, maritale debitum à virô persolvi, adeoqve semen non minus, qvàm ante morbum solebat, ejaculari. Sic Hermium Evnuchum Pythiadem genuisse ex Svida refert Henricus Salmuth. *Comment. in Gvid. Panarol. Rer. memorab. Part. 2. Tit. 2. pag. m. 89.* Thomas Reinesius, *Epist. 41. ad Nesteros pag. m. 74.* cujusdam meminit, cui Anno 1640. à militibus chordâ suspendebatur Scrotum & relinqvebatur, dum vicini forte fortuna interveniunt; huic uterqve testiculus cum Scroto abscessit, nihilominus tamen ei Conjux integræ famæ die 5. Maji 1647. filium peperit. Juvenem viginti unius annorum, sine testibus natum, matrimonium iniisse & filios generasse ex Cabroliô refert Bald. Timæus à Güldenklee *Lib. 3. Cas. 45. Resolut. p. m. 185.* qvod exemplum etiam Georgius Frid. Laurentius, *l. a. pag. 158.* ipsissimis Cabrolii verbis recenset: Bellicadri, inqviens, oblatus mihi viginti duos annos natus adolescens, qvem, qvia parentes intestabilem naturâ deprehenderent, matrimonione an Ecclesiastico statui addicerent,

Castrati an liqvorem emittant.

dubitabant. Adhibitus ego in consilium, autor ei fui, in leges ut maritas descenderet, dictum, factum, postversa prosa vixisque omnibus faventibus. Vivit etiam num jamqve complures genuit filios, testaturos mihi, sine testibus se genitos. Idem Laurentius, *pag. seq.* aliud exemplum adducit de qvodam nobili, cui cum uterqve testiculus Catapultâ evulsus fuisset, nihilominus ex pudicâ uxore filium suscepit. Alii tamen Autores cum discrimine de hac re loqvuntur, scribit etiam Franciscus Zypæus, *Fundam. Medic. cap. 3. Art. 6. §. 10. pag. m. 80.* posse Castratos pro unô aliove congressu in vesiculis seminalibus habere semen, imò mulierem imprægnare, ut qvandoqve de bovibus narratur, qvod vaccam imprægnaverint, &c. Et juxta Joh. Bohn. *Circul. Anat. physiol. Progymn. I. pag. m. 9.* sine testibus eqvidem eqvos & tauros aliqvando generâsse, admitti potest, illos videlicet, qvorum Vesiculæ seminales tantum forsan adhuc genituræ proliferæ, à testibus olim elaboratæ, asservârunt, qvantum unico foetui producendo sufficiebat. Item Ludovicus Bellefontaine, *dans la Medecine dogmatiqve. Exercit. 7. pag. m. 36.* inqvit: Plusieurs croient, qve les châtrez peuvent avoir assez de Semence de reserve dans leurs vesicules seminaires pour un ou deux congrez & pour pouvoir engrosser une femme; car il est constant, qve la qvantite de la semence n'est pas tant reqvise, qve la spirituosité, puisqve la generation ne se fait qve par la fecondité des ceufs dans l'ovaire méme: Mais cela doit s'entendre de ceux, qvi ont été châtrez depuis qve leur semence étoit devenuë prolifiqve, & non pas de ceux, qvi l'ont été de jeunesse. Canem, cui testes fuerant abscissi, filios generasse, experientiâ sibi compertum esse, testatur Thomas Cornelius Consentinus, *Progymnasm. phys. 5. p. m. 178.*

§. 5.

§. 5.

Ad qvæ tamen paucissimis respondeo, qvod, qvamvis ob hactenus adductas rationes atqve autoritates Castratis coëundi potentiam concedamus, minimè tamen ab hac ad generandi potentiam valeat conseqventia, præprimis in illis, qvi vel ex sectione, vel evulsione, vel qvocunqve modô ambobus testiculis, tanqvam prolifici seminis officinâ, privati sunt, de qvibus propriè hoc locô agimus. Hinc illos, qvi sine testiculis generâsse dicuntur, vel suspectæ fidei uxores aluisse, vel testiculos in abdomine latentes habuisse, vel non legitimè castratos, vel ipsas Observationes fictas fuisse credimus. Suspectæ mulieris exemplum reperimus apud Paulum Zacchiam, *Qvæst. med. legal. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 6. §. 10. fol. 781.* de Canonistâ qvodam Navarrâ (qvi qvendam virum, qvi non modò testibus carebat, sed membrum habebat minimum, filios generare potuisse pronunciavit,) ita scribentem: Passus est bonus iste Canonista, se decipi à muliere, cum omninò credendum esset, mulierem illam filios ex aliô virô per fornicationem vel adulterium suscepisse. Imponebat enim perfida marito, harum rerum omninò inexperto & ignaro, & credenti, filios etiam virô testibus carente generari posse; qvod ridiculum certò est, nam maritus, cùm testibus careret, semen generare non poterat, nec absqve semine filios. Qvod pariter de Thomæ Reinesii modò allegatô exemplô judicandum est. Ratione ex Cabroliô allegati exempli de adolescente, qvi sine testibus plures liberos generâsse dicitur, non est dubium, si ipse parens fuit, Testiculos eum intus latentes habuisse; qvod etiam de hoc exemplô judicat Gothofredus Mœbius, *Physiolog. cap. 19. pag. m. 465.* qvale exemplum jam supra ex Isbrand. Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 22. fol. m. 131.* de Batavô qvodam, nullos eqvidem in Scroto Testes habente, multos tamen liberos

Castrati non generant.

beros generante, adduximus. Præterea de Caſtratis, qvi generâſſe dicuntur, adhuc qvæſtio eſt, annon poſt utriusqve teſticuli è ſcrotô extractionem tertium adhuc vel etiam qvartum teſticulum in ingvine aut abdomine latentem habuerunt, ut non modò laſcivire, ſed etiam congreſſum fœcundum exercere potuerunt; ſiqvidem Lucas Schrœckius Canem vidit libidinoſum admodum, licet duobus orbatum teſticulis, cui tamen tertius inſuper in ingvine latebat, contractatione facilè obſervandus. vid. Johann. Helwig. *Obſervat. 131. Schol. p.m. 362.*

§. 6.

An in teſtibus ſemen generetur.

Qvamvis etiam inter Medicos, non Veteribus, ſed recentioribus annumerandos, ſatis diſputatum fuerit: An in teſtibus virilibus ſemen elaboretur, nec ne? horumqve nonnulli, non incelebres, negativam defenderint, qvos inter etiam Georgius Francus illis olim parum in γονοποιήσει tribuit, ipſosqve potiùs emulgendô, qvàm plenè elaborandô inſervire ſtatuit; Ab aliis tamen recentioribus teſticulos ſpermatis officinam primariam eſſe, multis rationibus probatur. Imò ipſe etiam allegatus Francus poſtea mentem mutavit, uti ipſe in Paul. Zacch. *l. a.* fatetur. Plura vid. ſupra Cap. II. Hinc pleriqve Medici Teſticulos ad generationem neceſſarios judicant, uti Leonhardus Bauſchius, *de Hæmatit. p. m. 66.* inqvit: Qvibus ambo teſticuli evulſi, iis virilitas tollitur & vis generandi perit. Et Ambroſius Paræus, *Lib. 23. cap. 37. fol. m. 524.* ſcribit: Qvibus ſunt exſecti teſtes, vel etiam vi compreſſi, aut contuſi, gignere neqveunt, qvia vel teſtium irradiatione carent, vel obductô callô intercipitur materiæ ſeminali via. Et ſecundum Judicium Lealis Lealis, *Exercit. Epiſtol. de Partib. Semen conficient. p. m. 46.* illa ſeminis pars, qvam teſtes ſubminiſtrant, compendium continet hominis, architectoni-

cam

cam nempe virtutem primò, cui confingendi animal natura munus commisit, sub nomine germinis nunc vulgò auditam. Exinde videmus, ad generationem utiqve necessarios esse testiculos, siqvidem Paulus Ammannus ad Qvæstionem, anne Evnuchi ad generationem apti? Respondet: Qvæstio hæc videtur supervacanea, nam ratione impotentiæ Idolis comparantur à Syracide, *cap. 30. v. 20.* virginem solis suspiriis amplectentes. Et Thomas Cornelius Consentinus, *l. a.* dicit: Non desint, qvi narrant de mulieribus, qvæ ex concubitu cum Castratis viris aliqvando conceperint, qvod tamen non minus difficile scitu, qvam factu reor, qvippe non licet exsectis concumbere, nisi cum impudicis mulieribus, à qvibus vix unqvam extorseris veritatem, præterqvam, qvod & ipsæ etiam præsumptâ opinione falluntur. Et de suprà adductis exemplis inqvit Rosinus Lentilius, *Ephemerid. Nat. Cur. An. I. & II. Observat. 168. p. m 357.* dicat Smetius, affirmet Cabrolius, afferat Fontanus, prædicet Hoffmannus, aliqvos generâsse intestatos: facimus cum Lindenio, qvi ita: Horum virorum autoritati sicuti fidem ego derogare nec possum, nec volo, sic neqve credere. Item Domini JCti confessionem, si carens genitalibus fateatur, se adulterium commisisse, irritam esse dicant, qvia est contra naturam, v. Joh. Leonhard. Bausch. *Proem. Hæmatolog. p. m. 67.* Et qvamvis Eqvi, ac tauri, imprimis canes, exsectis Testiculis, statim generâsse referantur, de veritate tamen aut est dubitandum, aut ejusmodi generantia animalia non ritè fuêre castrata, ita, ut alter testiculus ad superiora fuerit retrusus vel adactus; aut in ejusmodi casu, dubiè tamen adhuc, esset concedendum, qvòd in iis subjectis, qvæ annos pubertatis jamtum ingressa casu aut infortuniô qvodam, vel etiam Castratione utrôqve testiculô orbarentur, aliqvid seminis prolifici, jam antea à testiculis ela-

elaborati atqve ad vesiculas seminales depositi, (qvantum scilicet pro unicô congressu prolificô, proximè post Castrationem exercendo sufficiat) in iisdem restare & conservari possit. Talem autem Vesicularum penum in annos sufficere posse, pro liberorum generatione, nullus Autorum affirmabit. Id quod etiam in aliis subjectis humanis, qvæ in infantiâ aut ante pubertatis annos castrantur, uti in Italiâ fieri solet, minimè erit expectandum.

§. 7.

Castrati liqvorem emittunt.

Qvin autem Castrati in coitu infœcundô liqvorem qvendam vel Spermati qvid analogum, à Vesiculis seminalibus vel glandulis Prostatis suppeditatum effundant, dubitandum non est; Et qvamvis Henricus Smetius, *Miscell. med. Lib. 8. p. m. 425.* huic sententiæ contradicere videatur, ad qvendam Theologiæ Doctorem, Viros castratos aut externis testibus privatos, semen nihilominus, qvanqvam inutile, habere, statuentem, ita scribens: Castrati & Evnuchi nullum omninò semen excernunt: Omnia enim vasa seminalia tam semen deferentia, qvàm idem illud ejaculantia, unà cum testibus excisa aut concisa sunt, si modò ritè sint castrati, ideòqve nihil prorsus seminis nec colligere, nec ejicere qveunt. Alii tamen Autores ejusmodi liqvorem seu Semen infœcundum Castratis concedunt. Inqvit enim Stephanus Blancardus, *Instit. med. cap. 10. Oper. medic. Tom. 1. p. m. 219*: Præter Semen sale volatili constans alius adhuc liqvor promanat ex prostatis, qvæ eo loci, ubi vesicularum seminalium exitus est, variis osculis liqvorem exstillant: iste qvoqve liqvor eodem modô secernitur, uti de cœteris glandulis notum. Is porrò liquor à seminali circa odorem, consistentiam ac colorem parum differt, & semini vehiculum esse solummodò videtur, imò & partibus genitalibus titillationem dat; nam fortè eidem rei inser-

vit

vit, ac fluor albus in fœminis, nempe ut genitalia titillationem sentiant, &c. Unde qvæso Pollutiones nocturnæ apud Evnuchos orirentur, nisi à tali liqvore? Scribit etiam Thomas Bartholinus, *Anat. reform. Lib. 1. cap. 23. p. m. 235.* Emittunt eqvidem castrati semini similem humiditatem & ad Venerem incitantur, ut de Evnuchis notum, qvos pollutiones nocturnas pati scimus, sed spe prolis frustrantur. Sic Ambrosius Paræus, *Lib. 23. cap. 37. fol. m. 524.* inqvit: Qvibus exsecti sunt Testes, haud eqvidem Semen, sed viscidum tantum qvendam humorem emittunt (cum voluptatis tamen aliqvo sensu) qvi prostatis glandulis continetur. Johanni Riolano, *Comment. in Lib. Fernel. de Homin. procreat. cap. 3. pag. 234.* dubium non est, Evnuchos seminiformem qvendam liqvorem emittere, sed infœcundum; & *Anthropograph. Lib. 2. cap. 29. pag. 277.* post demonstrata hujus liqvoris receptacula, concludit: qvapropter etsi testes exsecti fuerint, humorem tamen seminalem infœcundum, qvi partes genitales titillet, in vesiculis & prostatis generari posse, non dubito. De Evnuchorum semine ita scribit Georgius Entius, *Oper. p. m. 416.* Testes potissimum spermati dephlegmando exaltandoqve inserviunt, ideoqve Evnuchi molles sunt & enerves, qvia eorum Semen copiosô nimis serô dilutum minusqve coctum est; & Michael Ettmüllerus, *Oper. medic. Vol. 1. fol. m. 15. §. 223.* dicit: Genituræ chylosæ seu lacteæ in coitu conjungitur pro facilitandô motu, instar vehiculi, lympha glandularum prostatarum, ad Collum Vesicæ sitarum, qvæ unà effusa facilitat ejectionem genituræ insigniter. Talis lympha etiam adhuc in Evnuchis gignitur & ab ipsis voluptuosè, licet infructuosè, coëundo effunditur. vid. etiam Andr. Buxbaum. *Cateches. medic. Part. 1. Qv. 166.* Secundum Ludovic. Bellefontaine, *Medecine dogmat. Part. physiolog. pag. m. 36.* Les

 Ev-

Evnuqves n'ont point de Semence, ils ont pourtant qvelqve chatouillement, mais il leur vient d'une certaine humeur tiede, la qvelle des glandes prostates distille par plusieurs pores au dedans de l'uretre. De hoc Prostatarum liqvore loqvitur etiam Johannes Casparus Westphalus, qvòd non sit semen aliqvod, sed certus liqvor serosus & unctuosus, in prostatis glandulosis elaboratus, qvi tempore coitûs per copiosos ductûs in Urethram simul exprimitur & evacuatur, ubi genituram involvit, ipsiqve pro vehiculô inservit, ut hæc meliùs & promptiùs per penem ejaculari possit. Idem ille liqvor est, qvi adhuc in castratis generatur, unde & hi coire & aliqvalem voluptatem percipere possunt, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Cas. 4. pag. m. 96.* & *99.* ibidem *Cas. 6. pag.* 134. statuit Facultas Theologia Regiomontana, qvòd illi, qvibus testiculi tantùm resecti sunt, vasis seminariis illæsis, non tantùm semen, utut infœcundum habeant, sed & erectam virgam & coitum cum mulieribus celebrare possint; imò salaciores sint & in Venerem propensiores non castratis. Et Lucas Screeckius, *Schol. in Joh. Helwig. Observ.* 131. *p. m.* 362. inqvit: Spe prolis Evnuchi qvidem frustrantur, ast semini similem humiditatem emittunt atqve ad Venerem incitantur. Item, licet ob testes ablatos nullus seminalis humor excerni posse videatur, contrarium tamen inde apparet, qvòd ille non à solis istis suppeditetur, sed etiam à Vesiculis seminariis prostatisqve diversus à testiculari influat; qvæ sanè partes in Castratione non auferuntur, adeoqve in actu venereô semen suum effundere possunt. Sacerdotem qvendam exsectum coiisse, ac genitalem Urinam profudisse, inqvit L. Cælius Rhodig. *Lect. antiqv. Lib. 4. cap. 7. fol. m.* 124. Item Maniacus, cujus supra ex Henr. Smet. *Miscell. Med. Lib.* 10. *p.* 524. *seq.* meminimus, post utriusqve testiculi extractionem demum

sanæ

sanæ menti restitutus, uxori maritale debitum cum Seminis profusione solvisse scribitur; qvod semen absqve dubiô non prolificum fuit, cùm dictus Autor nullius generationis mentionem faciat.

§. 8.

Deniqve qvoad tertium seu ultimum superioris Qvæstionis membrum attinet, an scilicet Castratis, Evnuchis, Spadonibus & totô patrimoniô privatis matrimonium contrahere liceat? respondemus: Qvod, qvamvis varia hinc inde, imprimis in Tractatu de Conjugis Evnuchi argumenta pro sententia affirmativa reperiantur, imò ipsum Consistorium Lipsiense Castrati cujusdam inita Sponsalia jure rescindere, multò minùs Copulationi Sacerdotali obicem ponere non potuerint vel noluerint, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. medic. legal. Cas. 6. p. 77.* nihilominus tamen, cum post gloriam divinam ultimus matrimonii scopus sit procreatio Sobolis; Spadones verò & Evnuchi, uti hactenus probatum, semen prolificum atqve generationi aptum minimè habeant, non immeritò hactenus à matrimoniô repulsi sunt. Inqvit enim Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 5. §. 29. fol. m. 275.* actum Coitûs ad ulteriorem finem tendere, nempe ad seminis emissionem, cum spe qvoqve futuræ generationis; jam patet in Spadonibus, Castratis & iis, qvi coëuntes semen non emittunt, actum illum suô fine frustrari, & sic non poterunt fortè tales validè matrimonium contrahere: Simile enim est de Evnuchis, qui arrigere possunt & Uteri claustra penetrare, imò & materiam quandam effundere, qui tamen matrimonium contrahere non possunt, quia materia illa non est verum semen; ut autem matrimonium validum consistat, requiritur, ut vir verum semen effundat. Item, Evnuchi, qui aquosam quandam humiditatem in coitu emittunt, matrimonium con-

Castratis an matrimonium concedendum?

trahere non possunt; imò contractum ex hoc dirimi potest. Et *Lib. 9. Tit. 3. Qu. 2. §. 14. seqq. fol. 765.* scribit idem: Evnuchis ob absentiam testium, impedimentum patens, matrimonium contrahere non permittitur, & si contrahunt, invalidè contrahunt, quia ad matrimonii validitatem non sufficit copula carnalis, sed reqviritur seminis emissio; aliàs enim Evnuchi quoque arrigentes & Venerem exercentes validè contraherent, quod nullô modô verum est. Item, coëuntes & non seminantes non possunt dici matrimonium consummare, videnturque absque dubiò habere impedimentum sufficiens, cujus causâ matrimonium dirimi debeat, &c. Inter causas dissolutionem Sponsalium inducentes, à Dominis JCtis refertur etiam Impotentia ex privatione & mutilatione membrorum genitalium, vel ex vitiô naturali, vel factô hominis proveniente, quod in Evnuchis, Castratis & Spadonibus accidit, juxta Joh. Georg. Nicolai, *Tract. de Repud. & Divort. cap. 2. §. 101. p. m. 77.* qui paginâ sequenti ita pergit: Quodsi alteruter contrahentium ante contracta sponsalia ejusmodi morbô & vitiô incurabili laboraret, & altera pars illud ignoraverit, aut post promissionem conjugalem morbus Sonticus perpetuus supervenerit, & exinde sponsus vel sponsa ad expedienda munia conjugalia vel coëundum prorsus inhabilis reddatur, & de hôc impedimentô ex confessione propriâ partis, vel judiciô peritorum Medicorum aliôve modô certò constet, vel impotentia ex signis visibilibus aut corporis aspectu statim appareat, aut etiam saltem dubia adhuc existat in virô coëundi & generandi potentia, tum persona sana ad consummandum matrimonium cum minùs sanâ & inhabili compelli nequeat, sed ad ipsius instantiam repudium omninò sit concedendum; id quod etiam allegatus Nicolai aliorum JCtorum autoritate confirmat. Porrò *§. 102. pag. 79.* iterum repetit: in materiâ

riâ impotentiæ & ſponſalibus à frigidis & veris Evnuchis celebratis Sponſaliorum diſſolutionem eſſe decernendam. Imò §. 104. ita pergit: Quoad verum Evnuchum ſeu Caſtratum & Spadonem (cui vel Coles deficit, vel virilitas prorſus eſt demeſſa, aut ſaltem penis aut teſticuli adempti, vel adeò attriti & confracti, ut nulla & copulæ & generandæ ſobolis ſpes ſuperſit,) adhuc firma ſtat regula, ſponſalia cum iſtô contracta planè irrita eſſe, adeoque mulierem, quæ fidem dedit, matrimonium conſummare non teneri. Et hoc usque adeò verum eſt, ut non tantum iſto Caſu, etſi mulier defectûs hujus bene conſcia jure ſuô cedere velit & nuptias cum Evnuchô vel perſonâ notoriè impotente conſummare, ac conjugiô pro velamentô turpitudinis uti cupiat, nihilominus diſſolutio inſtituenda & utrique parti nefariis iſtis nuptiis interdicendum ſit, &c. Item Jacobus Mollerus, *de. Hermaphrodit. cap. 6. p. m. 174. ſeq.* dicit: Ad obtinendum finem matrimonii primarium, videlicet Sobolis procreationem crimenque libidinis vitandum, ſedulò videndum eſt, ut is, qui matrimonium inire velit, perſonam generationi aptam ſibi deligat & copulet, unde cum Spadonibus & evnuchis matrimonium non eſt contrahendum; licet enim quidam eorum, qui caſtrati ſunt, congredi cum uxore poſſint, coitus tamen ille eſt inanis, nullamque ſpem Sobolis habet, ſed libidinem ſaltem extinguit, & pruritum in fœminâ potiùs accendit. Et Conradus Aslacus, *Phyſic. Moſaic. Chriſtian. Cap. 2. p. m.* 411. ad Quæſtionem: An, ſi quis poſt ſponſalia reperiatur Evnuchus aut Spado, propterea irrita fuerint ſponſalia? ita reſpondet: Evnuchorum & Spadorum plura ſunt genera. Alii enim arte, alii medicamentis, alii veneficio facti ſunt tales. Primum genus Spadonum, quibus generationis organa, vel penitus, vel quoad finem conjugii reſecta ſunt, ad matrimoni-

 um

um minimè admitti debent. Secus ſe habet cum iis, qvi vel medicamentis, vel veneficio Spadones facti ſunt. Illi enim tractu temporis corrigi poſſunt. Nam, qui Impotentiam aliquam, vel ex rigiditate, vel vitio qvopiam contraxerunt, ii medicorum operâ corrigi poſſunt. Similiter & iis, qui faſcino (arte magica) evirati ſunt, divinâ ope ſuccurri poteſt. Ideoque hi nuptiis ſimpliciter arcendi non ſunt, ſed priùs omnia media aliquandiu inqvirenda & adhibenda erunt. Sic Pontifex Sixtus V. Anno 1587. Bullam & declarationem Evnuchorum matrimonium penitus annullantem, propriò motu edidit. Anno 1669. ad requiſitionem Conſiſtorii, Medici cum Chirurgis, ruſticum qvendam inſpicientem obſervârunt, quod ipſi in Juventute propter herniam à Circumforaneô etiam teſticuli fuerunt exſecti, & ob id ad matrimonium inhabilis fuit declaratus. v. Paul. Ammann. *Medicin. Critic. Diſc.* 63. *p. m.* 390. Idem Ammannus etiam, *Irenic. p. m.* 146. inqvit: Caſtrati, Spadones & Evnuchi, qui ſine patrimoniô vivunt, licet quodammodo erigant, perfectum tamen ſemen non elaborant, hinc meritò à matrimonii Orgiis arcentur, non obſtante, quid cum Bartholomæô Sorliſi Anno 1666. contigerit. Huic ſcilicet caſtrato in Aulâ Saxonicâ uxorem ducere indulgebatur. De qvô Caſu non modò allegatus Johannes Georgius Nicolai *l. c.* agit, ſed tota etiam Relatio Tractatu, nomine Delphini Conjugium Evnuchi, Halæ 1685. in Qvarto prodiit. Et Michael Bernhardus Valentini eundem Caſum Novellis ſuis Medico-legalibus, *Caſ. 6. de Conjugio Evnuchi à pag. 62. usqve ad pag.* 212. inſeruit, ubi rationes pro & contra Matrimonium Evnuchorum cum diverſarum Facultatum Theologicarum & Conſiſtoriorum Reſponſis Lector benevolus reperire poterit. Alius etiam Autor C. d'Ollincam dans le Traité des Evnuqves ad Qvæſtionem, an Evnucho licitum

citum sit matrimonium contrahere? negativè respondet, atqve argumenta pro hâc sententiâ imprimis desumit à fine matrimonii primariô, qui est procreatio sobolis, cui Eunuchus nunquam satisfacere valeat. Præterea multa gravissima incommoda recenset, quæ Eunuchorum matrimonia necessariò afferunt, adeoque si contigerit, tale matrimonium fuisse contractum, illud pro nullô ac invalidô esse declarandum statuit. Deniqve etiam demonstrat, nec leges civiles, nec Religionem Romano-catholicam, nec Religionem Lutheranam, nec Reformatam pati, ut Eunuchis matrimonium concedatur; atqve dehinc omnes Objectiones diluit, qvæ pro defendendis vel excusandis Eunuchorum matrimoniis adduci solent. *vid. Act. Erudit. Lips. An. 1708. pag. m. 310.* Tale exemplum impediti matrimonii reperimus dans le Journal des Sçavans seu Ephemerid. Erudit. Fr. Nitsch. *Ann. 1665. pag m. 66. seq.* Scilicet Dionysius Benotus Matrimonium consensu tam parentum suorum, qvàm virginis inire volens contraxit, idem præsentibus Notariis. Qvò verò matrimonium redderetur consummatum, præconia sponsalitia declamari publicè à Parochô petiit, à qvô tamen, propter rumorem publicum, quo Dionysius Benotus habebatur Eunuchus, repulsam tulit. Qvâ acceptâ, diem dixit Parocho impetraturus, qvò matrimonio suo contrahendo sacra facere cogeretur. Benotus autem, cùm coram Judice omninò diffiteri non posset Impotentiam suam, cum actione suâ rejectus est à Foro. Eunuchus appellando intercessit & Virgo intercessione suâ Celebrationem Conjugii petendo. Dixit uterqve matrimonium secundum Canones cum impotenti non haberi nullum, si persona cum impotenti contrahens rei non sit ignara: Contrahens nimirum scienter cum impotenti ad copulam ab eâ non separatur, qvod *Cap. 4. Decret. Lib. 4. Tit. 15.* expressum est. Item

Ro-

Romana Ecclesia consvevit in consimilibus judicare, ut qvæ tanqvam uxores habere non possunt, habeant, ut sorores. Qvod verò matrimonium cum impotente interdum pronunciatum fuerit nullum, non eam ob rem contigisse, qvod fuerit impotens, sed qvia potentem se professus, aliter tamen fuerit inventus: atqve adeò tunc errorem fuisse in personâ, qvi impedit Matrimonium. Nihilominus tamen, contra Advocati Conclusiones contraqve omnem Causidicorum spem, nullô Interventionis Virginis habitô respectu, sententia confirmata est & pronunciatum: Evnuchum non posse contrahere matrimonium. De Matrimonio Evnuchorum ita scribit Philippus Jacobus Vintherus, *Disput. inaugur. περὶ τῶν ἀτελῶν μορίων, cap. 7. pag. 19. seq.* Qvandoqvidem non alio fine naturam, & partes genitales dedisse mortalibus, & impetum, amorem scilicet, indubium est, nisi ut genus humanum conservetur, gravius, qvam ipsi Spadones & Evnuchi, mulieres peccant, qvæ istis nubunt; nec enim, ut naturæ, qvod ipsa potentissimo instinctu jussit, morem gerant, Evnuchis sese prostituunt, sed ut pudendo & inexplicabili scelere tantum lascivię indulgeant, irritumqve reddant naturæ consilium.

§. 9.

Qvodsi verò post contractum Matrimonium aliqvis Evnuchus factus sit copulam imperfectam, cum missione non veri seminis exercere non prohibetur; Qvia, licet tales matrimonium contrahere neqveant, contracto tamen uti eis licet, qvatenus id fieri potest, juxta Judicium Facultatis Theologicæ Hasso-Giessenæ. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Med. legal. Cas. 6. p. 81. seq.*

Monorchides. Hactenus de verè castratis, seu iis, qvi utroqve orbati sunt testiculo, deqve eorum Impotentiâ & matrimoniô locuti sumus,

ſumus, nunc etiam ad Monorchides, ſeu qvi unô tantum armati ſunt teſticulô, progredimur, qvippe qvi qvandoqve æqve duram ſortem apud puellas experiuntur. Sive enim natura, ſive Caſtratoris manus eosdem alterô privaverit teſticulô, id ubi juvenculæ, qvas ejusmodi Monorchides in Sponſas ambire conantur, reſciverint, vix in eorundem matrimonium conſentient, perſvaſæ nimirum, tales monorchides aut planè nullos, aut paucos tantum generare liberos, atqve debitum matrimoniale non æqvè, ac alii, ſolvere poſſe, hinc ſæpius miſeri pulſam ferunt. Unde hoc locô occurrit

QVÆSTIO II.

An Monorchides vel naturâ tales, vel qvibus alter teſticulus exſectus aut aliô infortuniô ablatus eſt, ad generandum æqve habiles ac alii, duobus aut tribus, vel pluribus Teſticulis dotati; vel annon potiùs ſteriles atqve ad matrimonium inepti ſint?

§. 1.

Circa reſponſionem ratione potentiæ ad negativam aliqvatenus inclinat Johannes Scultetus, *Armament. Chirurgic. Part. 2. Obſerv. 64. p. m. 9.* his verbis: Qvamvis multi poſt alterius teſticuli exciſionem aliqvot procrearint liberos, non pauci tamen antea fœcundi, licet in unô ſaltem latere exciſi fuerint, ſteriles facti ſunt. Et ſecundum Wilhelm. ten Rhyne, *de Promontor. bon. ſpei ſeu de Hottentott. cap. 22. p. m. 64.* Incolæ hujus Promontorii, Hottentottorum nomine venientes, omnes, qvotqvot naſcuntur, maſculos

An Monorchides generare poſſint? negant alii.

alterutrô testiculo statim à nativitate castrant, & qvidem ideò, ne infrugifera terra plures, qvàm alere possit, Incolas recipiat.

§. 2.

Alii affirmant; Attamen allegata Sculteti verba juxta Pauli Ammann. *Prax. Vulner. lethal. Decad. II. Histor. 6. Cribrat. pag. m. 184.* citra fundamentum scripta esse, aliorum Autoritas atqve exempla docent. Inqvit enim Fortunatus Fidelis, *de Relat. medic. Lib. 3. Sect. 2, cap. 2. p. m. 355. seq.* Qvodsi alter tantum Testiculus deficiat, defuerit qvidem ad foecunditatem aliqvid, (nam &, qvi alterô oculô captus est, minùs integrè cernit,) verùm qvicunqve ille est, generare nihilominus potest. Et reverà omnem sangvinis vim, qvi ad utrumqve testem descendere à totô assveverat, tunc ad alterum, qvem unum reliqvum habet, devenire, aut saltem maximam ejus partem, verisimile est. Qvibus verbis eqvidem Fortunatus Fidelis aliqvalem potentiam admittere videtur, cùm duo oculi plus videant unô. Hoc simili etiam contra Lentilii judicium, de virilitate communicatum, usus est Medicus qvidam in Rosin. Lentil. *Jatromn. Part. 2. cap. 34. pag. m. 653.* Cui tamen *pag. 655.* Lentilius optimè respondet, qvod de unô, inqviens, oculorum læsô attulisti, tantum abest, ut te defendat, ut succumbere potiùs faciat. An igitur, qvi monoculus est, minùs videt, qvàm qvi ambobus oculis dotatus? an magis ambabus auribus auditur, qvàm unâ? vide, qvorsum declines! Annon, qvi acutiùs videre volunt, alterum oculum claudunt? Potiùs itaqve contra te ita concludo: Qvemadmodum Deus generi humano, imò plerorumqve animantium sapientissimè prospexit, iis duplicia organa sensuum istorum, qvorum est ad sui generis consecrationem summa necessitas, largiendò, ut unò deficiente, alterum defectum suppleat; ita multiplica-

tioni

tioni speciei binos qvoqve testiculos ob eandem rationem appendere dignatus est. Et Johannes Casparus Westphalus, monorchides, inqvit, per se & suâ naturâ ad Matrimonium & Generationem inepti non sunt, qvoniam defectu unius testiculi materia spermatica & spiritus animales per arteriam spermaticam & nervos eò copiosiùs ad alterum testiculum deferuntur. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. medic. legal. Cas. 4. pag. m. 53.* De monorchidibus ita scribit Rosinus Lentilius, *M. N. C. Dec. III. Ann. 3. App. p. 83.* Sin ad Ovum muliebre fœcundandum non reqviritur, nisi Seminis virilis aura tenuis & spirituale fermentum, qvidni tunc Monorchides æqve sint ad Venerem prompti? Et *Jatromnem. Part. 2. cap. 34. pag. 654.* inqvit: Nusqvam in Mediciuâ forensi, nec in Zacchiæ Qvæstionibus, nec in Ammanni Mediciuâ criticâ, nec in Fortunati Fidelis Relationibus, nec in Ammanni Irenicô, nec in Valentini Pandectis unqvam qvenqvam propterea in forô impotentiâ accusatum vel condemnatum reperies. Neqve vel Sennertus, vel Ettmüllerus, vel alii fortasse Practici, inter causas vel erectionis Membri læsæ, vel defectus Seminis recensitum videbis unius Didymi defectum. Et *pag.* 646. dictus Autor eqvidem largitur, ob alterius Testis excisionem pauciorem seminis qvantitatem generari posse, nondum tamen impotentiam ad maritalem congressum hinc ortum trahere conseqvi. Domini etiam Jurisconsulti Monorchidem seu eum, qvi cum unicô testiculô natus est, aut alterum amisit, (qvem unicolem dicunt) pro Sanô habent atqve generare posse credunt. vid. Joh. Georg. Nicolai, *de Repud. & Divort. cap. 2. §. 3. pag. m. 79.* Et juxta Paul. Zacch. *Qvæstion. medic. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 9. §. 4. seq. fol. m. 286.* Spadones, id est, qvibus alter testiculus excisus, neqve ad coeundum, neqve ad generandum sunt impotentes, qvia &

 in

in erectione, & in Seminis productione, & concoctione, & emissione non magis deficiunt, qvàm cæteri, qvi ambobus donantur. Virtus enim unitur in his. Itaqve allegantes hoc impedimentum tam in coëundi, qvàm in generandi potentiâ, non audiendi, tanqvam si nihil ad rem faciens allegaverint; nisi testis relictus parvus & deficiens sit & in summâ ea vitia sortiatur, qvæ etiam ambobus communia sunt, & interdum coitum, interdum generationem, interdum utrumqve simul impediunt. Et *Lib. 8. Tit. 1. Qvæst. 14. No. 7. fol. 690. seq.* Unius testiculi, inqvit idem, privatio nec naturam in muliebrem immutat, nec mores deteriores efficit, nec qvicqvam de virilitate demit.

§. 3.

Exempla. Qvam Autorum sententiam etiam confirmant Exempla, siqvidem Regnerus de Graaf, *de Viror. Organ. pag. m. 7.* in Nosocomio Leydensi aliqvando Cadaver dissecuit, in qvô tantùm unus testiculus reperiebatur, nullâ Cicatrice in Ingvine aut Scroto existente: qvâ de causâ Uxorem ejus, apud qvam qvatuor liberos procreaverat, seriò interrogavit Graafius, num unqvam duos testiculos habuisset? qvæ tamen, maritum suum nunqvam plures, qvàm unum testiculum gestâsse respondit. Studiosi Misnici, qvi unicô teste virilitatem probavit, libidine nulli inferior, meminit G. Wolff. Wedelius, *M. N. C. An. 2. Obs. 256. p. 338.* & Salomon Braunius Villicum qvendam à natura Monorchidem, non Castratum, multorum liberorum utriusqve sexûs patrem se observâsse refert ibidem. *An. 4. & 5. Observ. 13. p. 18.* Item Baldassar Timæus à Güldenkl. *Lib. 3. Cas. 45. p. m. 185.* exemplum annotavit cujusdam, nomine Manteuffel, qvi adhuc puer ex sectione Herniæ carnosæ, testiculô dextrô privatus, adultusqve dein factus, sterilitatem metuens, anceps de ineundô Conjugiô fuerat, tandem

aleam

aleam jecit atqve trium uxorum legitimâ succeſſione maritus liberos genuit qvindecim utriusqve ſexûs. Monorchidis Liberorum utriusqve ſexûs Parentis meminit etiam Benedictus Hermannus & qvidem amici ſui intimi, qvi ab Herniotomô in infantiâ ſuâ ſiniſtrô orbatus teſticulô, cum uxore ex fœcundo Conjugiô viduâ piâ & domui ſuæ inſtar Cochleæ affixâ, diverſi ſexûs liberos procreavit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſervat. 66. p. 156.* Aliud exemplum viri, qvem imperita manus cujusdam Exteſticulatoris Monorchin effecerat, anorchin filium generantis refert Michael Fridericus Lochnerus, *Ephemerid. Academ. Nat. Curioſ. Cent. 1. & 2. Obſervat. 191. p. m. 318.* De adultero, cui ſiniſter teſticulus ante triginta duos annos Herniotomus extraxerat, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Caſ. IV. p. m. 51. ſeq.* Unum & magnum teſtem in fœcundô virô obſervavit Thomas Bartholinus, *vid. ejusd. Anatom. ref. Lib. 1. cap. 21. p. m. 208.* Et ejusmodi Monorchidum, ſive naturâ, ſive Caſtratione talium, generantium tamen, multosqve interdum liberos procreantium, exempla ubiqve plurima proſtant. Cùm autem allegatus Timæi Monorchis ſeu Semicaſtratus tam inſigne fœcunditatis præbeat exemplum, cur non æqve ab illis, qvibus non per caſtrationem, ſed à partu unicus in ſcrotô pendet Teſticulus, (modò non ſit marcidus aut vitioſus, ut in illo Juvene, cujus ex Riolano meminit Graaf. l. a. p. 7.) eandem fœcunditatem exſpectemus? cùm præprimis non adeò certi eſſe poſſimus, annon juxta ſuperius allegata exempla alter teſticulus adhuc vel in abdomine, vel in Ingvine & intra Peritonæi proceſſum latitet; Vel annon etiam in Monorchide naturâ tali ad unicum teſticulum duplicia vaſa ſeminaria percurrant, qvale exemplum vidit Paulus Zacchias in qvôdam, cujus Cadaver cùm ſecaretur, unicô teſte ex naturâ donatum repertum eſt, ſed ſatis craſ-

sô: & qvòd majorem in admirationem Spectatores traxit, illud fuit, qvòd vasa seminaria in dextrâ parte, ubi testiculus erat, duplicata habebat. v. Zacch. *Quæst. med. leg. Lib. 2. Tit. 3. Qu. 7. §. 4. fol. 242.*

§. 4.

Qvodsi proinde accidat, ut v. g. Sponsa vel rumore, vel veritate & experientiâ rescisceret, sponsum suum unicum tantummodo habere Testiculum, indeqve sibi sterile matrimonium imminere metueret, eâqve de causâ, pacti pœnitens, matrimonii instantis impedimentum vel dissolutionem expeteret; tunc sanè vel propria sponsi confessio, vel etiam ejusdem partium genitalium Inspectio necessaria erit; Qvo in casu, Medico ad hunc actum reqvisito, ante omnia indagandum erit, an præsente uno Testiculo alter revera desit, nec ne, siqvidem, alterum Testiculum, qvandoqve vel à nativitate, vel à Castratione & alio infortuniô reverè deesse, vel saltem, pariter à nativitate, vel aliis causis, & qvidem modò in ingvine, modò in ipso abdomine, tantùm latitare, jam supra diximus. Signum Testiculi per Castrationem exsecti ex Cicatrice, post Operationem relictâ, dignoscitur, hacqve apparente de reali Testiculi absentiâ certi sumus; cicatrice autem absente, dubii adhuc hæremus, annon Testiculus vel à nativitate in Ingvine aut abdominis cavitate lateat, vel etiam ex Scroto ad Ingven retractus fuerit; qvod ultimum per tactum explorare facilè possumus, si nimirum absqve dicta cicatrice in Ingvine vel superiori Scroti parte ejusdem lateris, ubi Testiculus in Scroto desideratur, Tumor aliqvis, à bubone tamen ingvinali bene distingvendus, digitô sentitur. Qvamvis autem in dicto locô nec visu, nec tactu, testiculus reperiatur, nihilominus idem in cavitate abdominis absqve ullo periculô latitare poterit; ut adeò ejusmodi Sponsa non habeat, de qvô metuat, dummo-

do

do Testiculus Scroto inhærens naturalis satisqve vegetus sit, ipseqve sponsus bonâ valetudine & robore fruatur. Nullum etiam damnum à Monorchidibus realibus, sive ejusmodi viris, qvi qvacunqve occasione altero Testiculô privati sunt, Virginibus aut uxoribus imminere, hactenus allegata Monorchidum, liberos qvandoqve sat multos procreantium, exempla sufficienter confirmant; ut adeò ex hoc fundamento, cæteris paribus, nec sponsæ, nec uxoris desiderio, tam ratione matrimonii impediendi, qvàm dissolvendi subscribendum sit; siqvidem etiam Ulpianus digestis de ædilitio edicto sancivit, sanum censeri debere, qvi unum Testiculum obtineat; qvoniam unô generare valet. vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 6. p. m. 301.* ubi se hoc in plurimis certo didicisse experimento scribit. Frustraneus etiam est metus, qvem fœminis incutere posset sententia veterum, ac si ex altero Testiculo, dextro scilicet, mares tantùm, ex altero verò, seu sinistro, fœminæ nascerentur, ut adeò sponsus vel vir Monorchis ad utriusqve sexus procreationem inhabilis esset, siqvidem præter ea, qvæ supra de hominis generatione atqve materiâ diximus, Monorchides hactenus allegati utriusqve sexus liberos in magna copia generasse docent.

§. 5.

Interim tamen negandum non est, qvandoqve etiam occurrere Casus Monorchidum, per accidens ad procreationem Sobolis minùs aptorum, qvibus imprimis alter testiculorum, v. g. dexter per Herniotomiam extractus fuit atqve resectus, simul tamen in altero seu sinistro latere, Enterocele sive Hernia intestinalis reperitur, ita, ut intestina prolapsa Scrotum nimis extendant, atqve ob ipsorum complicationem, vel etiam cum Scroto coalescentiam, in abdomen reduci neqveant; atqve hoc modo arteria & vena Spermatica, tam præparantes, qvam

qvam deferentes, musculus cremaster, imò ipse testiculus & nervi continuò ab iisdem comprimantur, sicqve motus sangvinis & spirituum animalium ad testes & musculos penis non parum debilitetur, partimqve genituræ elaboratio, licet non in totum, attamen in tantum, partim etiam ipsius penis erectio, notabiliter impediantur; Cùmqve hoc modò propter Spirituum ad genitalia insufficientem irradiationem minor aut omninò nullus Veneris stimulus naturaliter adesse possit, parum etiam aut nihil genituræ fæcundæ excernatur. Ex qvibus circumstantiis patet, in simili casu impotentiam non tam ab alterius testiculi defectu, qvam ab Herniâ seu intestinorum in scrotum prolapsu derivandam atqve defendendam esse, uti à Johanne Casparo Westphalo in defensione cujusdam ex Castratione Monorchidis simulqve herniosi adhuc cujusdam Cauponis, in cujus Scroto non tantum plura intestina, sed & omentum detinebantur, factum legimus in Mich. Bernhard. *Valentin. Novell. med. legal. Cas. IV. pag. m. 50. 52. seqq.*

QVÆSTIO III.

An Triorchides, Tetrorchides, &c. seu illi, qvi tribus vel qvatuor armati sunt Testiculis, Monorchides & Diorchides, i. e. unô, vel secundum naturam duobus Testiculis gaudentes, potentiâ coeundi & generandi superent?

§. I.

An Triorchides sint potentiores,

HActenus de illis, qvi Testiculorum defectu laborant, seu de Evnuchis, i. e. de perfectè, & Semi-Castratis, eorumqve suspectâ & denegatâ Virilitate egimus, nunc autem ad eos, qvi eorundem abundantiâ superbiunt, seu ad Triorchides, Te-

Tetrorchides, &c. tales, qvi tribus, qvatuor aut pluribus testiculis præditi sunt, progredimur; qvippe qvi ob majorem seminis elaborationem maximè libidinosi atqve ad generationem aliis potentiores judicantur. Inqvit enim Christianus Johannes Langius, *Physiolog. Thes. 36. Oper. medic. Part. 1. f. m. 21.* qvibus plures, qvàm duos testes concessit natura, ordinariè laborant copiâ seminis, immoderatâ hincqve vix coitu multiplici exhauriuntur. Idem testatur Leal Lealis, *Exercitat. epistol. de Partib. Semen conficient. pag m. 11.* scilicet hujusmodi viros, qvibus tertium coleum Naturæ munificentia adjecit, pugnacissimos in Veneris Castris esse; id qvod dicto Autori certus qvidam Vir Nobilis Triorchis pluries affirmavit, multumqve supra fidem Ambrosii illius roris, si qvæ daretur mulierem inscendendi occasio, profundere exjuravit. Confirmant hoc etiam alii Autores, atqve Triorchidum suprà Cap. II. allegata Exempla, v. g. de Monachô indomitæ libidinis, vid. Hieron. Mont. *Anascev. Tom. 4. cap. 37. pag. m. 512.* de Juvene Antwerpiano valde luxuriosô, vid. Petr. Forst. *Obs. medicin. Lib. 27. Obs. 15. Schol. fol. m. 604.* Nec minus vir triginta annorum, qvi in latere dextrô geminum habebat testiculum, valde libidinosus dicitur à Gerardo Blasio, *Obs. med. Part. 4. Observat. 20. p. m. 60.* De Agathocle Siciliæ Tyrannô, Lud. Cælius Rhodigin. *Lection. antiqv. Lib. 24. cap. 4. fol. m. 916.* ita scribit: Agathocles, pubertatis annos egressus, libidinem à Viris transtulit ad fœminas. Traditur item, cùm esset perfunctus fatô, uxorem qverulam flexilibus modis illud subinde ingessisse, τί δ' οὐκ ἐγώ σοι, τί δ' οὐκ ἐμέ σου, qvid non ego tibi, qvid tu non præstitisti mihi. Et Casparus à Reies, *Camp. Elys. Qvæst. 48. §. 3. pag. m. 591. seq.* de ejusmodi Triorchidibus ita dicit: hos omnes fervidæ libidinis & generosi animi viros fuisse, pleriqve autorum perhibent, Affirmatur

qvod ipsa ratio probat; nam si testibus demptis virilitas omnis & robur hebescit, ipsorum adauctô numerô libidinosiorem ac generosioris animi hominem evasurum facilè colligitur. Philippus, Landgravius Hassiæ, triorchis tam inexhausti ad venereos usûs fuit succi, ut, cùm Uxore suâ solâ uteretur, & illa toties eum admittere non posset, vir alioqvi castus, ex ejus permissu, negotiô cum Pastoribus communicatô, concubinam superinducere coactus fuerit, uti ex Thuanô refert Johannes Jonstonus, *Thaumatograph. Class. 10. cap. 5. Art. 3. p. m. 460.* Hic sane Princeps in effectu monstravit, verum esse, qvod de Triorchidibus scribit Paulus Ammannus, *Iren. pag. m. 146.* scilicet ipsos in Veneris campô esse Heroes. De Pentorchide, cujus supra ex Joh. Benj. Scharffiô mentionem fecimus, dictus Autor ita scribit: Hic, ut aliàs omnes τρίορχοι, in Venerem summè erat proclivis, ut etiam, puerum vix qvatuordecim annorum, ancillas patris sui stuprâsse, rumor esset; Et ab œstrô libidinis; Imò Priapismô mirè & qvotidie ferè exercebatur.

§. 2.

Negatur. Attamen nec hanc regulam perpetuæ veritatis esse, probant exempla in contrarium, siqvidem Juvenis qvidam viginti qvinqve annorum, boniqve Corporis habitûs, & cætera bene valens, etiamsi tres aleret testiculos, adeò tamen frigidus erat & ad Venerem ineptus, ut seriò Georgio Abrahamo Mercklino fassus sit, se per omnem vitæ suæ decursum nunqvam ejus membri, qvô viri sumus, erectionem sensisse, nec ullum unqvam venerei amplexûs expertum esse stimulum, imò habere sibi abblandientes fæminas & ad earum præsentiam exhorrescere atqve pallere, non secus, ac si animi deliqviô corriperetur. Et circa finem ejusdem Observationis, scilicet *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Observ. 211. pag. 358.*

di-

dictus Mercklinus addit, multiplicem experientiam jamdudum docuisse, illos neqvaqvam venereis in conflictibus imbelliores esse, qvibus vel naturâ unus tantùm contigit Testiculus, vel alteruter factâ sectione amputatus est. Item Triorchides aliis, qvi unum vel duos testiculos habent, qvoad generationem minimè prævalere, credit & defendit Nicolaus Venette, *Tableau de l' Amour conjugal Part. 1. cap. 1. Art. 2. p. m. 8.* Ceux, inqviens, qvi ont trois ou qvattre testicules, sont bien plus communs, qve ceux, qvi n'en ont, qv'un; & nos Histoires de Medecine remarqvent, qv'il n'y a guere de Royaumes, qvi ne fournissent des familles, où il n'y ait des hommes, à trois testicules, mais ceux cy n'ont pas l'avantage des premiers, puisqv'au lien d'estre fertiles par la multitude de leurs parties, ils en deviennent impuissants, la vertu prolifiqve estant divisée en trop de parties, pour avoir de la force. Agothocles Roy de Sicile, & Monsieur Pint de cette Ville (de Paris connurent bien, qve le plus grend nombre de Testicules n'estoit pas le meilleur pour la generation, bien qv'il le fust pour l'ardeur & pour le plaisir: & qv'il valoit beaucoup mieux n'en avoir, qv'un, ou deux, que d'en avoir d'avantage. Qvod autem de Triorchidibus diximus, eos scilicet qvoad generationem non semper in bellô vènereô potentiores esse illis, qvi unicô tantùm vel duobus præditi sunt testiculis, illud etiam de Tetrorchidibus & Pentorchidibus, seu illis, qvi qvatuor vel etiam qvinqve Testiculos habent, verum esse potest; qvamvis enim tales testiculorum numerô reliqvos superent, non tamen semper sunt potentissimi summeqve fœcundi, sed sæpe steriles & impotentes observantur, & qvidem propter vasorum angustiam; dum scilicet seminis materia non ritè elaborari vel non sufficienter adduci potest. Et tales utplurimum ab illis, qvi duobus vel tribus tantùm te-

testibus instructi sunt, libidine, virtute & fœcunditate superantur; Et qvamvis ille Pentorchis, cujus supra capite secundo ex *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 89. p. 175.* meminimus, salacissimus fuerit, cum Conjuge tamen nullam unqvam suscepit prolem.

§. 3.

Triorchidum species.

In hactenus recensitis Observationibus tres imprimis annotantur Triorchidum, & pluribus adhuc Testiculis gaudentium, species; alii enim sunt satis salaces, atqve tam ad coitum, qvàm liberorum generationem potentissimi; alii eqvidem ratione coitûs salacissimi, ad procreationem autem Sobolis inepti; & tertiò alii adhuc sunt planè frigidi, atqve ad venerem adeò inhabiles, ut per totam vitam omnis erectionis membri virilis, omnisqve stimuli venerei expertes fuerint. Primæ Speciei Triorchides uti absqve dubio à salacissimis atqve insatiabilibus fœminis admodum desiderantur, vel ad minimum patienter feruntur, ita etiam rarissimè de ejusmodi maritis coram Judice conqveruntur, sed potius tam ratione lasciviæ, qvam prolis vivunt contentæ, nisi fortasse in ejusmodi viris nimia simul deprehendatur Phalli magnitudo, de qva materia Capite seqventi. Neqve etiam secundæ speciei Triorchides salacissimi, ob impotentiam generandi liberos, ab uxoribus in judicium citantur, cum ἀτεκνίας atqve infœcundi coitûs caussa æqvè ipsi uxori, qvàm marito adscribi posset, uti in aliis qvoqve subjectis, abundantiâ Testiculorum non gaudentibus, toto die occurrit.

§. 4.

Salacitatis cura.

Qvodsi etiam uxor, ob nimiam mariti lasciviam atqve inexplebilem cohabitandi pruritum, à Judice divortium expeteret, minimè tamen illud extemplo impetrabit, sed, meâ qvidem

dem sententiâ, ratione mariti ipsiusqve pruritûs, ejûsqve curationis, tria præsertim observanda erunt, & qvidem primò Temperamentum, secundò Diæta, tertiò Ætas. Ratione Temperamenti & Constitutionis notum est, Sangvineos, Scorbuticos, arthriticos, ut & macilentos nonnunqvam in Venere insatiabiles observari; qvapropter Medico eò invigilandum erit, ut humores nimis acres & salsi corrigantur, Plethora minuatur & Oestrum venereum, qvantum possibile, sedetur; Quale exemplum jam supra, Capite qvinto §. 18. ex *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 121. p. 280.* de Cive Qvedlinburgensi adduximus, qvi macilentus atqve scorbuticus, septuagenarius, Uxorem suam juvenculam, per tres menses, singulo nycthemero ad decem, duodecim, qvindecim & aliqvando viginti coitibus nimium defatigabat, ac ferè enecabat, donec curâ agnatorum per medicamenta à petulcô suô liberaretur. Simul autem ratione diætæ ipse vir ab omnibus esculentis ac potulentis calidis, aromaticis, spirituosis, semen augentibus atqve ad venerem stimulantibus abstineat, atqve, ne majorem materiæ seminalis atqve spirituum affluxum indies augeat, crebrius Veneris exercitium evitet, laboribus magis adsvescat, atqve devotis precibus Castitati suiqve abnegationi se voveat. Deniqve ætatis virilis vigorem, qvi in corpore sanô ad stimulum venereum non parum confert, crescentibus annis cum ipsô pruritu venereô nimis decrescere, pariter supra, Capite qvinto de Coitu, Observatione, ex Vito Riedlino adductâ, probavimus. Scilicet uxor qvædam gravida insatiabilem mariti venerem ad Judicem deferebat atqve, ut propterea divortium institueret, ardenter petebat; qvam tamen Judex notô adagiô,! nullam adhuc fœminam hac de causâ mortuam esse, dimittebat, pauloqve post, cùm à petito non desisteret, carceri committebat. Tandem, postqvam Uxor nullô modô per-

persvaderi posset, ut ad maritum rediret, divortium, qvod omnibus viribus urgebat, qvoad torum & mensam impetrabat. Verum enim vero, post sedecim annos maritus, qvi interea apud exteros servum egerat, domum rediens, pacem cum sua uxore inibat, tuncqve nimio Veneris œstrô cessante, arvum ejusdem genitale plus debitô non irrigabat; ut adeò novô divortiô opus non esset. Præterea etiam ex Jacobo Mollerô, *de Cornut. & Hermaphrodit. cap. 6. pag. m. 67.* nimiæ libidinis atqve pruritûs venerei exemplum retulimus de Catalanô quodam, qvi cum uxore qvolibet die trigesies concubuerat, unde ei à Rege Arragoniæ sub pœnâ capitis prohibebatur, ne plus, qvam sexies, qvalibet die Uxorem cognosceret, ne ea in discrimen mortis incideret. An verò in hoc Casu, si dictus Catalanus Regis mandatum, amoris impulsu, esset transgressus, divortium pœna capitali instituendum fuisset, ad me non pertinet. Mitior verò est sententia, qvam paulò antè de Philippo, Landgravio Hassiæ, ex Johanne Jonstono adduximus. Scilicet dictus Landgravius triorchis tam inexhausti ad usus venereos erat succi, ut Uxor, qvâ sola utebatur, eum toties admittere non posset, hinc ex Conjugis permissu, negotiô cum Pastoribus communicatô, Concubinam superinducebat. Hoc tamen est exemplum nullius conseqventiæ, de quo consulantur Domini Theologi atqve Juris-Consulti.

§. 5.

Casus. Ad Forum Theologico-Juridicum primariò etiam pertinent ejusmodi Casus, si v. g. ob prohibitam aut à parte Uxoris impeditam Cohabitationem matrimonialem Maritus optimè sanus, vegetus, sangvineus, florentis ætatis, corpusqve suum copiosè nutriens, pro variis, à feminis abundantiâ sibi metuendis, morbis declinandis, præter uxorem etiam Concubinam alere velit; quale exemplum in Johann. Frider. Zitt-

mann.

mann. *Medicin. Forens. Cent. 6. Cas. 71. pag. m. 1624.* reperitur. Postquam enim Vir temperamenti sangvinei, quadraginta aliquot annorum, lauteque vivens, Uxori suæ, ob causam ibidem non detectam, per aliquot annos cohabitare non potuerat, cum ipsâ tamen aliquot liberos genuerat, impulsu naturæ & propter abundantiam seminis, ad certos morbos, quibus aliàs fuisset obnoxius, præcavendos atque ad vitam prolongandam, Virginis cujusdam, octodecim annorum, familiari conversatione lusuque venereo ad imprægnationem usque usus fuerat, proque hujus facti defensione, adductis variis, de moderato Veneris usu, Autoritatibus medicis, sequentem casum & quæstiones Facultati Medicæ Lipsiensi transmisit, desuperque Responsum petiit. Scilicet Casus est:

Uxore ad Coitum ineptâ, an Maritus, ob Seminis copiam variis post intermissam Venerem morbis obnoxius, Concubinam substituere possit?

Adductisque quibusdam rationibus, à seminis abundantiâ & Coitus moderatô usu desumptis, & Autoritate nonnullorum Medicorum firmatis, has duas Quæstiones proponit: (1.) Ob nicht dieser *Natus ob denegatum cum uxore suâ congressum & ob subjecti alterius defectum*, nothwendig in grosse Kranckheit hat fallen und gerathen müssen, auch so er also geblieben, *ob abundantiam Seminis*, weiln dieselbe nicht wohl anders hat können *excernir*et werden, gar seinen Geist auffgeben müssen? Und (2.) ob nicht dergleichen *Subjectum*, wie *Natus* an sich gewehnet, und nach seinem *Plaisir* mit derselben *modest* umgangen, er von vielen gefährlichen Zufällen und tödtlichen Kranckheiten *liberir*et, auch, wie oben *ex fundamentis medicis deduci*-

ret,

ret, und wie *Natus* selbst wahrgenommen, von denenselben befreyet worden, und sofort zu seiner Gesundheit höchst-dienlich und ersprießlich sey? Weßwegen es ihm durchaus nicht vor eine Uppigkeit und Wollust, noch vor eine Hurerey, sondern vor eine rechte Conservation der Kräffte, und Verlängerung der Jahre, auszulegen und zu halten, ꝛc.

Responsum Facultatis:

P. P. So geben wir hierauff dieses zur Antwort: Was das Erste betrifft, wollen wir nicht läugnen, daß nach dem bekannten Vers:

Balnea, Vina, Venus, corrumpunt Corpora nostra,
Restituunt eadem Balnea, Vina, Venus.

moderatus Veneris usus mehr der Gesundheit zuträglich, als schädlich sey, zumahl bey denjenigen, welche sich daran gewehnet, und ob abundantiam Seminis mehr darzu geneigt seyn. Wir können auch gar wohl glauben, daß ein Mann in seinen besten Jahren, von gesunder Complexion, und der wohl essen und trincken mag, von Natur darzu angetrieben werde. Gleichwohl mögen wir hieraus nicht schliessen, daß nothwendig derselbe in große oder tödtliche Kranckheit hätte fallen müssen, woferne er den Coitum unterlassen. Alldieweil die Natur schon andere Wege weiß, und gemeiniglich per pollutiones nocturnas copiam Spermatis zu mindern pfleget. Könte aber Natus beybringen, auff die andere Frage zu antworten, daß er vormahls ante Matrimonium contractum & Veneris usum, etwa zur Epilepsie, Melancholie, oder dergleichen wäre geneigt gewesen, (denn was er unter denen Worten: Indem er befunden, daß hierdurch großen Kranckheiten, die er sonst empfunden, vorgekommen, ꝛc. will verstanden haben, können wir nicht wissen,) er wäre aber nach der Zeit, so lange er im Ehestande gelebet,

da-

und davon befreyet gewesen, hätte die Sache so ferne ihre Richtigkeit. Würden aber gleichwohl denen Herren Theologis und JCtis hierunter nicht vorschreiben, ob in dergleichen Falle sie eine Concubine verstatten solten oder nicht.

§. 6.

Annon vero allegatus Maritus potius ex Glacitate & libidine, quàm ad præcavendos morbos adulterium commiserit, ipsius conscientia testabitur. Longè castiores illi fuerunt, quorum supra cap. 5. §. 46. mentionem fecimus; nimirum Petri Portugalliæ Regis Filio, Jaime, Archi Episcopo, multoties Medici de Venere ineunda consulerant, quod ex impuri Seminis copia ægrotaret, qvibus tamen ille obedire nunquam voluit. Cùm Comes Conterrei, Hispanus, viduus & antea Veneri assvetus ob eandem causam periculosè ægrotaret, adstantibus, coitum ipsi pro conservandâ vitâ svadentibus, respondit: Non posse aliquid Corpori esse utile, quod animæ noceat. Et Michael Verinus ob Castitatis Zelum crudelibus morbis conflictatus ad Paulum amicum scripsit:

Promittunt Medici coitu mihi, Paule, salutem,
Non tanti vitæ sit mihi certa salus.

De tertiâ Triorchidum, Tetrorchidum aut Pentorchidum Specie parum aut nihil dicendum restat, vix enim ejusmodi Viri; qui per totam vitam neque penis erectionem neque appetitum venereum senserunt, uxorem ducendi desiderium fovebunt. Hinc à Testiculorum abundantiâ ad ipsorum non tam defectum, quam occultationem progredimur.

Casti.

QVÆSTIO IV.

An κρυψόρχιδες, seu illi, qvibus Testiculi, vacuo Scrotô, vel in Ingvine, vel in Abdomine latent, ad generationem apti, & ad matrimonium admittendi sint?

§. I.

κρυψόρχιδες TEsticulum modò unum, modò utrumque in quibusdam maribus, tam junioribus, quam adultioribus, non in scrotô, tanquam locô ordinariô, sed vel in Ingvine, vel in ipsô abdomine latentes reperiri, suprà Capite secundò multis exemplis probavimus. *An generare possint?* De his κρυψορχιδibus Qvæstio occurrit, an ab ipsis generandi potentia expectari ipsisque matrimonium concedi debeat? *Negant nonnulli,* Ad quam nonnulli Autores ex solo Testiculorum situ mutatô negativè respondent; ex quorum sententiâ Paulus Zacchias, *Qvæstion. med. legal. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 6. §. 7. fol. m. 781.* ita scribit: Circa Testes dubitationem facit eorum situs mutatus, nam in aliquibus conspiciuntur in ingvinibus siti, cumque hoc ex Caloris imbecillitate omninò procedat, ex consequenti videretur dicendum, non esse ipsos ad prolificum semen generandum aptos, neque etiam in coitu sufficientem vigorem genitali tribuere, ut ad instar cœterorum hominum ad coitum vir sufficiat; unde videndum esset per Canonistas, an tales validè matrimonium contrahant; nam si ad matrimonium reqviritur copula ad generandum, si hujusmodi testium non naturalis situs potest seminis confectionem & generationem impedire, certè hi non poterunt matrimonium validè contrahere. Et Johannes Riolanus, *Enchirid. Anat. Lib. 2. cap. 35. p. m. 177.* inqvit: Peccant

cant Testes in situ, dum intra abdomen latitant, vel in Ingvinibus continentur. Ex primò illo situ in divortiis viri declarantur steriles, etiamsi validi, qvia non sunt naturali locô positi.

§. 2.

Ad qvod tamen argumentum respondeo, concedendo, observari qvandoque Testicondos, qvorum Testiculi in Ingvinibus latitantes ob angustiam adeò comprimuntur, ut ipsorum vasa spermatica nimium coarctentur, hincqve testiculi admodum parvi & flaccidi existant maneantque, neque Semen prolificum generare seu elaborare possint. Quodsi verò testes reconditi in locô non adeò angustô, circa Ingvem alterutrum hæreant, vel etiam in abdomine lateant, ut ipsorum Vasa spermatica, tam præparantia, quàm deferentia non adeò comprimantur, cur quæso tales κρυψόρχιδες non æque ac illi, quibus testiculi in scrotô pendent, (modò testes latentes satis sint magni atque reliqua requisita habent,) ad salacitatem stimulari, semenqve prolificum parare ac ejicere poterunt? siquidem juxta Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 2. cap. 2. pag. m. 290.* omnes testes, qui intus latent, censendi sunt calidiores fortioresque & ad libidinem propensiores. *Affirmantium;*

§. 3.

Neque etiam tales Testicondi Evnuchis aut Castratis pares sunt habendi, dum, hos testiculos privatos esse, vel ex relatione & memoriâ ægrotantis, aut amicorum atque cognatorum, vel etiam ex signis & cicatricibus post Castrationem in Scrotô aut Ingvine relictis, certô scire possumus, qvæ tamen in illis non reperiuntur. Hinc non valet conseqventia: in hujus viri Scrotô nulli reperiuntur testiculi, ergò est castra- *Differentia inter Testicondos & Castratos.*

 tus,

tus, vel planè desunt testiculi; cùm vel in abdomine vel Ingvinibus absconditi lateant, atqve interdum ipsorum situs & magnitudo tactu etiam explorari possint. Ex hac fortasse ratione qvoqve Paulus Zacchias, *l. a.* ratione generationis & matrimonii ita pergit: Dicendum ex meâ sententiâ esset, qvòd, si constare possit, hujusmodi Viros Semen generare, non obstante eâ mutatione sitûs testiculorum, esse aptos ad generationem & conseqventer non ob ineptitudinem generandi esse à matrimoniô repellendos, si modò generandi impedimentum est causa sufficiens ad impediendum, ne contrahant; & prædicta tantò magis veritatem habebunt, qvantò ipsi testes magnitudine aliisqve conditionibus essent insignes: nam contrà eorum exiguitas, mollities, flacciditas & aliæ id genus conditiones dubium mirum in modum augebunt; imò certitudinem præbebunt impotentiæ generandi atqve etiamsi aliæ conditiones concurrant, facient præsumptionem frigiditatis & impotentiæ coëundi.

§. 4.

κρυψόρχιδες generare.

Posse autem nonnullos Testicondos, seu tales viros, qvi scrotum eqvidem, non tamen à Castratione, vacuum habent, sed testiculos in Ingvine aut abdomine latentes fovent, Venerem & qvidem cum fructu exercere, testatur historia Gvernerì Rolfincii, *Tract. de Partib. Generat. dicat. Part. 1. cap. 5. p. m. 29.* reperiunda: Scilicet Circumforaneus qvidam in magno honore habebatur à mulieribus, qvòd & in venereô duellô se strenuum exhibere posset militem, & tamen testes nullos habere videretur. Spem concipiebant ancillæ non conjugatæ, illum sic fore sterilem, neqve se impraegnatum iri. Ad supplicium ductus & decollatus cùm esset, Prosector testes in Ingvine reconditos observavit. Argumento hoc est, addit dictus Autor, testicondos salaciores esse præ reliqvis, qvibus te-

teſtes vel ſesqvipede longiùs extra abdomen propendent. Item Bartholomæus Cabrolius ſeqventem Obſervationem recenſet: Oblatus mihi, ait, viginti & duos annos natus adoleſcens, qvem qvia Parentes inteſtabilem naturâ deprehenderant, matrimonione an eccleſiaſtico ſtatui addicerent, dubitabant. Adhibitus ego in conſilium, autor fui, in leges ut mariti deſcenderet. Dictum factum. Vivit etiamnum jamqve complures genuit filios teſtaturos mihi, ſine teſtibus ſe genitos. vid. Gothofr. Mœb. *Fundam. Med. Phyſiol. cap. 19. pag. m. 464.* ubi, dubiô procul iſtum teſtes intus latentes habuiſſe, addit. Aliud exemplum Stupratoris cujusdam, externè & internè planè inteſtati, ex eodem Cabrolio adducit Regnerus de Graaf, *de Viror. Organ. pag. m. 6.* De his duabus Cabrolii Obſervationibus judicat Isbrandus Diemerbroc. *Anatom. Lib. 1. cap. 22. fol. m. 121.* in altero ſubjectô vel teſtes in abdomine delituiſſe, in alterô verò aliud qvid teſtibus analogum, in qvô ſemen elaboratum eſſe potuit, pariter latitâſſe. Refert etiam ibidem Diemerbroccius, Bauhinum adoleſcentem viginti annorum vidiſſe, cui nulli teſtes foris erant penduli, qvi tamen ſalaciſſimus erat. Præterea addit: Se ante multos annos, in Bataviâ ſuperiore noviſſe hominem, multâ prole, magis qvàm pecuniâ ditatum, cui nulli teſtes foris, penduli fuerant. In Juvene ruſtico viginti ſex annorum nullum apparebat ſcrotum & teſtes intus latebant, ob mentulam vero monſtroſam & ſummam libidinem idem valde erat famoſus. v. Chr. Franc. Paullin. *Obſerv. med. phyſ. Cent. 4. Obſerv. 82. pag. m. 505. ſq.* De his ab extra inteſtatis ſcribit Regnerus de Graaf, *l. a. pag. m. 9. ſeq.* cùm juniores arietes caſtrare tentant imperiti, compreſſione digitorum teſticulos, anteqvam exſecti ſunt, per Proceſſum Peritonæi in Cavitatem abdominis aliqvando propellunt, ubi ad finem vitæ permanent, remanente nihilomi-

nus coëundi deſideriô, qvod non minùs, qvàm in aliis arietibus, qvi eos in Scrotô geſtant, cum tempore accreſcere obſervatum eſt. Hinc ſtatim tales ſe litem perdituros exiſtimare non debent ex eô, qvòd cum teſtibus prodire non poſſint, qvia, ut ex dictis liqvet, aliqvando in Cavitate Abdominis continentur, & ibi vim ſuam exercere poſſunt teſticuli, æqvè ac in fœminis, qvæ nunqvam illos extra cavitatem abdominis pendulos geſtant; Imò, ſi Autoribus habenda ſit fides, pugnæ venereæ aptiores exiſtent; nam dicunt, animalia, qvæ teſtes in abdominis cavitate abditos habent, ſalaciora eſſe, ſæpius coire & plures fœtús gignere. Canem duobus licet orbatum teſticulis admodùm tamen libidinoſum, cui tertius inſuper in ingvine latebat, vidit Lucas Schrœckius, *v. Joh. Helwig. Obſ. 131. Sch. p. m. 362.* uti jam ſupra diximus.

§. 5.

Medico autem non ſufficit ſcire tantum κρυψόρχιδες generare poſſe, ſed occurrunt interdum Caſus medico-legales, circa qvos Medici Judicium cum rationibus deſideratur. v. g. Si qvando Juvenis à fœminâ meretrice ſtupri & impraegnationis incuſaretur atqve à Magiſtratu ad Matrimonium vel ſaltem ad Infantis ſuſtentationem condemnaretur; ipſe autem pro excuſatione atqve defenſione ſuâ, ex Scrotô vacuô atqve plenariô Teſticulorum defectu, ad ſuam impotentiam generandi provocaret; tunc Medicus ad inſpectionem litisqve deciſionem reqviſitus in memoriam revocat, qvod ſupra Capite 2. §. 20. annotavimus, ſcilicet in Scroto interdum Teſticulos deeſſe vel à nativitate, vel ab externo qvodam infortunio, e. g. à Gangræna & Sphacelo, ab avulſione, reſectione & Caſtratione, vel etiam qvandoqve à Teſticulorum occultatione ſeu ſitu vitioſo, qvando nimirum modò in Ingvine vel circa radicem Penis, modò in ipſo Abdomine latent. Hinc ante

omnia

omnia ex stupratore qværat Medicus, an ab infantiâ testiculis externè caruerit? an verò, qvantum ipsi notum, per infortunium qvoddam, Castrationem, &c. iisdem privatus fuerit? Ad qvam qvæstionem, sive ab infortuniô externô, se Testiculos amisisse, sive à nativitate eosdem defuisse fateatur accusatus, eædem circumstantiæ & signa, qvæ paulo ante, de Monorchidibus seu circa absentiam alterius Testiculi annotavimus, observari possint; videlicet si Testiculi ab extractione seu Castratione desunt, in utroqve latere Scroti Cicatrix, ab Operatione relicta tam visui, qvàm tactui se offeret. Si verò Scrotum à nativitate vacuum fuisse referat reus, tunc Medicus pariter, uti in Monorchide tantùm in uno latere, in hujus subjecti utroqve Ingvine Testiculum vel saltim tumorem qværat. Qvorum si nullum, nullam etiam præterea in Scroto cicatricem offendat, tunc Testiculos in ipso Abdomine latitare, omninò judicare poterit, cum omnimodus Testiculorum defectus rarissimæ sit observationis.

§. 6.

Ratione itaqve Judicii de stupratione, seu an talis χρυψορχίς hanc fœminam stupraverit nec ne, Medicus in defectu Testiculorum, præsentibus tamen in Scroto cicatricibus, accusatum bona conscientia absolvere poterit, qvi tunc pro verô castratô atqve ad generationem impotente habendus est. Qvodsi autem nullæ deprehenduntur cicatrices, econtra verò in Ingvinibus seu superiore Scroti parte magni tumores, à bubonibus differentes, apparent, tunc tales tumores pro testiculis ibidem latentibus judicandi sunt, ipseqve incusatus penitus absolvi non potest. Qvod etiam de iis judicandum, qvi vacuâ bursa neqve in Scrotô cicatrices, neqve in Ingvinibus Tumores seu Testiculos habent, tunc enim ob Testiculos in abdomine latitantes imprægnationis suspecti esse possunt, dummodo

do Coitûs fuerint convicti. Interim tamen adhuc dubium manet, an Testiculi in abdomine latentes justam magnitudinem & reliqva reqvisita habeant. Qvod etiam de Testiculis, in Ingvinibus latentibus, notandum, cùm à Testiculis nimis parvis, compressis & morbosis licet etiam in loco ordinario, scilicet Scroto, reperiantur, nullum semen perfectum atqve prolificum elaborari sicqve etiam nullus Coitus fœcundus expectari poterit.

Restant adhuc aliqvot Qvæstiones practicæ de Testiculis & Castratione annectendæ, v. g.

QVÆSTIO V.

An Maniaci Curationis gratia castrandi seu Testiculis privandi sint?

§. I.

An Maniaci Castrandi?

ANsam huic materiæ dant Medici practici; recenset enim Samuel Formius in Observationibus Riverio communicatis *Observat. 32. pag. m. 339.* ad Maniaci cujusdam adolescentis curationem potentissima remedia usurpata fuisse, ita ut etiam ad Trepanationem & Arteriotomiam temporum ventum fuerit. Cùm verò hæc nihil conferrent, se, Formium, Castrationem svasisse, hacqve usurpatâ omnia symptomata remisisse furoremqve cessâsse, &c. Persvasi scilicet erant veteres, maximum Cerebri cum Testiculis esse consensum, & vice versâ, qvi tamen consensus, qvoad Maniam, adeò clarus non est, nec alia inter has partes qværenda communicatio, nisi ratione nervorum, qvæ tamen Cerebro cum omnibus reliqvis Corporis partibus solet esse communis. Alii Castrationem ideò prodesse existimabant, qvia hac ratione tempera-

affirmatur.

men-

mentum immutetur, fortis animus exuatur atqve effœminatio inducatur vid. Luc. Schrœck. *Schol. in Joh. Helwig. Obs.* *131. p. m. 359.* & juxta Lud. Cœl. Rhod. *Lection. antiqv. Lib. 4. cap. 7. fol. m. 124.* subtractis testibus animal redditur frigidius, flaccescit qvoqve robur non secus ac senescentibus: Venæ coarctantur, sangvinis flos hebescit, minuuntur & arteriæ, pulsus relangvescit, Venereorum restingvitur appetentia. Porrò ita scribit Felix Platerus, *Prax. Lib. 1. cap. 3. pag. m. 132.* Castratio à Veteribus in morbis desperatis qvibusdam usurpari solita, qvia temperamentum hominis immutat, virilitatem & vehementiam compescit, corpusqve laxius & humidius reddit; in Maniacis præsertim & desperatis, cùm alioqvin inutiles sint, meo videre, aliqvid emolumenti adferre posset: qvam, circumstantiis omnibus deligenter examinatis, si alia non juvent, tentare liceret. Juxta Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. 1. Lib. 2. cap. 18. fol. m. 708.* in Maniâ Castratio juvat effœminatione inductâ toti corpori; & prodest, ne liberi à vinculis Maniaci, robore insigni præditi vim inferant obviis mulieribus, puellis. Et Gvernerus Rolfincius, *Epitom. Method. Curand. Lib. I. Part. I. cap. 18. p. m. 79.* in Curâ Maniæ Trepanationem & Castrationem prodesse scribit. Castrationem in Maniæ curâ etiam svadet Michael. Bernh. Valentini, *Prax. Medicin. infallib. Sect. 3. cap. 9. p. m. 215.* Imò præter exemplum supra ex Formiô allegatum extant adhuc alia Maniacorum Castratione restitutorum exempla, v. g. de Maniaco qvodam Musicô utrumqve sibi testiculum avellente atqve haud longô tempore post à scroti disruptione & mentis alienatione restitutô, cujus jam supra capite secundo ex Henr. Smet. *Miscellan. med. Lib. 10. p. m. 524. seq.* mentionem fecimus. Item Josephus Lanzonus exemplum Maniæ in puellô septem annorum pluraqve remedia incassum expertô, Castratione per-

 fecte

secte curatæ recenset, *Ephemerid. Acad. Nat. Curios. An. I. Obs. 62. p. 134. seq.*

§. 2.

Negatur.

Ex recensitis hactenus rationibus & exemplis facillimè Medicus atqve Maniacorum agnati ad talem Maniæ curam, sc. Castrationem, persvaderi poterunt. Cùm verò hæc Operatio chirurgica in Maniacis, adultis præprimis, ob ipsorum robur, summè sit difficilis atqve periculosa; deinde etiam optatum effectum non semper promittat & experiatur, potiùs, meâ qvidem sententiâ, in hoc malô â Medicamentis, qvàm à Cultrô exsectoriô auxilium qværendum videtur, siqvidem juxta ipsius Formii testimonium in allegatô Virô Mania non plenariè sublata, sed tantummodo in delirium melancholicum conversa fuerit.

§. 3.

Maniæ variæ causa,

Deinde etiam varias Maniæ causas observârunt Autores. v. g. post Epilepsiam aliqvot annos durantem Studiosus qvidam ante Plenilunium in Maniam incidit, teste Joh. Jacobo Waldschmidio, *Prax. cap. 7. p. m. 25.* Idem malum, seu Epilepsiam in Maniam versam in Juvene qvodam Nobili Lusatô, à puerô per certas periodos malò epilepticô atrociter conflictatô, annotavit Ehrenfridus Hagendornius, *Histor. med. Physic. Cent. 1. Hist. 19. pag. m. 33. seq.* Post Capitis gravitatem & vehementiorem Corporis tempore æstivô motum in Juvene viginti septem circiter annorum Maniam observavit Baldassar Timæus à Güldenklee, *Lib. 1. Cas. 8. p. m. 16.* A potu lactis Vaccæ, à rabidô Cane demorsæ, multas ejusdem familiæ personas simul bibentes Maniâ laborasse, refert Nicolaus Heinsius, *de Cura Lact. pag. m. 163.* Cephalalgiam in Caupone qvodam in ingurgitandis spiritu secalinô &

cere-

cerevisiâ lautiore genio nimis indulgente, in furorem versam annotavit Ehrenfr. Hagendorn. *l. a. Hist. 27. pag. m. 49. seq.* Aliud exemplum à vinô immoderatiùs sumptô Laureaci ad Onusum Superioris Austriæ Oppidô antiqvissimô vidit Wolffgangus Hœferus in Juvene qvodam, qvi interdiu vino generoso, noctu studiis inserviendo maniacus factus, nihil omninò juvantibus medicamentis, postqvam seipsum, sed non lethaliter, in pectore vulnerâsset, die morbi qvintâ furiosâ morte sublatus est. vid. W. Hœfer. *Hercul. Medic. Lib. 1. cap. 7. pag. m. 59.* Ex Melancholiâ in furorem Maniæ finitimum incidens Virgo qvædam nobilis Ecclesiæ ministro & Medico venienti in faciem spuebat. v. Joh. Freitag. *de Opii natur. cap. 8. p. m. 80. seq.* Simile exemplum de Pastoris cujusdam animarum uxore, per tempus valetudinariâ, postmodum melancholicâ, de hinc emaciatâ instarqve Sceleti exsuccâ, tandemqve tristitiam pudoremqve exuente totamqve se maniacam ostendente, recenset Ehr. Hagendornius, *l. a. Hist. 47. p. m. 78.* A Philtrô menstruorum muliebrium cum leporis sangvine in Condimentô sumptô Theologus qvidam in tantam maniam incidit, ut patrem proprium occiderit, teste Petro Borellô, *Histor. & Obs. med. phys. Cent. 1. Observat. 65. pag m. 67.* Item de maniâ & subseqvente Melancholiâ cum variis symptomatibus à potu qvodam ab aliqvâ vetulâ propinatô, vid. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Cas. 81. pag. m. 1030. seq.* De Vermibus in Cerebro eqvorum, boum & ovium rabidorum à rusticis observatis, v. Th. Bartholin. *Cent. 3. Epist. med. 48. pag. m. 184.* Plurimos etiam Vermes in rabidi canis Cerebrô annotavit Christianus Franc. Paullini, *Cynograph. curios. Sect. 4. cap. 11. §. 6. pag. m. 217.* Rusticus qvidam à somnô sub arbore expergefactus per medium annum maniacus est redditus, sed acceptâ Tabaci Unciâ & concitatô vehementis-

ſimô ſternutamentô prodiit eruca nigra longa atqve piloſa & confeſtim penitus ſanitati eſt reſtitutus, referente Antoniô de Pozzis, *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 37. p. 35.* Si autem ex naribus cum Mucô Vermes emunguntur, in Cerebro generatos ſuſpicatur Th. Bartholinus, *Hiſtor. med. Cent. 1. Hiſt. 64. p.m. 99.* Ne verò gratis id dicat, aliud exemplum annectit de puellâ Lutetianâ annorum duodecim, cui curatis variolis tantus capitis dolor ſupervenit, ut trium menſium curriculô nec dormire qviverit, nec reqvieſcere, nullas dolore inducias concedente. Tandem cum rabida obiiſſet, ſtatim aperto craniô, deprehenſa fuit univerſa Cerebelli ſubſtantia in dextrô nigrâ tunicâ involuta. Ruptâ tunicâ nigrâ vermem vivum piloſum, duobus punctis ſplendidis loco oculorum, prodidit latentem, ejus ferè molis, qvâ reliqva Cerebelli portio, qvi duarum horarum ſpatiô ſupervixit. In Subſtantiâ Cerebri medullari viri cujusdam phrenetici innumeros vermiculos, non abſimiles illis, qvi in Caſeô veteri reperiuntur, undiqve diſperſos, vidit Johannes Frid. Khern. *v. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 53. p. 61.* Plura ejusmodi exempla reperiet Benevolos Lector in Helmintologia ſeu Scolecologia noſtrâ, Lucem aliqvando, cum Deô, viſurâ. Ex Capitis percuſſione Maniam obſervavit Hagendornius, *l. a. Hiſtor. 36. p. 63.* & qvidem in paſtore qvodam ovium, cui à Vicinô agricolâ ſatis grandi baculô caput, verticem verſus, percutiebatur, vulnere nullô conſpicuô, nec ullâ notabili cranii depreſſione ſe exhibente. Seqvebantur percuſſionem mox Vomitiones bilioſæ, cum deliriô maniacò, ut à qvatuor lacertoſis viris contineri neceſſe haberet, in qvos furibundô ore ſputa evomebat & maledictis eos invehebat, &c. A Virgis Corni fœminæ ſeu Virgæ ſangvineæ diu in manibus detentis Rabiem in demorſis excitari ex Matthiolo refert Simon Pauli, *Qvadripart. Botan.*

tan. Claſſ. 2. pag. m. 167. ſcilicet à canibus rabidis demorſi in Hetruriâ per integrum annum abſtinent à qvorundam lignorum contactu præſertim Corni arboris & ſangvineæ virgæ vocatæ. Siqvidem, ut teſtantur ii, qvi rem experimentó compertam habent, ſi harum arborum virgæ, tam diu in manibus teneantur, qvousqve concaleſcant, illicò demorſi rabie exagitantur. Qvod cuiqvam minimè fabuloſum videri debet: & enim memini, me vidiſſe in Civitate noſtrâ Ilicinenſi, amicum qvendam meum rabie correptum, qvòd Corni arboris virgis (dabat enim lanificio operam) lanam diu excuſſiſſet, qvi eorum oblitus, qvibus ſibi à Medicis interdictum erat, rabidus interiit. Sunt verba Petri Andreæ Matthioli, *Comment. in Dioſcorid. Lib. 6. cap. 39. fol. m. 1012.* Poſt Variolas Maniam obſervavit Gottofredus Chriſtianus Winckler us in Lanii cujusdam filiâ trium annorum, qvæ poſt Variolas valde malignas (etſi nulla adhibita medicamenta) ſuperatas in Maniam incidebat, mordebat, qvando potuit, parentes & adſtantes, diris illos devovebat, in faciem exſpuebat, & ita furebat, ut vix in lectô detineri potuerit; & in hoc ſtatu ad finem tertiæ ſeptimanæ mortua eſt. *v. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 93. p. 132. ſeq.* Poſt qvartanam delirium maniacum in Cive qvodam Gœrlicenſi Anno 1673. obſervavit allegatus Hagendornius, *l. c. Hiſt. 37. p. 64. ſeq.* De inſaniâ à Venæ ſectione ſub lingvâ in Pleuritide ſpuriâ, v. idem Winckler, *l. a. Obſ. 96. p. 135.* A nimiô Veneris exercitiô Maniam in Cive & Vietore Marpurgenſi obſervavit Johannes Benedictus Gründelius. Ille ſcilicet temperamenti melancholici, Vino tamen, utpote ſummo triſtitiæ alexipharmaco addictiſſimus dum ſecundâ vice nuptias Annô 1685. in Februariô celebraret & veneri nimiùm indulgeret, incidit in Maniam adeò immanem, ut catenis ligari debuerit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 166. p. 327.*

Alius Melancholicus cum ætate mediâ uxorem juvenculam duxisset, adeò profusè Venere usus est, ut, non post multos dies vehementi furore esset percitus. Uti ex Zacchino refert Johannes Schenckius, *Observat. medic. Lib. 1 f. m. 141.* Idem etiam fol. seq. virginum & mulierum ex mensibus cohibitis in furorem actarum mentionem facit, &c. Similis insania ex amore inducta etiam qvandoqve in viris observatur, qvale exemplum refert Franciscus Valleriola, *Observ. medic. Lib. 2. Obs. 7. p. m. 184.* Vir scilicet Mercator ex amore in Insaniam deductus melancholicus effectus est, mirisqve visis etiam interdiu, nedum noctu agitabatur, modò in iram ac furorem concitus, mox placabilis in risum effusus, amatæ spem se in momenta singula in conspectu habere affirmabat, illi blandiebatur, ac si præsens esset: mox qvòd se amantem redamare nollet, miris increpabat modis, omnis de amatâ sermo, omnis inter luctus ibat dies, noctem sine somnô, tristitiâ, mœrore-qve consumebant: & sibi ipsi injecisset manus, ni suorum vi prohibitus fuisset. Sic Juvenis qvidam, cùm puellam pulcherrimam deperiret atqve eâ potiri non posset, miser ex amore furere cœpit: adeò ut postea parentes coacti fuerint illum in vinculis detinere. In qvô furore vitam longô tempore miserè trahens, perpetuò incarceratus, tandem vitam cum insaniâ finiit, teste Petro Foresto, *Obs. medic. Lib. 10. fol. m. 351.* ubi adhuc alia exempla tam juvenum, qvàm puellarum vesanô amore captorum recenset. Maniam ex amore nimiô in adolescentulâ annotavit Josephus Lanzonus, *M. N. C. Dec. II. An. 10. Observat. 126. pag.* 219. Plura maniæ exempla observavit etiam Felix Platerus, *Observ. Lib. 1. pag. m. 86. seqq.*

§. 4.

§. 4.

Qvodsi proinde has & alias Maniæ causas consideremus, ad nullam fere earum, meâ qvidam sententiâ, Castratio necessaria erit. Qvid enim qvæso auxilii in Maniâ à nimiô Veneris exercitiô atqve spirituum defectu, à Venæsectione sub lingva in Pleuritide spuriâ, à Vermibus in Cerebrô, à Virgis Corni in manibus detentis dependente, à Castratione promitti poterit? Et qvamvis in Mania ex amore vesanô talis Operatio ob seminalis officinæ destructionem proficua videatur, cùm tamen ejusmodi maniacos seu ex amore furentes absqve Castratione per V Sionem & Medicamenta integræ menti atqve sanitati, Dei gratiâ, restitutos, v. g. apud Franciscum Valleriolam *l. a.* legamus, eundemqve effectum in aliisqvoqve Maniæ Casibus deprædicatum videamus, potius à Castratione abstinendum erit. Curatæ autem Maniæ exempla, ut pauca adducamus, vid. Baldass. Tim. à Güldenkl. *l. a.* Maniacum qvendam, Casu perruptô Craniô & aqvâ effusâ, curatum fuisse ex Rondeletio allegat Philippus Jacobus Sachsius, *Schol. in Simonis Schulzii Observat. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs.* 134. *pag. m.* 216. Ejusmodi curam refert etiam David Spleissius, *Annot. in Joh. Bapt. Zapat. Mirabil. seu Secret. Med. Chir. pag. m.* 136. scilicet Melchior Hanhard Chirurgus Stechorensis satis peritus absente Medicô in Nosocomiô ejusdem Oppidi tractabat fœminam Maniâ tantopere laborantem, ut in vincula conjiceretur. Præbebat ei Helleborum satis copiosum in Decoctô aliqvoties, sed sine manifestâ operatione. Donec fortuitu delira lagenam, cui inerat decoctum ex negligentiâ Clinicorum, minùs abdistantem arripiebat, & aliàs bibula id ad mensuram unam & dimidiam unô qvasi haustu ingurgitabat. Inde, qvod mirum, post somnum profundissimum & levem debilitatem inopinata mentis sanitas redibat.

Castratio suspecta.

Virum

Virum qvendam & Civem Isnensem cum suâ Uxore, ambos tantô furore correptos, ut Catenis adstringendi ac coërcendi essent, restituit Augustinus Thonerus, vid. *ipsius Obs. medic. Lib. 2. p. m.* 100. De Virgine Maniacâ sanitati restitutâ, vid. Joh. Freitag. *de Opii Natur. cap. 8. pag. m. 80. seq.* Juvenis qvidam dissolutè vivens puellam prædivitem Milhusiô contra parentum voluntatem abductam sibi matrimonio copulavit, ipsiusqve bonis mox dilapidatis, eam pessimè tractavit, adeò, ut sæpe desperabunda seipsam interficere cogitaret. Tandem ad insaniam redacta vestes dilacerabat nudaqve catenis vincta etiam stramen, in qvô cubabat, minutim ungvibus discerpebat. Ideoqve devecta ad Empiricum, qvendam rusticum, qvi maniacos curare solebat, septuagesies, una septimanâ, venis diversis in locis apertis atqve universô penè illi sangvine detractô ab eô fuit curata. Inde domum reversa, debilis & pallida, mortuô maritô, alteri nupsit, cum qvô ad qvadraginta annos vixit sana, sterilis tamen maleqve colorata, vid. Felic. Plater. *Obs. med. Lib. 1. p. m. 86.* Aliud exemplum de Coqvô, v. *pag. seq.* De adolescentulâ, Mercatoris cujusdam Ferrariensis filiâ, septendecim annorum, ex amore nimiô maniacâ, & secundum Artis Medicæ regulas curata. vid. Joseph. Lanzon. *M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Obs.* 126. *pag.* 219. *&c.* & sexcenta ejusmodi exempla, qvibus de propriis ultra qvindecim, tam in Nosocomio nostro, qvam aliàs, per Dei gratiam, restitutorum addere possem, qvorum ultimus Svecus ante aliqvot menses, post ingens Bacchi & Veneris servitium primo in Cephalalgiam, oculorum inflammationem atqve delirium incidebat, varias sibi notas lingvas, Svecicam, Gallicam, Latinam, Germanicam, confusè & mixtim loqvebatur, & circa vesperam verè maniacus evadebat, ut vestes atqve indusium dilaceraret; Ideoqve Carceri nudus includi

ne-

necesse haberet. Ab hoc tamen malô, per Dei gratiam, pôst paucas septimanas in totum restituebatur, tuncqve ratione originis hujus morbi referebat, se jam tertiâ vice recidivam passum esse; ipsum autem malum inde derivabat, qvòd post venationem sudore madidus terræ incubans dormiverit. Expergefactus enim statim in Phantasiam corruptam, demumqve Maniam, per longum temporis spatium durantem, prolapsus erat. Et nullum est dubium, qvin citius centum vel etiam mille absqve Castratione à Maniâ liberatorum exempla, qvàm unicum per Castrationem, & fortasse adhuc præter necessitatem, reperire liceat. Imò si hæc Operatio crudelis adeò necessaria esset, qvid de fœminis maniacis fiet? qvanam ratione & pro qvô scopô illarum Castratio administranda erit? Dum autem hæ secundum hactenus recensita & alia exempla pariter sæpissimè per medicamenta restituuntur, cur non idem in Viris expectare licebit. Præterea etiam non pauci Medici ab hac Operatione abhorrent, qvia hôc modô sobolem procreandi potentia totaliter destruitur insuperqve Castratores Corneliæ legis pœna tenentur. vid. Paul. Ammann. *Irenic. p. m. 241. seqq.* Interim tamen in Casu maximè desperatô & diuturnô Semi-Castrationem, qvâ alteruter tantùm testiculus exscinditur, concedendam & exercendam esse libenter putarem, (siqvidem hôc modô, secundum superiùs adducta, Generatio seu liberorum procreatio non impeditur,) dummodò à tali Operatione desideratus effectus expectari posset; de qvô tamen, qvia juxta Paul. Ammann. *l. a. p. 246.* Consensus Cerebri cum Testiculis, & vice versâ, qvoad hoc negotium tam clarus non est, adhuc dubium mihi remanet.

QVÆSTIO VI.

An Elephantiacis seu leprosis Castratio suadenda?

§. I.

An Elephantiaci castrandi?

HUic Qvæstioni iterum nonnulli veterum Medicorum, in Elephantiasi Castrationem commendantes, occasionem præbent. Scribit enim Aëtius, *Sermon.* 13. *cap.* 122. *fol. m.* 416. Novimus Elephantiacos qvosdam audaciores, qvi sibi ipsis testes ferrô resecarunt: Castratis enim non in pejus malum ipsum procedet. Neqve enim temerè reperias, inqvit Archigenes, ullum aliqvem castratum Elephantiasi laborantem, neqve item facilè mulierem. Qvare etiam qvidam ex confidentioribus Medicis manum admoverunt, & qvotqvot sanè ex eis ex sectione periculum evaserunt, per conseqventis curationis usum perfectè ab hac malignâ affectione liberati sunt. vid. etiam M. Anton. Ulm. *Physiolog. Barb. Sect. 3. cap. 22. fol. m. 226.* Et juxta Valesc. de Tarant. *Philon. Chirurg. cap. 20. p. m. 848.* scribit, Platearius, multos à Leprâ liberatos fuisse testium amputatione: Sic enim remittitur hepatis calor, qvi prius sangvinem adurebat: testiculi enim toti Corpori suppeditant calorem. Julius Palmarius, *de Morb. contag. Lib. de Elephant. cap. 6. p. m.* 271. ita scribit: Qvibus testes vel naturâ desunt, vel exsecti sunt, ii vix unqvam Elephantiâ tentantur, si Archigeni credamus. Sed nec jam prehensis, pergit Palmarius, aliunde præsentius remedium, qvàm ex testium excisione affulget. Qvotqvot enim exsecti sunt, tanti mali discrimen effugiunt, si modò temperatam eamqve frigidam & humidam victûs rationem in posterum tenuerint: hancqve Veteres complures, ut omnium tutissimam curandi

Affirmatur.

ra-

rationem seqvutus esse comperio. Secundum Hieron. Fracastor. *Oper. Part.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 13. *p. m.* 193. Evnuchi paucissimi visi sunt eô malô correpti, propter qvod & nonnullos legimus sese castravisse, ne eô tentarentur. Item Johannes Riolanus, *Art. seu Method. bene medend. Sect.* 3. *p. m.* 48. *a.* scribit: Ut magis refrigescat habitus Corporis & in muliebrem seu frigidiorem naturam transmutetur, castrentur. Qvod in Prophilacticis est præcipuum; minus malum comparatum maximo habet rationem boni. Ego svadeo, ut pueruli, qvi putantur nati ex Parentibus leprosis, vel qvorum natura manifestè eò inclinat, qvàm citissimè evirentur. Neqve Ambrosius Paræus Castrationem in Elephantiasi improbat, *Lib.* 19. *cap.* 8. *fol. m.* 431. Valescus, inqviens, de Taranta Castrationem in hôc Casu valdè probat, nec ego improbandam eam censeo; testium enim amputatione evirantur homines in morbum proni, sicqve in fœmineam naturam degenerant & hepatis sangvinem assantis ardore restinctô, humidi & frigidi evadunt: qvæ temperies Elephanticorum intemperiei calidæ & siccæ totô est genere contraria; adde qvòd sublatâ & elephanticis gignendi facultate, tollatur hujus mali contagio, qvæ per prolis propagationem in humanum genus serpit & effunditur.

§. 2.

Anteqvam autem Qvæstioni huic, sententiam meam annectam, paucis monendum videtur, qvod vocabulô Lepræ non Lepram Græcorum, qvæ nihil aliud est, qvàm scabies consummatissima aliàsqve etiam Psora audit, sed Lepram Arabum seu Elephantiasin Græcorum intelligamus; qvæ ita inter se differunt, ut Elephantiasis Abrabum sit tantùm morbus qvidam particularis, pedum videlicet tumor rubicundus, lividus seu nigricans cum Varicibus atqve ulceribus, è qvibus fo- *Lepra differentia.*

rum acre simpidum effluit; Græcorum autem Elephantiasis Universalis existat. Dicitur autem hic affectus non solum 1.) Elephantiasis, & qvidem ideo potissimum, qvòd hôc morbô laborantium cutis tumida, scabra, rugosa & aspera instar Elephantum reddatur; Sed etiam 2.) Satyriasmus, vel Satyriasis, vel qvòd faciem Satyrorum faciei similem faciat, id est, labia crassa, nares tumentes ac aures tabescentes, genæ rubentes, ac in fronte hinc inde tumores seu excrescentiæ instar Cornuum appareant; vel qvòd secundum qvosdam in principiô morbi leprosi valde libidinosi observentur; Et 3.) Leonthiasis, tum qvòd Elephantiaci instar Leonum frontem rugosam & faciem terribilem sortiantur, tum qvòd eorum anhelitus atqve excrementa Leones eorumqve Scybala oleant. Ab aliis etiam hic morbus vocatur Tragontiasis, ab Italis Morbus Divi Lazari, ab aliis Herculeus, &c. vid. Bernh. Albin. *Disput. de Elephant. Juvæ nov. respond. Joh. Chris. Menzelio. Francof.* 1683. *habit.* §. 3. *p.* 7.

§. 3.

Elephantiasis causa.

Varias eqvidem Elephantiasis causas statuunt Autores, imprimis veteres, de qvibus vid. Hieron. Mercurial. *de Morb. cutan. cap.* 5. *p. m.* 90. Jul. Palmar. *L.* 2. *cap.* 2. *pag. m.* 260. *seqq.* Bartholom. Perdulc. *Univers. Medicin. Lib.* 12. *cap.* 5. *p. m.* 578. *&c.* Recentiores autem hunc morbum contagiosum potius à salsedine qvadam seri muriaticâ & corrosivâ, in specie acidò-salsâ derivant; cum Medicamenta acidum absorbentia Lepram mitigent, acidorum econtrà abusus eam foveat & augeat. v. Mich. Ettmüll. *Oper. Vol. II. fol. m.* 587. & Joh. Bohni, *Encyclop. Chirurg. Lib.* 5. *cap.* 9. *p. m.* 1172. ubi juxta recentiorum magis, qvàm veterum, intelligibilium principia Lepram Arabum à sale qvodam fixô ac corrosivô, humori viscido ac terrestri implicatô, & in Cutis tubulis glandu-

dularum profundioribus hærente eosqve dilacerante ortum trahere ſcribit. Cumqve hoc malum à ſcabie, pſorâ impetigine, leprâ Græcorum non niſi gradu differat, vid. Chriſt. Johann. Lang. *Oper. med. Tom. II. cap.* 7. §. 8. *Annotat. fol. m.* 43. eandem qvoqve cum iisdem cauſam, ſerum ſcilicet acre, corroſivum & cauſticum non immeritò agnoſcimus. Ab ejusmodi etiam ſalibus acribus & ſalſo-acidis varia oriuntur Symptomata, & prout illa ſalia vitriolicæ, aluminoſæ, nitroſæ, &c. naturæ fuerint, de corroſivâ vi plus minusve participabunt, &c. v. Berh. Albin. *Diſp. de Elephantiaſ. Reſpontente Nathanaele Gerlachio. Francof. Anno* 1694. *habit.* §. II. *pag.* 20. Juxta Georg. Wolffgang. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect.* 3. *cap.* 4. *p. m.* 514. in Leprâ Græcorum dictâ primò qvidem Sal impurum & tartareis ingvinamentis mixtum, acre, ſtimulans in ſangvine abundat; Id verò hoc modò vitiatum adeò magis & magis à calidâ & ſiccâ viſcerum intemperie cordis præcipuè & hepatis, ad coagulationem declinat, ut nullam ferè reſolutionem admittat, ſed intimè lymphæ & ſangvini incoctum qvò magis retinetur, eò magis craſſeſcit, unde, ut Chimici loqvuntur, non ſolum ſal retorridum fit, ſed & Sulphur ſangvinis defœdatur & pruritûs ſumma libido & alia eveniunt, præcipuè verò ſqvamulæ ipſæ qvoqve. Sin excellentiori gradu exaltetur, ut ſerum ſummè ſalibus deturpatum & ipſum ſangvini penitus incoctum, ac ſulphur ſangvinis ſeu partes oleoſas æqvaliter reſolvat, colorem & odorem fœdum inducit, & tandem volatiles mercuriales ſimul coagulando ſenſum etiam partium tollit, & centena ſymptomata comitantur, &c. vid. etiam Johann. Helfr. Juncken. *Prax. medic. pag. m.* 629. *ſeq. & pag.* 635.

§. 4.

Elephantiasis signa.

Inter qvamplurima Elephantiasis tam antecedentia, qvàm concomitantia, & qvidem externa & interna signa, de qvibus allegati & alii Autores videri possunt, sæpe etiam ingentis leprosorum libidinis mentio fit, dum secundum Jodoc. Lomm. *Observat. Medicin. Lib. 1. pag. m. 64.* pleriqve leprosi Veneris ingenti desideriô capiuntur: Imò libido in nonnullis tanta est, ut ejusmodi homines perpetuô qvasi Priapismô & Penis tentigine cum summâ in Venerem proclivitate laborent, unde etiam hic affectus, ut paulò antè diximus, Satyriasmus appellari solet. Ex hoc libidinis signô absqve dubio veteres, ex falsâ hypothesi, Elephantiasin ab immodicô & impurò Coitu uti in morbô Gallicô observatur, oriri atqve per contagium propagari crediderunt, qvare pro refrænandâ libidine & extingvendô nimio Veneris œstrô taliter affectis Castrationem svaserunt, appetitum nimirum venereum pro causâ, & Lepram pro Veneris effectu judicantes, cùm tamen econtrà Lepra, juxta hactenus recensitam recentiorum opinionem, potiùs à nimiâ & corrosivâ seri salsedine dependeat atqve ita Priapismum atqve coëundi desiderium causetur.

§. 5.

Castratio improbatur.

Qvamvis itaqve à Castratione eqvidem libidinem & stimulum ad Venerem tanqvam Lepræ Symptoma, aliqvatenus impediri posse concedamus, nulla tamen Salsedinis, in qvâ hujus affectûs causam consistere diximus, correctio ab hac Operatione expectanda erit, sed tota Sangvinis & seri massa etiam post Castrationem, absqve aliorum medicamentorum usu, vitiosam suam qvalitatem retinebit. Unde hoc Castrationis consilium hodiernô tempore in Lepræ curatione neqve â Medicis, neqve Chirurgis observatur, sed tanqvam frustrane-

neum & noxium rejicitur. Dicit enim Jean Baptiste Verduc, *Patholog. Chirurg. cap. 8. p. m. 275.* Quant à la Castration, que quelques Practiciens proposent pour guerir la Lepre, je croy, que ce Remede est tout à fait inutile. Sic Paulus Ammannus, *Iren. pag. m. 246.* hypothesin, ac si lepra à nimiâ & impurâ Venere proveniat, ideò, qvòd non semper & ubiqve verum sit, non modò improbat, sed etiam leprosus separatione à reliqvorum hominum consortio faciliùs, qvàm castratione, curari statuit: Et Johannes Christianus Menzelius*, *Disp. de Elephatia Javæ nov. Præsid. Bernh. Albino. Francof. 1683. habit.* §. 19. de hac Castratione, qvasi infallibili & præsentissimô remediô ita judicat: Si ad morbi respicio causam, facilè video, Castrationem illam non tollere, adsit licet inexplebile coëundi desiderium, illud tamen non causa, sed morbi effectus est, unde neqve illô remotô morbus curatus est. Ab acrium spirituum influxu perpetua illa oritur tentigo, minimè verò à tentigine acres illi spiritûs; atcui unqvam remotô effectu tolli causam in mentem venit, ut asseruerit? Sed quotidianum ferè est, cum duo videmus Symptomata se invicem concomitantia, ut alterum pro alterius causâ accipiamus, licet ex eodem fonte pullulet utrumqve. Et certè, si adeò præsens hoc esset remedium, cur tam difficilem, ne dicam ferè impossibilem Autores hujus mali habent Prognosin? adeò, ut nihil prorsus spei in Castratione reponerem. vid. etiam Luc. Schrœck. *Schol. in Andr. Cleyer. Observ. M. N. C. Dec. 2. An. 2. Observ. 5. pag. 14.*

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

An in Podagricis Castratio pro curâ sit instituenda?

§. 1.

An Podagrici castrandi?

POdagricis eandem Curam, Castrationem nimirum, Præservationis gratiâ, non sine tædiô interdum suggeri solere, scribit Paulus Ammannus, *Medicin. critic. Discurs. 19. pag. m. 159.* Cujus consilii fundamentum ex Hippocrate desumptum videtur, qvi *Sect. 6. Aphor. 28.* dicit: εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, seu Evnuchi non laborant Podagrâ. Id qvod eqvidem juxta Lucam Schrœckium, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 174. pag. 342.* cœteris paribus, ratione non caret, cùm Spermatis generatio non mediocrem partium optimarum oleosarum & pingvium in testibus collectionem involvat, unde si ablatis testiculis particularum illarum à sangvine impediri secretionem consideremus, easdem blandô suô cum reliqvis particulis connubiô acrium & podagricos dolores excitantium spicula obtundere, ac ita podagræ generationem inhibere apta esse, rectiùs dicemus.

§. 2.

Negatur.

Hanc tamen Podagræ per Castrationem institutam curationem meritò suspectam reddunt variæ hujus affectus Causæ. Siqvidem si solùm à nimiô Veneris exerciuô seminisqve freqventiore profusione ortum Podagra traheret, tunc in junioribus eqvidem subjectis, præservationis gratiâ locum aliqvatenus habere videretur, Castratio; Cùm verò Podagra & Arthritis jam ab humore salsô & pungente, jam ab acri & urente, jam ab acidô & corrosivô in glandulis mucilaginosis de-

dependeat, nec humor ille morbificus semper sit ejusdem naturæ, vid. Clapt. Havers *Osteolog. nov. pag. m. 294.* alias etiam Matres agnoscat, v. gr. fonticulum reclusum, *vid. Act. Hafn. Vol. V. Obs. 77. p. m. 179,* Dysenteriæ fluxum intempestivè suppressum & Mensium Obstructionem, uti observavit Melchior Friccius, *Icon. Podagr. pag. m. 86.* Sudorem pedum impeditum, v. Sim. Paul. *Qvadripart. Botan. Class. 3. pag. m. 196. seq.* Ophthalmiam repulsam, vid. *Fricc. l. a. p. m. 29. & 44.* Contagium, vid. Simon. Schulz. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 143. p. 204. seq.* Joh. Schmidius, *ibidem An. 9. & 10. Obs. 44. pag. 118.* Qvod etiam mihi per tibialia à Domino podagrico servo suo communicatum observare licuit. Qvis qvæso proinde Podagram ab ejusmodi adductis causis, non autem à Venere exortam, per Castrationem curari posse, sibi imaginabitur? Imò ipsos jamjam castratos ex hujusmodi & aliis causis, vel etiam ex ipsâ Venere Podagram contrahere posse, nemo dubitabit, cùm eosdem æqve ac alios, non castratos, sæpius Baccho, Veneri (licet sine effectu) atqve Iræ, tanqvam Podagræ Patri, Matri atqve Nutrici, nec non pravæ diætæ nimiùm qvantum indulgere videamus: Qvod confirmat Aloysius Luisinus, *de compescend. anim. affect. Dedicat. n. 3.* tam pauci, inqviens, sunt hodie, qvi rationis ductu gubernantur, ut nullam rationalis animæ vim inditam homini fuisse ferè dicas, usqve adeò animi affectibus omnes obtemperant, usqve adeò Corpori incrassando indulgent. Qvò factum est, ut propter immodicam desidiam, edulia, ebrietates, Venerem, non solum passim evnuchi podagrizent, atqve mulieres propter errorum magnitudinem, anteqvam menstrua illis deficiant, omnia morborum genera factô agmine invadant interficiantqve.

§. 3.

Hippocratis Aphorismus.

Qvantum autem allegatum Hippocratis Aphorismum attinet, eundem jamdum Solinus Hippocratis eqvidem tempore verum fuisse dixit, suô autem Seculô non ampliùs, propter desidiosam, qvam degerent vitam. vid. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Cas. 25. Schol. §. 9. p. m. 326.* ubi etiam pueros & juvenes ante veneris usum, contra Hippocrat. *Aph. 30. Sect. 6.* Podagrâ laborantes allegat. Qvales mihi etiam aliqvot innotuerunt, qvi anno decimo tertio & seqventibus hoc malo laborarunt. Præterea etiam non pauca observantur Evnuchorum Arthritide & Podagrâ laborantium exempla, qvæ, brevitatis gratiâ, apud Georgium Frid. Laurentium, *Exercitat. in Hippocrat. Aphorism. Part. I. Exerc. 11. pag. m. 147. seq.* videri poterunt. Ibidem etiam dictus Autor hunc Hippocratis Aphorismum (Evnuchos Podagrâ non laborare) absolutè positum non modò minùs absolutè verum esse dicit, sed etiam rationi, observationi, autoritati, ipsi Autori & curationi contrariari monstrat, simulqve varias Autoritates & exempla Hippocrati contraria ex ipsius Commentatoribus, Brassavola, Galenô, Hollerio, Liebautio, Fonsecâ, Heurnio, Hieronymô Mercuriali, &c. allegat. Memorabile etiam videtur, qvod Athenæus reliqvit, scilicet Podagram seu Arthritidem nonnunqvam populariter grassari, ac etiam, contra Hippocratis sententiam, pueros, evnuchos, virgines, mulieres & animalia nonnulla eâ corripi exinde probat, qvòd Hegesander ex Pythermô memoriæ tradidit, illius tempore per viginti annos fructum nullum moros protulisse, atqve tantam podagræ contagionem omnes invasisse, ut non homines (i. e. viri) solùm, sed pueri, puellæ, evnuchiqve & mulieres eô morbô tentarentur. v. Joh. Beverovic. *Epistol. Qvæst. p. m. 74.* Verbô, hic Aphorismus Hippocratis cum seqventi vi-

vigesimô nonô γυνὴ ȣ̓ ποδαγριᾶ, seu Mulier non laborat Podagra, nostrô tempore & in nostris regionibus exceptionem patitur; Qvare etiam Cura podagricorum per Castrationem, qvæ hoc ficulneô fundamentô nititur, à Medicô vix svadenda, nec ægroto toleranda erit.

CAPUT X.

De

Qvæstionibus Medico-Legalibus circa Penem occurrentibus,

Nimirum

De Phimosi, Glande Penis imperforatâ, item de Pene magnô & parvô.

AD Coitum fœcundum celebrandum Physici ac Medici Membri virilis seu Penis erectionem seu rigiditatem, legitimam applicationem, seminisqve in arvum muliebre injectionem reqvirunt. Scribit enim Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 8. §. 10. fol. m. 284.* mulierem absqve eô, qvod â virô cum effectu & realiter cognoscatur, per omnimodam applicationem membrorum generationis ullô modô concipere non posse, unde neqve, si vir non erigat, neqve si membrum illi penitus aut magnâ ex parte sit abscissum, neqve, si prope vas aliqvô modô polluatur, posse mulierem ex eô concipere. Neqve desunt ad hoc probandum rationes, & argumenta nonnulla: nam primò Natura frustrà machinata esset, tot Instrumenta ad solam membri erectionem

Penis erectio ad Coitum necessaria?

celebrandam: imò superfluus omninò esset ipse actus erectionis, & incommodum absqve utilitate afferret; qvem tamen eum habere finem, ut facilè ac promptè Penis in uterum intromittatur, & semen validiùs ejaculari possit, notissimum est, & docent Anatomici: nam aliàs poterat absqve eâ erectione, non secus ac in mejendô fit, semen excerni: sed qvia Urinam in alienum corpus ejaculari non oportebat, in eâ reddenda non fuit necessaria Penis erectio, in Seminis verò excretione maximè. Cùm igitur Coitus à Naturâ ipsâ in generationem inventus sit, & nemo ad actum Coitûs pervenire possit, absqve Penis erectione, ut patet & notatur à Medicis, jam inde seqvitur, qvòd mulier nullâ viâ & ratione ex commixtione cum Virô non erigente, sed tantummodò Semen emittente, aut breviùs ex simplici Seminis effusione prope vas concipere possit, &c. Ut alios Autores jam taceamus. Ex hôc fundamentô Medici inter alia Membri virilis à variis causis, v. g. Hydrope, aut Herniis, &c. ortam retractionem & incurvationem seu tortuositatem pro Coitus exercendi impedimentô non immeritò habent, siqvidem in ejusmodi Casu Virga virilis non rigida manet, sed mollis, inflata atqve tortuosa, seu incurvata evadit; qvalia exempla supra Cap. III. adduximus, inqve Praxi qvotidianâ observare licet. Cùm autem præter reliqvas incurvaturæ Penis Species alia adhuc, Phimosis Medicis dicta, qvandoqve occurrat, qvâ affecti pariter à qvibusdam Juris-Consultis & Medicis pro impotentibus seu ad Coitum foecundum ineptis habentur, de hac materia paucis agere animus est. Sit ergo

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An Phimosi laborantes, ob impeditam liberorum generationem, â toro matrimoniali excludendi sint?

§. I.

CIrca hanc Qvæstionem ante omnia notandum, Phimosin *Phimosis, qvid sit?* (qvam Stephanus Blancardus, *Lexic. med. sub Titulo p. m. 493.* idem cum Paraphimosi esse, falsò dicit) ab Autoribus variè sumi; aut enim omnium meatuum naturalium & locorum, qvæ naturâ diduci possunt, uti sunt oculi, labia, anus, uterus, præputium, &c. præclusionem denotat. v. Joh. Gorræi, *Definit. fol. m. 347.* aut juxta eundem & omnes ferè Autores medicos freqventiùs de Præputiô dici consvevit, qvando scilicet ita glandem tegit, ut ab eâ nudari non possit; id qvod vel ab affluxu humorum crassorum, v. g. post coitum impurum & ab aliis causis, accidit; vel qvando Præputium adeò angusti orificii est, ut glans illud perforare neqveat. Propriè enim φίμος significat nexum summi oris perarum & sacculorum, dum toto superiore ejus ambitu in angustum collectô funiculô clauduntur & religantur. Vel oritur etiam talis Phimosis, seu impedita Glandis, seu Capitis Penis denudatio, qvando Præputium pertinaci adhæsu undiqve in orbem glandi annexum est. Deinde alia adhuc datur Phimoseos species, qvando scilicet frænum Penis, qvod κυνοδέσμιον dicitur, glandi præputium osculotenus convincit: qvippe qvod erectionem Penis impedit, atqve membrum maritale qvasi capistrô sufflaminatur, ejusqve incurvaturam vel tortuositatem causatur.

§. 2.

An Phimosis impediat generationem,

Tales Phimoseos species Coitum & Seminis ejectionem impedire nonnullis Autoribus creduntur. Inqvit enim Gvernerus Rolfincius, *de Partib. genit. Part. 1. cap. 50. pag. m. 102.* Ubi Præputium adeò angusti orificii est, ut glans illud neqveat perforare, summa in Coitu oritur difficultas: nam nimis incurvatur seminisqve liber impeditur egressus. Nonnulli etiam Autores in Phimosi, ubi nimia est Præputii coarctatio, ideò generationem impediri putant, qvod Semen per angustam viam ejaculatum refrigeretur. v. Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *Oper. Chir. fol. m. 266.* Secundum Jul. Cæs. Arantium, *de Tumor. præternat. cap. 54.* datur Affectus, in qvô extrema præputii anterior pars, vel secundum naturam, vel ex accedenti, exiguô adeò foramine prædita est, ut non solùm glandem detegi prohibeat, verùm & Urinæ interdum excretionem Seminisqve ejaculationem remoretur, & ex conseqventi steriles atqve infœcundos viros efficiat, ubi præsertim præputium glandis foramine angustius fuerit. Idem & in Mentulæ accidit fræno, si inferiori glandis parti juxta foramen arctè connectatur; eô enim adhuc integrô in primisqve congressibus minimè divulsô, non solùm fit ut in venere exercendâ molestiam adferat, sed qvod majus habet momentum, speciei propagandæ maximè adversetur; nam præter id, qvòd erecto genitali ejus distorqvetur extremitas, ut rectà semen ejaculari neqveat, angustius etiam ex ejus attractione fit foramen, per qvod Semen in uterum affatim ejaculari debet. v. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. 525.* De altera Phimoseos specie, ubi scilicet Præputium glandi pertinaciter adhæret, ita scribit Paulus Ammannus, *Medicin. Critic. Disc. 15. pag. m. 141.* Raro hic affectus occurrit; qvando verò contingit, molestum satis est vitium, partim in emissione Urinæ & Seminis; partim etiam

etiam in erectione virgæ; tales enim plerumqve contorti & incurvati sunt Penis. Tertia etiam Phimoseos species, ubi nimirum Penis glans mediante frenulô, qvasi Capistrô, retrahitur, Coitum, generationem & matrimonium impedire creditur. Nam præter ea, qvæ ex Arantio modò adduximus, juxta Paul Zacch. *Qvæst. medic. legal. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 3. §. 7. f. m. 771.* Penis tortuositas notabile impedimentum potest præbere in copulâ exercendâ, ita ut, si magna sit, copulam omninò impedire possit, & multò magis generationem. Ea duplex est, qvædam fit ob frenum glandi adhærens, qvod nimis intensum & glandem ipsam deorsum attrahit, ita, ut membrum curvum reddat & ob id ad copulam magnâ ex parte ineptum, qvia non potest, ut deberet, glandis acie sibi iter parare, sed cogitur incassum dorsô in Uterum arietare, & semen non ad internum Uteri fundum, sed ad ipsius latera emittere. Et *Tit. 10. Qv. 2. §. 10. fol. 804.* idem Autor inter impedimenta, qvorum causâ illicò matrimonium dissolvi possit, etiam ponit Penis obliqvitatem, tortuositatem, contractionem, &c. Hæc enim vitia, inqvit, omnia apparentia ac perpetua sunt, & utplurimum sine remediô; unde non injuriâ judicavi jam virum qvendam, qvi à pueritiâ membri contractionem ex ambustione, bullienti lixiviô factâ, contraxerat, inhabilem esse ad contrahendum matrimonium, tum ob eam contractionem, ob qvam non modò membrum brevius evaserat, sed etiam tortuosum remanserat, nec distendi poterat, licet durum, gliscente appetitu venereô, evaderet, tum etiam ob angustiam foraminis ipsius, ob qvam semen ad exitum properans remorari tantisper cogebatur, unde non ejaculabatur, sed, ut ipse referebat, guttatim effluebat. Idem confirmat etiam Ambrosius Paræus, *Lib. 16. cap. 33. fol. m. 363.* Qvibus, inqviens, frenum seu Penis ligamentum brevius est,

sic

sic, ut penis recta esse non possit arrectio, sed obtorta & deorsum velut convulsa, his etiam prolis generatio impeditur, qvia Seminis in vulvam recta & conserta esse neqvit immissio. Et *Lib. 23. cap. 37. fol. 524.* inqvit: Subtensi ligamenti, qvod filum vocant, brevitas pudendum obtorqvet & rigidam ipsius rectitudinem violat, adeò, ut intromitti facilè in mulieris pudendum neqveat. Hinc etiam Ernestus Fridemann Schelhass qvendam virum, Phimosi laborantem, seu cui frenum Penis glandi præputium osculotenus convinciebat, in tali statu ad cohabitationem maritalem perfectè aptum non judicat, insuperqve hoc frenum Penis glandi præputium osculotenus convinciens Virginitatem masculam intaminatam notare addit. v. Mich. Berh. Valentin. *Pandect. medic. legal. Part. I. Sect. 1. Cas. 9. pag. m. 32.* Seqventem Casum de Phimosi refert Gvielmus Fabricius Hild. *Observat. Chir. Cent. 3. Obs. 54. pag. m. 433.* Juvenis qvidam viginti circiter annorum ætatis, cùm juvenculam formosam satis duxisset, ipse verò ad congressum ineptus esset, paulatim disceptatio & dissensio domestica inter utrumqve exorta. Unde ambo in Consistorium matrimoniale vocati, qvæ dissensionis inter ipsos causa sit, inqviritur. Unus atqve alter suas, minus tamen validas, affert rationes. Illæ de Veritate aperiendâ & confitenda strenuè admonita, se à maritô noctes diesqve mirum in modum & absqve ullâ voluptate, imò ad pudendorum excoriationem usqve defatigari indicaverat. Ut itaqve, qvid hujus rei causa esset, innotesceret, decretum fuit, ut Genitalia ejus à me (Fabriciô) inspicerentur. Tum præputium mediante ligamentô, subter balanô firmiter adhærens animadvertebam, ita qvidem, ut titillatione qvadam factâ, cum membrum virile erectum fuisset, balanus perinæum versus retraheretur, penisqve planè reduplicaretur. Incurvatio autem

hæc

hæc atqve reduplicatio membri in congressu difficultatis omnis causa fuerat.

§. 3.

Secundum hactenus allegata qvidam Autores omnes Phimosis Species legitimam seminis excretionem impedire taliterqve affectos ad ineundum matrimonium inhabiles reddere statuunt; Alii hoc malum seu semen ejiciendi impedimentum arte chirurgicâ tolli posse credentes, inter Phimosin non curatam & curatam distingvunt, illamqve matrimonium impedire, hanc vero secus, defendunt: Cùm enim qvidam uxorem ducturus à Corrivali suô suspectus redderetur, ac si propter connatam qvandam ἀδυναμίαν, qvæ in membris ejus genitalibus esset conspicua, fœminæ satisfacere non posset. Facultas Medica Lipsiensis ad Qvæstionem Parentis, an hic morbus ita sit comparatus, ut per se matrimonium impediat? hoc dedit Responsum: Perlustratis diligenter filii tui genitalibus, respondemus: qvòd in præputiô connatum qvoddam existat vitium, qvod Medici solent appellare Phimosin, cujus ob angustiam caput penis denudari non potest, hinc non solùm membrum ipsum in erectione impeditur, verùm etiam ipsa seminis emissio & Urinæ excretio, ut adeò tam diu ejusmodi homines ad Conjugium inepti prorsus habeantur, donec legitimâ ratione curentur; Qvoniam verò exploravimus, Præputium glandi aut Peni circum circa (exceptô frenulô) non adhærere, defacili morbus hic vel unicâ incisione curari poterit. v. Paul. Ammann. *Medic. Crit. Cas. 15. pag. 142.* Imò non modò Ernestus Fridemann. Schelhass locô suprâ ex Mich. Bernh. Valentini *Pandect. pag. 32.* allegato, certa spe detinetur fore, ut istud Subjectum, qvod in priori statu ineptum judicat, post operationem absolutam, seu sectionem frenuli, aliorum instar virorum sexum humanum propagare potuerit.

An Phimosis matrimonium impediat?

tuerit. Id qvod etiam post curatam Phimosin in eodem Virô, Cive qvodam Kauffburensi, factum legimus, juxta Responsum Collegii Medici Augustani *l. a. p.* 33. qvod sic sonat: Postqvam nos prævia reqvisitione, honestum virum, Christophorum Bregezerum, die hodiernâ, ratione impotentiæ, ipsi imputatæ, non tantùm juxta rei circumstantias sufficienter examinavimus, sed & qvoad partes genitales curatissimè inspeximus, observavimus frenum, qvod ante hac in actu maritali qvodammodò obicem posuerat, nunc absolutâ Curâ & sectione eô in statu constitutum esse, ut nullum inde impedimentum posthac pertimescendum sit; & qvoniam desuper qvà virilia nil qvicqvam in eô desideratur; Adhæc stimulus venereus æqve ac seminis emissio, juxta constantem ejus assertionem, satis superqve se trudit, hinc eundem pro impotente habere non possumus, &c. Item Juvenis ille, cujus supra ex Gvil. Fabriciô Hild. mentionem fecimus, per Præputii à Glande Separationem ita restitutus fuit, ut deinceps nullum hac in re persentiret incommodum. Et apud Paulum Ammann. *l. a. p. 141.* qvendam à Phimosi curatum trium liberorum parentem factum fuisse videmus.

§. 4.

Phimosis species, Ne itaqve omnes ejusmodi affectu laborantes à matrimoniô excludantur, de legitima Phimosin curandi ratione solliciti fuere Medici atqve Chirurgi, & qvidem secundum diversas & à diversis causis ortas Phimoseos species, qvarum supra aliqvot recensuimus, dum scilicet vel à crassorum humorum affluxu atqve stagnatione, vel à connatâ angustiâ Orificii Præputii, vel à pertinaci Præputii ad glandem adhæsu, vel à frenulô penis erectionem impediente ejusqve curvaturam causante depender. Qvibus adhuc addi posset. Phimosis à Cicatriculâ, à morbillis in præputiô relictâ remanens, qvâ

qvâ tamen laborans postea Matrimonii Candidatus factus, mali ablationem sectione obtinuit. v. Chr. Frid. Garmann. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs.* 203. *pag.* 378. Huc pertinet etiam plenaria Præputii præclusio, qvam pariter ad Phimosin referre libet; cùm tam in Infantibus à nativitate, qvàm in adultis, post læsionem, erosionem aut exulcerationem, æqvè omnimoda Præputii occlusio aut coalitus supervenire possit, ac Vaginæ uterinæ, uti mihi proximè in primiparâ post partum laboriosum atqve læsionem Obstetricis annotare licuit; hujus videlicet vagina absqve ullô cicatricis aut coalitûs signô adeò erat occlusa, ut ne vestigium qvidem meatûs aut foraminis, præter Urethram, appareret; qvæ tamen fœmina incisione in tantum restituebatur. Sicuti autem in infantibus, plenaria ejusmodi præputii occlusio Urinæ, ita in adultis etiam simul Seminis excretionem omnimodè impedit, ut inde, nisi in infantibus Urina sibi aliam viam qvæsiverit, aut in tempore manus chirurgica opem tulerit, certa atqve matura mors seqvatur. Hinc in pueris atqve adultis Præputii coalitus, tanqvam excretionis Urinæ & Seminis impedimentum, iterum referandus erit. *Observatio.*

§. 5.

Pro diversâ autem Phimosis specie diversæ etiam Operationes & Enchireses exercentur. Si enim Præputii orificium nimis est angustum, liberum tamen â Balanô, seu Glandi non circum circa adhærescit, de facili hoc malum vel unicâ incisione, vel meâ qvidem sententiâ amputatione, curari, sicqve simul impotentia generandi tolli poterit; Pleriqve tamen Autores in eô conveniunt, ut potiùs incisionem, qvàm amputationem svadeant, aut exerceant. *Phimosis cura.*

§. 6.

Juxta Autores. De ipsâ autem Operatione aliqvot Autorum verba allegare liceat, qvò eo plures Enchireses appareant. Scribit enim Paulus Ammannus, *Medicin. Critic. Cas. 15. pag. m.* 141: Si angustum modò est Præputium, liberum tamen à Balanô, tunc locô, qvousqve incisio institui debet, notatô, extenditur præputium & unicâ incisione secundum longitudinem peragitur, hac tamen cum cautelâ, ne vena pudenda major lædatur, qvæ qvoniam satis est visibilis nec Chirurgum latebit, modò sit intrepidus. Factâ incisione, Caput penis insurgit amænum, omnibus impedimentis liberatum. Cicatrix autem obducenda, ne partes dissectæ coalescant. Et *Parænes. p. m.* 439. idem Ammannus de Phimoseos Curâ ita scribit: Si curationem suscipere velis, ante omnia spatulâ tentare debes, utrum præputium in orbe glandi sit adnatum? Si est, noli curam suscipere, est enim impossibilis; si verò glans aut balanus à præputiô est libera, tunc incidendum est præputium unicâ incisione, ad longitudinem articuli primi in pollice, vitandô venam pudendi magnam, in præputium excurrentem: qvâ peractâ, callus dissectis partibus inducendus, ne coalescant, tunc liber erit ab hoc vitio Penis, & gaudebit mulier in sinum, rebus sic stantibus: Minime verò resecandum est frenulum Penis, ut putavit Jessenius, nam hoc ad laxitatem aut angustiam Præputii nihil confert. Juxta Joh. Bohnii Chirurgiam, pro peragendâ Phimoseos Chirurgiâ, locus incisionis ante omnia determinatur, qvi est illa Penis pars inferior, qvæ frenulum respicit, qvò vasa notabiliora videantur, atramentô notanda; ita tamen, ut â latere potiùs hujus, illius sectio fiat, ne idem frenulum lædatur. Hinc Præputium Chirurgus aliqvantum ad se trahat, id est, à glande avellat, ac huic Cultrum falcatum aut Syringotomum, cujus Cuspis globulô cereô muni-

ta

ta, ita ſubdat, ut inſtrumentum præputium ab intra in ſectionis locô perforet ac retractum hoc incidat. Peractâ ſectione interpoſitis linteaminibus vel ſtuppis ſiccis, recoaleſcentia labiorum inhibeatur. Qvoad reliqva verò vulnus conſvetâ ratione tractetur. Joſephus de la Charriere, *dans les Nouvelles Operations de Chirurgie cap. 16. pag. m. 101.* ita de Curâ loqvitur: Le Chirurgien dans ce moment táche de debarraſſer les parties, tirant à ſoi l'extremité du prepuce & introduiſant à côté dela Verge un Inſtrument en forme de Ganif, entre le gland & la peau, perce ſans danger le prepuce & inciſe tont ce qvi eſt compris entre l'inſtrument & l'extremité du gland. Si une inciſion ne ſuffit pas pour le decouvrir, on en peut hardiment faire une autre du côté opposé. Au reſte le ſeul mouvement de ces parties eſt capable d'éteindre les fibres du prepuce, de les rendre obeiſſantes, & de faire en ſorte, qv'elles ſe reſſerrent & ſe dilatent ſvivant les beſoins de la Nature. v. *in Edit. German. p. m. 101. ſeq.* Antonius Nuck, *de Operat. Chirurg. Experim. 43. p. m. 146.* Chirurgiam hanc ita docet: Primum à latere frænuli rectilinea inciſio inſtituitur, vel major, vel minor, prout Præputium magis minusve contractum fuerit. Priusqvam inciſio peragitur, medicamentum aliqvod ſtypticum ad manûs eſſe debet, ut Præputii Vaſa in ipsâ Operatione reſecta eô conſtringantur. Factâ jam inciſione, relaxatum hoc modô præputium vel ſuâ ſponte, vel digitorum ope retrocedere incipit; tum verò ſæpius de die reducendum, ut pro lubitu ſurſum aut deorſum moveri poſſit. Veteres aliter procedentes Præputium in anteriorem partem attrahebant, hamulis tribus qvatuorve illud extendendo aperiebant, ut Cutis hac methodô relaxata retrorſum propelli poſſet; qvem tamen procedendi modum, ut dolorificum valde, minùs probamus. Modum autem

cum hamulis, ex recentioribus etiam commendat Cornelius Solingen. *Oper. Chir. Part.* 3. *cap.* 9. *p. m.* 250. Et Jean Baptiste Verduc, *dans le Traité des Operations de Chirurgie*, *cap.* 9. *pag. m.* 29. de Phimosis à Cancrô venereô exortæ curâ ita loqvitur: Souvent le prepuce s'attache à cause d'un Chancre venerien; dans cette Occasion on sera l' Operation de Phimosis au côté de l'adherance. Le malade étant debout ou assis le Chirurgien en tire l'extremité du prepuce; Un Serviteur doit retenir la peau à la racine dela Verge, à finqve l'incision se trouve directement au bas du gland. On introduit un petit Instrument en forme de Canif, à la pointe du qvel on met un petit bouton de Cire, on le glisse de plat sur le gland; on perce le præpuce au bas du gland à côté du filet dela Verge, en evitant les vaisseaux. En tirant l'Instrument, ou le Malade en se retirant luy même, acheve l'incision. Item secundum Petri Dionis verba, *dans le Cours d' Operations de Chirurgie Demonstrat.* 3. *p. m.* 178. in Phimosi à Cancrô venereo: Il en vaut venir promptement à l'Operation, qvi consiste dans une incision, qve l'on fait au prepuce depuis son extremité jusqv' à la Couronne du gland. Voicy la maniere de s'en acqviter: Ayant avant l'Operation preparé le malade & disposé l'appareil, on le fait asseoir dans fauteuil un peu panodé en arriere; & alors le Chirurgien prend de sa main droite un Instrument fait exprés, qvi ne sert, qv'à cette Operation; il est enmanché, & a la pointe & le tranchant, comme un ganif. L'on metau bont une petite boule de cire, crosse comme un grain de Coriandre, qvi empêche, qv'il ne piqve en le glissant entre le gland & le prepuce. Lorsque la pointe de l'instrument est parvenue a la Couronne du gland, l' Operateur tient ferme la verge de sa main gauche, puispoussant l'instrument il en perce le prepuce, qv'il

cou-

coupe depuis la couronne du gland jusqv' à son extremité, en retirant l'instrument à luy: il faut faire en sorte, qve les deux membranes du prepuce soient coupées égalément, &c. Eandem operationem vid. etiam apud Tolet. *de Lithotom. cap. 10. pag. m. 62. seq.* Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *de Operat. chirurg. fol. m.* 267. Petr. Pigræi *Chirurg. Lib. 7. cap. 5. pag. m.* 479. *seq.* Joh. Schenck. *Observ. med. Lib.* 4. *fol. m.* 525. La Chirurgie complette du Clerc. *p. m.* 328. *seq.* L'Art de guerir les Maladies veneriennes de Nicol. de Blegny, *Tom. 2. cap.* 4. *p. m.* 42. *seqq.* Laurent. Heister. *Chirurg. Part. 2. cap. 116. p. 609.*

§. 7.

Qvòd si verò Præputium glandi undiqve qvasi agglutinatum est, seu firmiter adhæret, tunc ab operatione penitus abstinendum esse, svadent varii Autores. Inqvit enim Ambrosius Paræus, *Lib. 16. cap. 32. fol. m.* 363: Cum pertinaci adhæsu undiqve in orbem glandi adjunctum sit præputium, non est speranda, itaqve ne aggredienda qvidem Curatio, cui consentit le Clerc. loc. all. *pag. m. 329.* inqviens; Si dans le Phimosis le prepuce est fort adherent au tour du gland, il vaut mieux n'y point toucher. Ejusdem sententiæ est etiam Jean Baptiste Verduc *l. a.* Qvelqve fois, inqviens, le prepuce est uni avec le Gland, ce qve l'on sent en touchant la partie, parceqve la peau ne roule point, & qv'on ne sçauroit passer un stilet entre la peau & le gland. Il ne faut pas faire d'Operations à cette maladie, parceqv'il faudroit avant qve de faire l'incision du prepuce, le detacher du gland; ce qvi causeroit une grande douleur & peut estre la mortification à la Verge. Et secundum Paul. Ammann. *Medic. Crit. l. a.* Periculum in sectione abest omne, modò non adhæserit præputium glandi, tunc frustrà etiam tentatur cura.

In Præputii adhæsione, nulla Operatio tentanda.

§. 8.

§. 8.

Operatio suadetur. Reperiuntur tamen Autores, qvi talem Operationem suscipere & exercere docent. Cùm autem talis præputii cum Glande cohæsio vel à primâ formatione, vel à morbô aliqvô dependeat, illa præ hâc difficiliorem operationem admittit. Methodum operandi seqventibus verbis describit Dionis *l. a. pag. 182.* L'adherance, qvi se fait qvelqve fois du prepuce avec le gland, est appelle Symphysis, parsqve pour lors le prepuce est fortement attaché avec le gland. On a veu des enfans venir au monde ayant le prepuce collé avec le gland; il est tres-difficile à separer, qvand cela vient de la naissance, parce qve ces deux parties ayant été formées ensemble, se trouvent jointes dans laute leur circonferance, & comme ne faisant, qv'une méme partie continuë. Il faut neantmoins tácher de les separer, avec une petite feuille de Mirthe, un peu tranchante, qve l'on coule doucement entre le gland & le prepuce, prenant garde de ne pas percer le prepuce, qvi est mince, & qvi ne se repareroit pas si aisement. On peut encore, en tirant le prepuce en haut avec la pointe d'un scalpel, disseqver & separer les deux membranes du prepuce & du gland, de meme qv'un Anatomiste separe deux membranes contigües & liées l'une à l'autre, & si en faisant cette Operation, on ne pouvoit pas se dispenser d' anticiper sur l'une ou sur l'autre de ces parties sans les offenser, & aprés cette separation il insinüe tous les jours dans l' intervalle des parties desunies une feuille de Mirthe d'yvoire, pour en empécher la reunion. *Modus.* In Observatione, cujus supra ex Gvil. Fabric. Hild. *Cent.* 3. *Observ.* 54. *pag. m.* 358. de cohærentiâ præputii cum glande meminimus, dictus Autor curam feliciter absolvit, cultellô scilicet separatoriô præputium à glande separando, postea linteum reduplicatum & albumi-

ne

ne ovi madefactum inter præputium balanumqve imponendo, &c. De Hebræô circumcisore glandem à præputio ungvibus prælongis puero phimose laboranti avellente, v. Joh. Schenck. *Observat. medic. Lib. 4. fol. m. 525.*

§. 9.

In Phimosi, à frenulô sub glande nimis brevi, vel ad orificium glandis percurrente penemqve incurvante, an tale ligamentum incidi debeat, negant qvidem & prohibent nonnulli Autores, qvibus tamen aliorum autoritas & Praxis contradicit. Inqvit enim Antonius Nuck, *Experim. Chir.* 43. *pag. m.* 147. Aliqvando frænum nimis contractum & breve Phimosin producit. Tùm verò præmissis emollientibus externæ adhibendis solâ fræni incisione restituitur. Notandum tamen, rectiùs partem fræni, qvæ præputio, qvàm qvæ glandi jungitur incidi; qvò enim glandi vicinior Incisio instituitur, eò periculosior hæmorrhagia metuenda. Hanc Operationem ita describit Dionis, *dans le Cours d'Operations de Chirurg. pag. m. 186.* Par un petit coup de Bistouri on de Ciseaux on coupe ce frein en travers; de la méme maniere, qve l'on coupe le fillet, qvi est dessus la langve, & ainsi on remedie par une Operation fort legere aux deux incommoditez, qve cela causoit. Qvod experientiâ confirmat Johannes Jessenius à Jessen, *Institut. Chirurg. Sect. 1. cap. 2. pag. m. 39.* Phimosis, inqviens, utriqve sexui est communis, nempe cùm glans à præputiô denudari non potest, & in fœminâ Uteri os adeò constringitur, ut muliebria non fundere, nedum viri membrum excipere possit. In his consistit pudicitiæ nota fœminæ viroqve. Nam hic in primô coitu cum illibatâ, ob loci angustiam, frenum illud rumpit, illa verò hymenis fractionem patitur. Non raro tamen ob vitiosam harum partium conformationem actus venereus impeditur; vel qvod fœmina

Phimosis à frenulo.

iniri non possit, vel qvod viri tectum præputium exosculari Uteri orificium neqveat. Lapsus hic naturæ arte corrigi potest. Estqve in hoc oppidô, pergit Jessenius, hodie superstes vir honestus & literatus, qvi, cùm per aliqvot annos sterile conjugium expertus, ante qvinqvennium, per freni à me discruptionem factam, fœcundus paterqve redditus. Pertentavi ego hanc medelam ipsis canicularibus, urgente sic rem conjuge, cùm priùs corpus bene exhausissem pravis humoribus. Peragitur sectio aduncô gladiolo, in imâ glandis parte, ubi præputium glandi annectitur, evitaturqve sedulò Venæ alicujus in viciniâ majoris violatio. Factâ sectione pubis regio bolô inungitur, locus verò ipse Hypericonis balsamô. Scribit etiam Gregorius Horstius, *Oper. Lib. 4. Observat. 55. Tom. 2. fol. m. 261.* ad Jacobum Müllerum: Nosti, qvod interdum præputium ob freni soliditatem â glande secedere neqveat, nisi sectio aduncô gladiolô, in imâ glandis parte, ubi præputium glandi annectitur, cautè peragatur. v. etiam Joh. Dolæi *Encyclop. Chirurg. Lib. 4. cap. 3. pag. m. 895.* In Viro ad actum venereum inepto admodum breve, durum & validum atqve ad ipsum ductum Urinarium adhærens frenum, ut etiam distento pene & retracto præputio glans versus Perinæum ferè usqve retraheretur, observavit Gvilelmus Fabricius; qvod frænum magna difficultate à glande idem Autor separavit. *v. ejusd. Obs. Chir. Cent. 6. Obs. 60. Oper. fol. m. 575.* Seqventem Observationem refert Amatus Lusitanus, *Cent. 5. Curat. 17. pag. 490.* Aloysius Beneventus, Juvenis Florentinus, Glandem Præputio per frænum ita hærentem habebat, ut ipsam glandem nudare non posset. Huic Chirurgus eam partem, per qvam Præputium glandi hærebat, seu frænum, universâ cum parte decliviori præputii Scalpello acuto præcidit. Breviter igitur, ovi allumine constringentibus pulveribus admistis, pauculo-

qve

qve Ungvento digestivo simplici & albo camphorato intra octo dies sanatus est.

§. 10.

Cùm etiam, secundum superius dicta, plenariam Præputii præclusionem atqve coalitum Urinæ & seminis totalis lethalisqve suppressio seqvatur, de ejusdem apertione etiam solliciti sunt Medici ac Chirurgi. Tale exemplum cum Operatione recenset Gregorius Horstius, *l. a.* de rusticô qvodam, monstrante membrum virile, qvoad præputium penitus consolidatum, ita, ut Urina inter glandem atqve præputium copiosè colligeretur tam diu, donec intumescentiâ sæpius ovum anserinum repræsentante, pars anterior in præputiô sic attenuaretur, ut urina per foramen minutissimum summô cum dolore secerneretur. Huic non aliter, qvàm beneficiô sectionis, succurri poterat, qvâ de causa administratio Chirurgo perito committebatur, qvi primò sensim stylô obtusiori præputium in anteriori parte magis attenuatum perforabat, eodemqve stylô immissô glandem undiqve à cute præputii liberam deprehendebat. Hinc qvatuor in partibus scalpellô convenienti ferè crucis instar incidebat, ita tamen, ut interior præputii cuticula non divideretur, sed externâ cute divisâ tantum extenderetur, eòusqve, donec glans egrederetur & præputium à glande duceretur, ubi convenientibus defensivis & aliis medicamentis, qvæ vulnera recentia reqvirunt, adhibitis, optimè restitutus fuit æger, ut post paucas septimanas uxori procul dubiô magis acceptus redderetur. *Præputii occlusio.* *Cura.*

§. 11.

Interdum etiam præputium à variis causis, v. g. defluxionibus, seu stagnatione Crassorum humorum, post Coitum impurum, &c. morbosum, magnum, tumidum & induratum *Præputium tumidum.*

evadit, adeò, ut Penis glans minimè detegi, ficqve nec urina, nec femen liberè excerni poffit, indeqve ad Curam vel medicamentis, vel operatione chirurgicâ opus habeat. Exemplum medicamentis curatum annotavit Gvilelmus Fabricius Hild. *Cent.* 5. *Obf.* 55. *fol. m.* 453. in virô qvodam robuftô, qvadragenariô, qvi à multis annis laboraverat defluxione qvadam humorum ad penem & præputium, qvæ ipfum cum febre, rigore maximô, naufeâ, dolore Capitis & lumborum corripiebat. Nonnunqvam talis durities in pene & præcipuè in ipsô præputiô remanebat, ut fpatiô duorum menfium illud retrò glandem retrahere non poffet. A qvô tumore tamen per interna & externa medicamenta, ibidem recenfita, liberabatur. vid. etiam Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. II. Lib.* 4. *cap.* 73. *fol. m.* 1170. *feq.* Alii hoc malum refectione præputii tollunt, qvale exemplum ex Æginetâ refert Johannes Schenckius, *Obf. med. Lib.* 4. *f.* 525. de puerulô duorum annorum, qvi præputium à nativitate habebat prægrande & carneâ mole feu tubere turgidum: id, qvia incrementum fumebat indies magis atqve magis, anxiâ & follicitâ deliberatione diu agitatum fuerat, qvô pactô hoc malum tolli poffet. Erat enim jam turgidum inftar tuberis, five radicis cyclamini aut inftar ficus: & præter qvam qvòd glans detegi non poffet, verendum erat, ne in nimiam molem excrefcens fafciâ circumferendum effet. Accitus itaqve Chirurgus Hebræus itemqve alius circumcifor, qvi, adjunctô fibi filiô fuô, folerti curâ abfcidit præputium illud, non fine folicitudine: nam glans penis admodum exigua & pufilla erat, neqve retrorfum deduci poterat, qvia adnata erat ad præputium eâ parte, qvâ ῥαφὴ præcedit. Apparatis itaqve fingulis & ligatis fafciâ manibus pueri, tenente famulâ, diftentis cruribus, Chirurgus manibus compreffit præputium, qvia putabat glandem fubtus effe, alter gladiolô

ab-

abſcidit Phimoſin, & eâ diſſectione factâ ungvibus prælongis (qvos fovent Hebræi circumciſores) avulſit glandem à præputiô, qvod puerulo valde dolorificum erat. Et qvia glandi paululum de præputiô adhærebat, illud forficulâ reſcindebatur. Factâ itaqve avulſione & reductione præputii, mittebant glandem per tria qvatuorve linteola, Oleo balſaminô intincta, in qvibus ſingulis exiguum erat foramen, ut vix transmitti glans poſſet, ut diſtingveret glandem à præputiô, ne ampliùs coaleſceret ad præputium, &c. In ejusmodi Præputii vitiô ejusdem circumſectionem ſvadet etiam Marcus Aurelius Severinus, *de efficac. Medicin. Part. 2. cap. 18. fol. m. 126.* Ex circumſectionis genere, inqviens, præcipuum exemplum erit præputii morboſi amputatio, nam huic ex humoris inutilis affluxu interdum putredo accidit, ut, niſi vitium amputaveris, detrimento & ſupra, qvàm ferri qveat, tædio futura ſit curatio. Illud autem, qvod in hac re vidi, dignum utiqve adverſione, non ſilebo. In noſtrum nempe valetudinarium cùm multi, turgidis altè præputiis adveniunt, hiſce præſectis ſæpe licuit obſervare mucidam circumhærentem pituitam adeò craſſam ac tenacem, ut nullis unqvam medicamentis diſſipare confiſus eſſes; qvæ tamen brevi & tutò, nec multô cum dolore fuit diſcuſſa. Interdum autem tam copiosè ad has partes affluit ejusmodi proluvies, ut in homine qvodam præputium circumqvaqve altè Sarcomatis concrementô turgens novem librarum pondere, dictu mirum, exſecuerim. Interdum etiam ejusmodi mucor, qvantùm altitudine compreſſior, tantùm acrior & obſtinacior, totam veretri cutim obtinet ſic, ut & aliorum Ulcerum coalitum vetet, &c. Item Autor etiam *de recond. Abſceſſ. natur. pag. m. 158.* Mixoſarcomatis præputii trium librarum pondo æſtimati meminit. De Callô Præputii ita ſcribit Gabriel Fallopius, *Tr. de Morb. Gallic. cap. 84.*

Oper. Tom. II. fol. m. 735. Aliqvando ita callosum fit præputium, ut non amplius possit detegi glans; eô casu nostri Chirurgi, & bene secant præputium, & videtur Colis, veluti eqvus præsectis naribus, & omnes hucusqve illud fecerunt. Præterea dum intumescit glans, dolet; idcirco vos ego docebo â me inventam novam rationem curandi: omnes ego sano plumbô; verbi gratia, habebo præputium ita angustum, ut non possit ingredi specillum; in eô casu accipio fistulam parvam ex plumbo, & ita impono in foramine, & volo, ut æger per illam mingat. Interim ego oleô amygdalarum dulcium inungo, vel pingvedine gallinæ, vel pomatâ. Secundâ die ego impono parum majorem fistulam, tertiâ adhuc majorem, & hoc modô procedo deinceps, ita, ut spaciô octo dierum possit detegi glans, & sic emollitus remanet callus, & præputium dilatatum. Ego his non solùm utor in cariebus Gallicis, sed etiam, qvando est hoc à naturâ factum.

§. 12.

Præputium nimis longum contortum.

Deniqve huc pertinet etiam aliud adhuc Urinam & Semen legitimè excernendi impedimentum, qvod à qvibusdam Autoribus etiam ad Phimosin refertur, nimirum Præputii nimia longitudo & contorsio. Siqvidem, ubi præputium aliqvot pollices longum adeoqve angustum est, ut semen non statim ejiciatur, sed ob præputii tortuositatem in eôdem per tempus restet, ejusqve spirituositas evanescat, talis coitus vix fœcundus esse potest, nisi hoc impedimentum manu chirurgicâ auferatur. Tale exemplum Præputii monstrosi recenset Gvilelmus Fabricius Hild. *Obs. Chir. Cent. 4. Observ. 81. pag. in. 352.* his verbis: Juveni cuidam viginti duorum annorum ætatis, ab ipsâ nativitate Præputium præter modum naturalem & nonnihil monstrosè propendebat: Ita enim versus an-

anteriorem partem contortum erat, ut effluens urina ſurſum verſus abdomen efflueret. Hinc veſicam commodè & ſine madefactione veſtimentorum nunqvam exonerare potuit, niſi ſolutis ligulis ad latrinas ſeſe conferret. Pars autem illa præputii non ſimplex erat membrana, ut eſt præputium ſecundum naturam formatum, ſed potiùs ſubſtantia qvædam carnoſa, & effluens Urina ſub ipsô præputiô retinebatur ipſumqve usqve ad mediam partem penis mirum in modum extendebat. Propter contorſionem enim & complicationem præputii lotium per ſe omninò effluere non potuit, niſi digitis diu emulsâ glande atqve præputiô. Hanc autem Urinæ & ſeminis vitioſam excretionem ſeqventi operatione correxit idem Fabricius. Præparatô ſcilicet ad operationem corpore, ægrum in dorſum collocavit, & Inſtrumentô Caſtratore, à Chirurgis dictô, apprehensô, & conſtrictô præputiô, ipſum juxta glandem abſcidit. Deinde pulverem reliqvaqve, qvæ ad cohibendam hæmorrhagiam neceſſaria, poſtea digeſtivum & qvæ Cicatricem inducunt, applicuit. Ne autem præputium intempeſtivè & præter modum contraheretur, fiſtulam blumbeam impoſuit. Sic divinô aſpirante Numine feliciter curatus fuit. Qvamvis enim poſt hanc Operationem Fabricius ob certam ſubſtantiam carnoſam nullâ arte aut induſtriâ præputium retro glandem trahere, ipſiusqve coalitionem impedire potuerit, qvòd æger in primâ hac Operatione conſentire noluit, ut ſuperfluum omne abſcinderet, glandis enim læſionem ſupra modum timebat: cùm tamen ægro iterum ad eum venienti de præputiô particulam ad pollicis latitudinem feliciter abſcidiſſet; poſtmodum præputium adeò retractum fuit, ut amplius glandem obtegere non poſſet; nullum tamen incommodum inde perſenſit ægrotans, poſteaqve in matrimoniô ſatis commodè vixit. De Præputiô nimis longô ita ſcribit Nico-

Cura.

colaus Venette, *de la Generation cap. 3. Art. 1. pag. m. 60.* Qvelqves hommes ont le prepuce, si long, qv'ils ne sont pas disposez à se joindre amoureusement à leur femmes. La Verge est importune en cet estat & elle ne peut communiquer sa semence, qv'elle ne soit evantée, & qve par ce moyen elle ne soit incapable de Generation. Interim tamen idem Autor locô allegatô mentionem facit viri, cujus præputium eqvidem sex pollicum longitudinem habuit, qvi nihilominus post ejusdem resectionem uxorem duxit.

§. 13.

Cura. Cùm autem tam ex modò allegatô Venette, qvàm ex Gvil. Fabricii Observatione videamus, in hujusmodi Casu, ubi nimirum præputium nimis est longum, contortum atqve complicatum, ita,ut propter talem contorsionem lotium & sperma effluere non possit, Operationem per incisionem præputii, cujus suprà mentionem fecimus, non æqve ac præputii resectionem seu amputationem locum habere; qvæstio esset, annon *An per amputationem.* etiam in illis, qvibus præputium vel penitus est præclusum, item in qvibus præputium non eqvidem nimis longum, sed tantummodò nimis angustum reperitur, talis amputatio anterioris præputii partis, seu Circumcisio magis locum habeat, qvàm incisio, si cumprimis externus tantùm Præputii circulus nimis sit constrictus, qvô amputatô glans statim prodibit, nisi simul præputium glandi firmiter sit adnatum; cùm econtrà in illâ operatione metuendum sit, ne, si post incisionem dissecta labia iterum coalescant, prior angustia seu coarctatio denuò superveniat; qvod à resectione minimè metuendum, prætereaqve ejusmodi Operatio in Circumcisione (de qvâ in seqventi Capite plura,) Judæis absqve periculo vulgaris esse solet. Qvâ in opinione consentientem reperio Autorem Gallicum Dionis, *dans le Cours des Operations de Chirurgie Demon-*

monstrat. 3. pag. m. 176. ubi inqvit, La Circumcision se faisoit â une indisposition, lorsqve le Gland ne se pouvoit pas decouvrir, &c. item Laurentium Heisterum, *Chirurg. Part. II. de Operat. cap. 116. p. m. 608.* ubi inqvit: Erstlich soll man das Præputium von jemand vorwerts ziehen lassen, so viel, als es sich thun läst; Der Chirurgus aber soll mit der lincken Hand die Eichel fassen, selbe mit dem Daumen zurücke drücken, und hernach gleich vor der Eichel die Vorhaut, mit einem scharffen Messer oder Scheere, auff einmahl abschneiden, fast eben auff die Art, wie die Juden bey der Beschneidung zu thun pflegen.

§. 14.

Monstravimus proinde hactenus, à plerisqve Medicis omnes qvacunqve Phimoseos specie affectos ad Coitum & matrimonium celebrandum inhabiles judicari, vel ad minimum eorundem curationem, dictô vel aliô modô exercendam, huic scopo necessariam, reqviri; cui tamen sententiæ indifferenter subscribere, meâ qvidem sententiâ non decet. Qvamvis enim in qvibusdam Phimosis speciebus (v. g. ubi præputium vel penitus occlusum, vel nimis longum, crassum, callosum, simulqve adeò angustum vel contortum est, ut exinde glandis foramen obtegatur, sicqve Urina & Semen vel nullum planè exitum reperiant, vel non statim ejiciantur, sed tantùm post moram aliqvam demum effluant, seu exstillent, (qvod etiam in iis observabitur, qvibus præputium glandis foramine angustius fuerit,) Operationem chirurgicam utiqve necessariam concedam. Qvodsi tamen in aliis, Phimosi laborantibus, etiam iis, qvorum præputium glandi firmiter adhæret, vel Penis ratione frenuli per Capistrationem aliqvatenus tantùm incurvatur, Præputium non nimis longum nec contortum, ejusqve extremitas aliqvatenus tantùm coarctata *Non omnis phimosis Coitum impedit.*

atqve in tantum aperta reperiatur, ut per illud orificium, glandis foramini respondens, Urina & Semen absqve retardatione ejiciantur, tunc certè tale Præputii foramen, qvod præterea in Coitu adhuc magis dilatatur, pro Semine absqve morâ ejiciendo sufficiet, hincqve nec Sobolis procreatio ipsis omninò deneganda, nec matrimonium interdicendum erit; dummodo illorum sperma debitâ spirituascentiâ, vigore atqve fœcunditate gaudeat atqve ex rigido pene ejiciatur. Interim tamen, si in ejusmodi Phimoséos speciebus obstacula qvaliacunqve, qvæ aliis per se Coitum impedire videntur, per artem chirurgicam antea removeri, v. g. frenulum glandis, qvamvis non sit nimis breve, vel forcipe, vel Lancetta dissolvi, angustia vel coarctatio foraminis Præputii, etiamsi mediocris, per incisionem adhuc magis aperiri, Præputium longum & tortuosum resecari, &c. possint, tunc cohabitationem maritalem longè fore commodiorem, minimè dubitamus.

§. 15.

Autoritas. Qvo in passu tam ratione frenuli glandis, qvam coarctationis Præputii, alios etiam Medicos consentientes reperio, qvod nimirum, nisi frenulum sit nimis breve, neqve Penis exinde admodum incurvetur vel distorqveatur, neqve etiam Præputii foramen sit nimis angustum, Coitus & Seminis ejectio licet dolorose atqve non adeò perfectè, exerceri possit; siqvidem supra allegatus Ernestus Fridemannus Schelhass & Collegium Augustanum in Casu Phimoseos ex Michaelis Bernhardi Valentini *Pandect. medic. legal. Sect. 1. Cas. 9. p. m. 32. seq.* Phimosin à frenulo glandis, Præputium convinciente, ante ejusdem resectionem, Cohabitationem non penitus impedire judicarunt; Scribit enim Schelhass, Christophorum Bregezerum pro nunc & in præsenti statu ad cohabitationem ma-

maritalem *perfectè* aptum *non* esse, & qvidem eam ob causam, qvòd frenum Penis sive κυνοδέσμιον osculatenus glandi Præputium convincit. Unde svademus, Sectio frenuli instituatur, certa spe detenti, fore, ut C. B. post operationem absolutam, aliorum instar virorum, sexus humanum propagare possit. Et ipsi Medici Augustani, Lucas Schrœckius & Vitus Riedlinus, frenum hoc ante absolutam curam & sectionem eqvidem qvodammodo obicem posuisse, absolutâ autem curâ & sectione nullum inde impedimentum posthac pertimescendum fore, ibidem *pag. 33.* responderunt. Ubi ex verbis *non perfectè* & *qvodammodo* eorum sensus est eruendus, nimirum in hoc statu vitioso Coitum eqvidem esse possibilem, meliorem tamen post operationem Chirurgicam & sectionem frenuli esse futuram. Qvod etiam in aliis casibus, v. g. coarctatione anterioris præputii partis libenter concedimus.

§. 16.

Hanc sententiam alii qvoqve Autores defendunt atqve exemplis probant. Inqvit enim Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *de Operat. Chirurg. f. m. 266.* Existimant nonnulli, Phimosin generationem prohibere, ego tamen vidi ejusmodi homines liberos genuisse & totô Vitæ tempore ita Præputium gestâsse absqve molestiâ. Prolixius etiam de hac materiâ, Phimosi scilicet naturali, loqvitur *Dionis l. a. pag. 177.* Cette Indisposition, inqviens, est appellée naturelle, qvand l'Enfant a dés sa naissance le bout du prepuce fort étroit. Il y en a plusieurs, à qvi cela est arrivé, & a qvi en croissant il s'est peu a peu elargi, de sorte qve le gland s'en est depouillé naturellement; mais il y en a d'autres, à qvi le prépuce est tellement serré, qv'il leur est impossible d'apercevoir l'extremité du gland. L'on pretend, qve cela cause deux incommoditez, l'une de nuire àla generation, en empechant, qve

Aliorum consensus.

la ſemence ne ſoit lancée avec aſſez de viteſſe pour étre receüe de la Matrice; & l'autre, qv'il s'engendre une craſſe blanchâtre entre le prepuce & le gland. Ces raiſons neautmoins ne ſont pas ſuffiſantes pour en venir à l'operation: car pour répondre à la premiere, je vous diray, qve j'en ay vîr, qvi avec cette indiſpoſition ne laiſſoient pas de faire des enfans; il y en a mille exemples, &c. Deinde, cum Gvielmus Fabricius Hildanus, *Obſervat. Chirurg. Cent. 4. Obſ. 81. fol. m. 352.* non dubitet, qvin in Juvene, poſt carnoſo-monſtroſi Præputii reſectionem, etiamſi qvoqve balanus à reliqvô Præputiô detegi minimè poſſet, Semen poſtmodum tempore matrimonii in Coitu absqve ullô impedimentô & copiosè & rectà ſit effluxurum, non videô, cur in iis, qvibus præputium aliàs naturale circa orificium ſeu anteriorem partem tantummodò aliqvatenus conſtrictum, pro emiſſione tamen Urinæ ſufficienter adhuc apertum ſit, idem expectandum non ſit. Qvod etiam confirmat Relatio Medico-chirurgica Michaelis Bernhardi Valentini, qvæ *Chirurg. ined. Noſocom. Academ. Continuat. 7. pag. m. 726. ſeq.* de Phimoſi imperfecta ſic ſonat: Poſtqvam ab Ampliſſimo Regimine Principali hujus loci reqviſitus fui, ut Colonum N. Stupri accuſatum & pro excuſatione ſui, ob virilia minùs ritè conſtituta, impotentiam ſimulantem, inſpicerem, per Chirurgum membrum, qvô viri ſumus, detegi & contrectari juſſi, ubi ſe ſtatim erigebat, utut glans penitus detegi non potuerit, unde inſignem illi dolorem oriri aſſerebat. Qvum vero cutis glandi non ſit annata, cum Pamphilo aures attigat, qvædam etiam cum dolore delectent, ut Comicus loqvitur; adhæc attretæ à limine ſalutatæ etiam concipere poſſint, ut experientia atteſtatur; hinc Colonum hunc, Phimoſi imperfecta & bene curabili laborantem, ad generationem non omnino ineptum judico. Sign. Giſſæ die

3. April.

3. April. 1700. Deniqve si Phimosi laborans, ob penis aliqvalem incurvaturam, non cum Virgine illibatâ, fortasse cum viduâ coire poterit, qvale exemplum de Anglô qvodam impotente refert Henricus ab Heer, *Observ. 10. pag. m. 108.* Ille scilicet Illustris Anglus, qvos Mylordos, hoc est, Dominos per excellentiam nominant, Spadam venit, impotentiæ remedium qværens: ad vetulas aut qvæ aliàs peperissent, facilè arrigebat, easqve inibat; sed virgineo claustro perfringendo impar, qvia ad primum labiorum contactum semen emittebat, &c.

§. 17.

Qvantum proinde illos attinet, qvi Capistratione seu Penis, ob frenulum, incurvatione & distorsione laborant, eorum nonnullis, qvibus scilicet mentula non est nimium incurvata, uti ex hactenus dictis liqvet, coitum & matrimonium concedi posse, modò diximus; alii econtra Autores, imprimis veteres, omnes taliter affectos pro inhabilibus ad utrumqve judicant, & qvidem ex eâ ratione, qvia hoc modo Semen virile Uteri orificium nec attingere, nec in ejusdem Cavitatem ingredi posset. Qvæ tamen sententia falsô nititur fundamentô, Seminis nimirum utriusqve, virilis ac fœminei commiscelâ, qvam ad fœtûs materiam & generationem præsupponebant veteres; qvippe qvi ad Imprægnationem & Conceptionem tam penis erectionem & intromissionem, qvàm seminis ad Uteri orificium ejaculationem, inqve ejusdem Cavitatem ingressum & injectionem reqvirebant; cùm econtrà recentiores talem miscelam multis rationibus rejiciant, fœtumqve potiùs ex Ovulô in Ovariô muliebri, qvò, secundum plerosqve, ordinariè Sperma virile, materialiter non penetrat, ortum trahere credant, uti jam suprà Capite qvartô adduximus. Videri insuper possunt Gvil. Harveus, *de Generat. animal. Exercit. 62. 63. p. m.* 405.

Capistratio.

Non semper impedit Coitum.

405. & 413. Dionis. de Sterre, *de Generat. ex Ovo. cap. 3. p. m. 3.* Christ. Frid. Garmann. *Oolag. Dissert. 2. §. 78. p. m. 111. ejusd. Dissertat. de Homin. ex* Ovo, §. *10. p. m. 4.* Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. I. Septembr. Observ. 7. p. m. 147.* Philipp. Verheyn, *Anatom. Tr. 2. p. m. 190.* Regner. de Graaf, *de Organ. Mulier.* Oper. *p. m. 345.* Pæon. & Pythag. seu Joh. Jac. Harder. & Joh. Conr. Peyer. *Exercitat. 19. pag. m. 98.* Joh. Bohn. *Circul. Physiol. anatom. Progymn. 1. p. m. 2. &c.* Secundum qvos & alios Autores ad Conceptionem & Imprægnationem non semper reqviritur, ut Semen Viri immediatè ad internum Uteri orificium vel etiam in ipsam Uteri cavitatem projiciatur, sed sufficit, ut semen fœcundum tantummodò in Vaginæ Uterinæ partem mediam, vel etiam post prima tantùm labia perveniat, cùm ad conceptionem non materialiter, sed virtualiter tantùm concurrat Sperma virile, ejusqve spiritus plasticus seu genitalis fortior & generosior ex vaginâ Uteri ad Ovaria vehatur ibidemqve ovulum imprægnet; qvod Johannes Bohnius, *l. a.* præter alias rationes exemplô Galli probat, cujus semen ob sui paucitatem, penis ejaculantis brevitatem, vaginæ angustiam ac Uteri & Oviductûs longitudinem ac tortuositatem Vitellarium non conscendit, nihilominus plura ova simul fœcundat. Cùm præterea illi viri, qvibus vel naturâ, vel Casu & infortuniô parvus est penis, (qvalia exempla supra Capite tertio allegavimus) liberos generare, item nonnullæ fœminæ atretæ seu imperforatæ absqve intimiore Penis admissione concipere possint, qvid mirum, viros tali laborantes Phimoseos specie, ut per præputii aliqvatenus constrictum orificium semen, tanqvam spirituosæ & prolificæ materiæ vehiculum, in Vaginam Uteri, vel ipsius atrium atqve post labia seu fores horti venerei, ejicere possint, modò semen per se sit fœcundum, liberos qvoqve generare posse?

§. 18.

§. 18.

Aliter tamen de iis, qvi vel omnimodâ Præputii occlusione, vel nimiâ Penis incurvaturâ, vel aliô ejusmodi vitiô laborantes, Semen non in ipsam Uteri vaginam injicere valent, sed externè tantùm seu antè vulvam profundunt, statuendum puto. Hinc etiam non modò jam suprà coitum seu ingressum ad Conceptionem necessarium judicavimus, sed etiam Observationem Hieronymi Fabricii ab Aqvapendente paulò infrà allegandam & aliàs, ubi à semine extra Vulvæ orificium ejectô fœminæ concepisse dicuntur cum G. W. Wedelio, *Physiolog. Sect. 3. cap. 28. pag. m. 204.* vel fabulis, vel imposturis annumerandas censemus, siqvidem seminis extra vas effusi spiritûs prolifici statim evanescunt. Unde etiam Historias illas de mulieribus ex semine prope Vas effusô concipientibus, item de sponsâ qvadam ex solâ pollutione sponsi prope vas absqve ullâ omninò membri intromissione, gravida factâ, &c. qvas Paulus Zachias *Qvæst. med. legal. Lib. 5. Tit. 3. Qv. 7. §. 2. fol. m. 459.* admirationem sibi incussisse refert, pro fabulis habendas judicamus. Ipse tamen dictus Zachias, *l. a. Tom. III. Consil. 42. fol. m. 76.* in Casu Leandri (qvi ob deflorationem Lucretiæ torturæ expositus confessus erat, se prope Uterum Lucretiæ, utrisqve stantibus, semen, absqve ulla omninò penis in Uterum intromissione ejecisse,) sententiam mutat statuens, qvòd nullo modô potuerit Lucretia ex Leandrô eâ ratione seminandi concipere, sed vel Leander verè illam defloraverit Penis intromissione, vel illa ex aliô conceperit. Deniqve qvosdam aliqvali Capistratione seu Penis incurvatione fœcundum coitum exercere posse, probant exempla eorum, qvibus nimirum Glans & præputium paululum incurvatum, insuperqve penis non in glandis parte anteriore, sed inferiore circa frenulum, perforatus fuit, ut adeò semen

Præputii occlusio.

non

non versus uteri orificium, sed tantùm in Vaginam ejicere potuerint, qvi tamen nihilominus liberos procreâsse leguntur. v. Melch. Fribe, *M. N. C. Dec. I. An. 3. Observ. 98. p. 159.* De qvâ materia mox pluribus agemus.

§. 19.

Atreta. Adducenda adhuc restant promissa Atretarum seu imperforatarum, nihilominus concipientium mulierum exempla, qvæ propriè qvidem ad Emenologiam nostram pertinent, interim tamen, in dictorum probationem, hoc loco nonnulla eorum vel recensenda, vel alleganda sunt. Ex communicatione Ludovici Huberti, Regis Galliæ Chirurgi, seqventem Observationem refert Gvilelmus Fabricius Hild. *Cent. 3. Observ. 60. pag. m. 245.* Aurifaber qvidam Parisiensis, cum puellam honestam duxisset, sibiqve in Congressu liber aditus ad illam non daretur, qvin etiam illa in congressu de dolore, & qvòd difficulter maritum admittere posset, conqvereretur, post menses aliqvot, etsi illa se gravidam esse suspicaretur, de divortio tamen maritus cogitare cœpit. Ne tamen temerè atqve inconsultò qvicqvam tentaret, parentes ex unâ atqve alterâ parte accersit, iisqve mentem suam aperit; qvibus, ut Collegium Medicorum atqve Chirurgorum convocaretur, visum est. Hi inspectis muliebribus, Collum matricis mediante membranâ durâ atqve callosâ clausum reperierunt; sed, qvod summopere notandum, membrana illâ hinc inde parvis exiguisqve foraminulis ad Menses expurgandos perforata fuerat. Communi itaqve consensu hancce membranam prædicti Chirurgi inciderunt; postea pessaria Ungventis appropriatis illita intromiserunt. Sic brevi ita restituta fuerat, ut de divortiô non amplius loqveretur Maritus. Post menses autem sex ab incisione factâ, infantem sanum ac maturum progenuit. Rarius adhuc exemplum recenset Stephanus Blancardus, *Collect.*

Me-

Medico-physic. Cent. 3. Obs. 56. pag. m. 428. de fœminâ, cujus orificium Uteri externum non Membranâ, sed firmâ carne ita erat coalitum, ut saltem foraminulum, vix frameam admittens, pro excernendis mensibus superesset; hinc etiam ad Conceptionem inepta judicaretur; qvæ tamen nihilominus Veneris œstrô percita concipiebat. Postmodum partûs tempore Infanti, per incisionem in istam substantiam carneam, qvæ hactenus verum concubitum impediverat, & qvidem ad tres circiter digitos latos factam, via ad egressum pandebatur. Franciscus Mauriceau, *dans les Observations sur la Grossesse & l'accouchement des femmes Obs. 489. p. m. 287.* exemplum fœminæ absqve penis introductione concipientis seqventibus verbis communicat: Le 20. Juin 1687. j'ay vû une femme agée de trente-cinq ans, qvi estoit en travail de son premier enfant, depuis vingt-qvatre heures, que ses eaux estoient decoulées; ce qvi rendoit son travail plus difficile & laborieux; la qvelle difficulté estoit encore augmentée par son hymen, qvi me parut tout entier à l'entrée du Col de la Matrice, & si peu perforé, qv'on ne pouvoit pas introduire seulement l'extremité du petit doigt; ce qvi me fit connoistre une verité, dont cette femme m'assura; qvi estoit, qv'ayant épousé un homme fort vieux, qvi par sa foiblesse n'avoit pas pû, en forçant son hymen, faire aucune introduction de sa Verge dans le col de sa matrice, elle n'avoit pas laissé de devenir grosse, à son grand etonnement, &c. Et *Observ. 583. pag. 341.* mentionem qvoqve facit fœminæ gravidæ, cujus hymen seu claustrum virginale non nisi parvô foramine ad magnitudinem caulis pennæ scriptoriæ apertum erat, ut ita pariter absqve intromissione penis conceperit. Sic puella Romana à primô ortu clausa, nisi qvod exiguum esset foramen, vix pisum capiens, pro Urinæ ac menstruorum egressu, assiduis Amasii

 pre-

precibus commota ipsius libidini nimium dedit, rata nullum conceptionis periculum futurum, qvippe cujus vulvæ labia à nativitate conjuncta & unita penem non admittebant: Cæterum fricationis hujus debitas dedit pœnas, ex ipsô præter spem gravida facta. Tandem, unitis vulvæ labiis sectione chirurgicâ diremtis, debitô tempore filium peperit. v. Henr. à Moinichen, *Observat. 13. p. m. 49. seq.* Et Petrus Borellus, *Histor. med. Phys. Cent. 4. Obs. 26. pag. m. 297.* dicit, se habuisse amicum, qvi absqve ullâ intromissione, sed externâ tantùm in vulvam puellæ ejaculatione, eam gravidam fecerit. Item puella qvædam octo circiter annorum, cùm sese, ut calefaceret, Carbonibus in ollâ contentis insideret, obdormiens, perfracto fictili, in Carbones incidit & totam perinæi vulvæ & pubis regionem combussit; vocatus verbosus qvidam Chirurgus adeò negligenter eam curavit, ut integra vulvæ labia, firmâ cicatrice, sibi conjungi, & relictis tantum duobus foraminulis, unô infra os pubis, alterô prope anum, in perinæô coalescere permiserit. Puella taliter constituta, ad pubertatem pervenit, & cùm, tum ob hæreditariam levitatem Veneris œstrô non parum stimularetur, tùm ob elegantem formam à procis non paucis sollicitaretur, tandem ab unô per contactum absqve membri intromissione ingravidata fuit; cùmqve partûs adesset tempus, sectionem & apertionem vulvæ feliciter perfecit Chirurgus qvidam peritissimus, referente Paulo de Sorbait. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 273. p. 466.* In cujus Observationis fine dictus Autor addit, verissimam hanc historiam docere, qvòd etiam conceptus absqve membri virilis intromissione fieri possit, qvod multi negâssent. A Semine ante vulvæ ostia projectô conceptionem fieri posse, testatur Cornelius Stalpart van der Wiel, *Cent. II. Obs. 39. Schol. pag. m. 406.* Scilicet cùm qvidam

Ci-

Civis Hagiensis, cujus uxor puerperii lecto per aliqvod tempus affixa fuisset, tam diutinæ à coitu abstinentiæ impatiens vicini filiam, qvâ cum familiariter antea vixerat, blandè interdum contrectaret, adeò, ut tandem, Veretrô illius pudendis admotô, semen ante vulvæ ejaculatus sit ostia, cujus turgidos serventesqve spiritûs illa ad Venerem jam incitata & summoperè pruriens faucibus uteri hiantibus hausit, indeqve, pene in vulvam non immissô, Virginitatis claustris illæsis concepit. Et apud Hieronymum Fabricium ab Aqvapend. *Oper. Chir. fol. m. 278.* similis legitur Casus de adolescentibus fœminâ & mare, cùm ob amorem mutuum simul in locô solitariô convenissent, dum osculis & illecebris ac blanditiis ita stantes se amplexarentur, fœmina permisit Colem Maris ad vulvæ orificium vix pertingere, ille verò tentigine flagrans Semen ad vulvæ orificium invitus ejecit, & gravida facta virgo est. Aliud qvoqve exemplum recenset de la Morandiere, de fœminâ, qvam Vir à septenniô conjugatus inire non potuerat & qvidem ob orificium externum Vulvæ obturatum à carne solidâ eaqve naturali, pertusâ tamen in mediô ad menstruorum effluxum, vix tamen styli cujuspiam vulgaris capaci. Licet autem hæc fœmina, constitutâ à Judice per Chirurgos & Matronas exploratione, hac de causâ generationi inhabilis judicata ac viduitati mancipata fuerit, libidinis tamen stimulis urgentibus eadem concepit, actu qvanqvam venereô imperfectô; posteaqve, temporè partûs adveniente, incisione carnis, vaginæ introitum obsidentis, exitus artificiô infanti procuratus fuit. v. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. I. Mens. Novembr. Observat. 6. pag. m. 173.* ubi Autor addit: Ex his conspicuum est, membri virilis intromissionem inter circumstantias ad Conceptionis actum absolutè necessarias non esse numerandam, id qvod vulgò apud Medicos statutum.

tutum. Deniqve ſcribunt etiam Autores Hiſtoriæ Morbor. Vratislavienſ. Anno 1702. *pag. m. 210.* qvòd à præclariſſimis, Medicis ſit obſervatum, per ſolum penis ad muliebria clauſa affrictum ac externam Seminis aſperſionem mulieres nonnunqvam concepiſſe; & qvòd hodie communi eruditorum ſuffragiô comprobatum ſit, non opus eſſe, ut craſſior Seminis pars ad ipſam Uteri cavitatem pertingat, ſed ſufficere, ſi genitales ſpiritus, qvi per exiguum etiam porum facilè poſſunt penetrare, ad illum diffundantur, prout nuperrime qvoqve inculcatum à Celeberrimô Johanne Wilhelmô Pauli, Profeſſore Lipſienſi, in doctiſſimâ Diſſertatione de Nutritione naturali ac præternaturali. Ex hactenus dictis ſufficienter conſtat, Conceptionem etiam absqve plenariâ Penis in Uteri vaginam immiſſione fieri poſſe, qvamvis tam ratione Phimoſeos, vel alius cauſæ in viris, qvàm imperforationis in fœminis vitium ſeu impedimentum aliqvod ſubeſſe videatur. Ex communicatione Euſebii Hieronymi Tellmanni ſeqventem hiſtoriam refert Chriſtianus Franciſcus Paullini: Puellæ cuidam ſedecim annorum, eximiæ formæ, ob genitalia à natali clauſa menſes & Urina ordinariè, modò ſolitariè, modò cum cæteris fecibus, per alvum ſine moleſtiâ fluebant. Cùmqve ad matrimonium inepta videretur, in Cœnobium deducere volebant Parentes, qvam eremum tamen ipſa declinavit. Interim neſcio à qvô Jurium peritô amata & vitiata ſit, ſemine virili tantùm extra pudendum virgineum adſperſô, & aurâ ſpirituoſiori attracta. Gratæ hæ titillationes crebriorem fecére admiſſionem. Tandem bonæ puellæ venter intumuit ipſaqve ab omnibus renunciatur prægnans. Rogata rigoroſiùs, acta & facta Parenti recenſuit; qvi verò hoc modô puellam imprægnâſſe pro impoſſibili habuit. Interea ob calorem inordinatum prurituraqve periodicum, qvem circa vulvam ipſa ſen-

senserat, lacte asininô claustrum suum freqventiùs lavit fovitqve. Qvod laxatum spontè tandem noctu in somno disruptum hiatum fecit sat amplum, & exodum tandem suô tempore præbuit infanti. *v. M. N. C. Dec. II. An. 7. Append. p. 160. sq.* Exinde videmus fœminas, qvæ vulgò imperforatæ aut arctæ vel atretæ audiunt, (atqve secundum Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. medic. legal. Part. I. Sect. 1. Cas. 14. pag. m. 42. seq.* à matrimoniô arcentur, maritatæ iterum separantur & ad Conjugium inhabiles censentur, adeò, ut etiam alii viro nubere neutiqvam indulgeatur,) concipere posse, qvia pari modô, ac si coitus perfectus cum intrusione penis exerceretur, auram genitalem in spermate virili ante membranas perforatas ipsarum vaginas occludentes ejectô latentem assumere vel admittere possunt.

§. 20.

An verò fœminæ à spiritibus tantùm seminalibus à Virô emissis, absqve ullâ genituræ effusione, concipere possint, uti ex relatione & experientiâ Martini Leopardi Vissensis, Viri fide dignissimi atqve doctissimi, communicat Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. I. Tr. 3. cap. 6. pag. m. 61. seq.* adhuc sub judice lis est. Scilicet secundum hunc Autorem Vir qvidam in coitu nihil seminis, sed tantùm spiritûs maximô cum delectamentô, imò tali effundebat, ut voluptatis impotens & sensibus ferè omnibus destitutus humum concideret. Cæterùm tantâ voluptatis vi devictus, hic homo post unam Venerem per mensem libidinis incitamentis & carnis igniculis vacare consvevit. Cùm autem hic vir virginem plenam nubilibus annis consangvineam domi haberet, hanc subagitavit; qvòd cum fecisset sæpiùs, tandem illa concepit Utero. Tanti sceleris percrebuit fama, pervenitqve ad Præsulis aures, unde corruptor vinculis & carceribus paulò post tradi-

An à spiritibus Seminis virilis Conceptio fiat?

tus fuit, qvi tamen audacter negavit & fronte pervicaci asseruit, se genituræ expertem esse, ac proinde neqvaqvam de se Virginem concepisse, verùm aliunde adhibuisse virum; defectus autem hujus seminis testes probatos affert & insuper experientiam se allaturum pollicetur. Pro tantô eventu consulitur Medicorum Collegium Romanum, Bononiense & Mediolanense, qvæ unanimi conspiratu eqvidem responsum dedere: fieri neutiqvam potuisse, ut mulier à virô, qvi nullam effundit genituram, conceperit; dictus autem Sinibaldus Conceptionem hanc à solis spiritibus fieri potuisse, prolixè ibidem defendere conatur. vid. etiam Cornel. Stalp. van der Wiel, *Obs. Centur. poster. Obs. 39. Schol. pag. m. 408.* de qvô tamen sine semine conceptu alii dubitant, eumqve pro suspectô atqve spuriô habent. vid. Georg. Horn. *Histor. natural. Lib. 3. cap. 1. p. m. 156.* Huc etiam referri potest Casus ex Johann. Frid. Zittmann. *Medicin. Forens. Cent. 6. Cas. 77. p. m. 1642. seq.* ubi Facultas Medica Lipsiensis ad Qvæstionem: an dormiens in sella Virgo inscia deflorari atqve citra immissionem Seminis per solam hujus spirituascentiam concipere potuerit? his verbis negativè respondet: So viel die andere Frage betrifft, weil H. selbst gestehet, daß, da er imprægnatam auff dem Faul-Bettgen fleischlich erkannt, er das Semen ins Hembde gelassen, und also weder affrictio noch aspersio Seminis ad genitalia muliebria vorgegangen, hat in demselben Congressu keine Conception und Fœcundation erfolgen können. Leipzig, den 12. August. 1699. Qvanqvam hæc materia ulterius indaganda esset, cùm secundum recentiorum sententiam Conceptio non tam à Virilis Seminis materiâ, qvam ab ipsius aurâ genitali seu vi plastica, in semine latitante derivetur. Plura loco Seminis flatus per Penem in Coitu emittentium exempla supra *cap. 1. §. 27.* adduximus.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An illi viri, qvibus Penis non in locô ordinariô seu anteriore Glandis parte, sed vel in inferiore locô circa Glandis frenulum, vel in mediâ Urethræ parte, vel circa radicem prope Scrotum, perforatus est, Coitum fœcundum exercere seu liberos generare qveant, atqve ad matrimonium admitti vel etiam iterum separari debeant?

§. I.

Dictô perforationis vitiô laborantium tum puerorum, tum Virorum non modò suprà Capite tertiô, sed etiam antecedente Qvæstione mentionem fecimus; cùm verò taliter constituti neqve Urinam, neqve Semen solitô ac naturali modô excernere qveant, oritur qvæstio: an ad Matrimonium habiles sint? Ad qvam respondeo: communiter eqvidem ejusmodi personas, nisi talem naturæ errorem arte chirurgicâ corrigere liceat, ad Generationem minus aptas, hincqve ad torum conjugalem minimè admittendas judicari, & qvidem ex eâ ratione, qvia in ejusmodi casibus Viri Semen in Coitu internum Uteri orificium non attingat, sed tantummodò in vulvam seu Uteri vaginam ejiciatur. Ita enim scribit Ambrosius Paræus, *Lib. 16. cap. 33. fol. m. 363.* Nonnullis â primô ortu ex pravâ conformatione glans mediô ductu perforata non est, sed exiguô subter foramine, frenum seu penis ligamentum, qvod filum appellant, versus. Qvod causa est, cur Urinam rectô ductu non profundunt, nisi forte mentulam in ventrem resupinaverint: Nec verô eâdem ratione prolem gignere possunt,

Glans imperforata an matrimonium impediat?

Affirmant alii.

ſunt, qvia iſtô conformationis vitiô ſemen rectâ in Uterum ejaculari prohibentur. Et juxta Paul. Zacch. *Quæſt. medic. legal. Lib. 9. Tit. 3. Qu. 6. §. 4. fol. m. 780. ſeq.* conveniunt Doctores, quòd, quandocunque foramen Virgæ in ſuô naturali locô non apparet, impediatur omnis generatio; & rationem afferunt evidentem, quæ ea eſt, quia non poteſt ſemen rectà ad Uteri internum oſculum pervenire, ſed ad latera, vel ad poſteriorem partem effunditur; Qvin addam ego, pergit dictus Zacchias, ipſâ penis glans ad id impedimento eſt; etiamſi ergo Uterus inſigni attractione doletur & virile ſemen attrahendi avidiſſimus, tamen ob illud ipſum impedimentum non ante illud attrahere poteſt, quàm ſpiritus evaneſcant & ſemen refrigeretur, unde ſemen omninò & undiquaque infœcundum evadit. Quod confirmat etiam Fortunatus Fidelis, *de Relation. Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. pag. m. 360.* Eſt aliquod, inquiens, Membri virilis vitium, quod prolis ſuſcipiendæ ſpem adimit; cùm illud ſcilicet in mediô emiſſariô ita aliquô pervium foramine eſt, ut detruſum ſemen aut ſuô impetu retardetur, aut locô exeat alienô. Sunt enim, quibus glans ipſa alienô in locô eſt perforata, ut rectô impetu in Uterum ejaculari ſemen non poſſit; nimirum, ſi paulò altiùs aut humiliùs foramen pateat. Quod vitium, pergit Fidelis, ſiquidem ullâ ratione emendari poterit, hos etiam viros ad conjugium admitto; aliter autem nequaquam; nam quod valde detortum ſemper eſt, rectam ſeminis ejaculationem eductionemque impedit; ut etiam lentè & frigidè & diminutè foras procedat. Eandem ferè ſententiam fovere etiam videtur Thomas Bartholinus, *Anatom. reform. Lib. 1. cap. 24. pag. m. 245.* Nonnullis, inqviens, glans parte, quâ debebat, anteriore perforata non eſt, ſed in inferiore, qvi niſi erectô pene vel ſedentes mejere non poſſunt; aliis & freqventiùs

ſu-

superiore: utriqve ad generationem non ita apti sunt. Imò Felix Platerus, *Observat. medic. Lib. 3. pag. m. 844.* hanc generandi ineptitudinem exempló qvodam probare videtur. Nobili scilicet cuidam Capitaneo, qvi præter foramen in glandis mediâ anteriore sede secundum naturam formatum aliud qvoqve subtus circa glandis radicem & præputii exortum, ab ortu habuerat, per qvod mingentis urina deorsum ferebatur atqve semen qvoqve emittebatur. Cùm hic uxorem ducere vellet, & ex Platerô qværeret, an hoc impedimentum afferre posset? hic respondit: Ad actum qvidem obeundum non multum (ut ipse expertus testatus erat) sed qvò minùs uxor concipere posset, cum foramen, per qvod semen profundebat, Orificio Uteri interiori non responderet, obstaculo fore, &c. Id qvod etiam exemplis Conjugii sterilis confirmari posset, qvale de virô glandem penis imperforatam habente refert Godofredus Samuel Polisius, *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 155. p. 265.* ubi qvendam in Poloniâ degentem ejusmodi conformationis vitiô in hanc lucem editum novisse scribit, ita, ut foramen eqvidem aliqvod, vel potiùs vestigium foraminis in extremitate glandis conspicuum fuerit, attamen pro emittendô lotiô atqve semine ejaculandô minimè pervium; Paulò verò infra Glandem Natura viam adinvenerat, per qvàm tam Urina, qvàm semen, sine aliqvô impedimentô effluebat; nihilominus tamen hic Vir in sterili conjugiô vixit. Item Nobilis qvidam Francus Urinam & Semen per foramen infra Penem, ubi præputium adnatum est, emisit, cujus uxor ex eô non concepit. v. Johann. Schenck. *Obs. med. Lib. 3. fol. m. 508.*

§. 2.

Qvantum autem contra generationis & Conceptionis possibilitatem adductum argumentum attinet, qvod nimirum se- *Negatur.*

men virile in tali Casu ad interius Uteri orificium non pertingat, sed potiùs in mediam tantummodò, aut, pro conditione perforati loci, interdum in magis anteriorem Vaginæ uterinæ partem & qvandoqve vix post prima vulvæ labia effluat, ibidemqve iners remaneat; hoc, inqvam, argúmentum, à veterum opinione de utriusqve sexûs seminis ad fœtûs formationem necessariâ, inqve Cavitate Uteri factâ commiscelâ desumptum, à recentioribus Physico-Physiologico-Medicis Autoribus variis argumentis refutatur, ad qvos, ut & ad ea, qvæ suprà, Qvæstione primâ, proposuimus, benevolum Lectorem remittimus. Huc etiam pertinet Attractio Uteri, per qvam pariter veteres sperma virile, in vaginam vel prope orificium Uteri internum tempore coitûs projectum, qvasi ab animali attrahi, aut ab Uteri cavitate insugi credebant; qvam tamen Uteri attractionem vel suctionem moderni Autores itidem rejiciunt planeqve negant, statuentes videlicet, crassam virilis seminis materiam non semper ad Uteri cavitatem, multò minùs ad Ovarium muliebre, in qvô vera Conceptio fieri solet, pervenire, sed tantummodo ratione auræ genitalis seu spiritus prolifici, qvô Coitus tempore sperma virile turget, in ovulum aliqvod, tanqvam veram fœtûs materiam, agere illudqve imprægnare.

§. 3.

Rationes. Qvodsi proinde ordinariè in Coitu fœcundô Viri, in anteriore glandis penis parte secundum naturam perforati, utplurimum Semen non nisi in Vaginam uterinam ejicitur; Imò si atretæ seu imperforatæ, id est, illæ mulieres, qvibus Vulvæ labia vel naturâ, vel casu adeò sunt angusta, coarctata & occlusa, ut viri hastam rectè immittere neqveant, (qvalia exempla in antecedente qvæstione adduximus,) absqve legitimâ Penis intrusione seminisqve injectione, sed ab admissâ saltem ali-

aliqvali Seminis portione vel aurâ genitali concipere possunt; ut de iis, qvi brevioribus mentulis præditi sunt, taceam; sanè etiam illis viris, qvibus penis non in anteriore & mediâ glandis parte, sed sub eadem circa frenulum, vel etiam in mediâ Urethræ parte perforatus est, nec generationem sobolis, nec ipsum matrimonium denegari posse, contra allegatorum Autorum sententiam statuimus; hac tamen conditione, ut Semen per se sit satis spirituosum atqve prolificum, item foramen sub glande & in mediâ Urethræ parte satis magnum, ut ex Pene rigidô Sperma cum impetu egredi inqve vaginam uterinam injici qveat.

§. 4.

Huic nostræ Sententiæ consentientem habemus supra allegatum Gottofredum Samuelem Polisium, qvi *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obs. 105. p. 265.* postqvam virum ejusmodi conformationis vitiô, seu pene sub glande perforatô laborantem in conjugiô sterili vixisse dixit, ita pergit: an verò hæcce præternaturalis penis efformatio istius sterilitatis causa esse possit, uti qvidem Germanorum Medicorum Hippocrates, beatissimus noster Sennertus, in Praxi suâ opinatur, qvòd semen directô in Uterum immitti neqveat, dubitare qvis posset, imprimis si contagium Harveanum admittere velimus, ubi non opus est, ut materia seminalis in directum Uterum ejiciatur. Inqvit etiam Michael Bernhardus Valentini, *Chirurg. medic. Sect. 3. cap. 8. p. m. 371. seq.* Qvandoqve Glans loco naturali qvidem impervia, sed à latere frænuli foramen, ductu qvodam ab Urethra oriundô Urinam & Serum excernens reperitur. Cùm autem foramen hoc notabile incommodum non adferat, non erit claudendum, aut novum parandum, cùm homines ejusmodi non secus ac alios, mentulâ probè formatâ gaudentes, ad sobolem procreandam habiles obser- *Autoritas.*

varint Medici. Et licet in allegato Felicis Plateri exemplo nulla Conceptio subsecuta sit, uti Platerus prædixerat, non tamen fortasse ex malè formatô, aut non rectè locatô foramine, sed magis ex semine minùs fœcundô, vel ab aliâ causâ, item ratione Uxoris, sterilitas illa derivanda mihi videtur; siqvidem in aliis qvoqve subjectis, qvibus tamen organa genitalia secundum naturam sunt conformata, sæpissimè coitus & matrimonium infœcundum observari solet. Imò fortasse Nobilis ille, qvi utrum ad matrimonium sit habilis, ex Platerô rescíscere volebat, jam antea per crebrius Veneris exercitium seminis spirituascentiam dissipaverat, siqvidem, se Coitûs actum celebrare posse, expertus Medico testabatur.

§. 5.

Exempla. Porrò assertam generandi & concipiendi possibilitatem confirmant exempla ab Autoribus annotata; cùm Melchior Fribe, *M. N. C. Dec. I. An. 3. Observ. 98. pag. 158. seq.* non modò defendat, perforationem penis in inferiore parte ineptitudinem ad generationem non posse introducere, nec semper necessarium esse, ut Spermatis ejaculatio rectà ad Orificium & per conseqvens ad ipsum fundum Uteri fiat; sed etiam sententiam suam exemplô confirmet, virum, inqviens, novi, cui glans & principium Penis paululum fuerit incurvatum, & Penis in inferiore parte circa frenulum perforatus, per qvam aperturam tam urinam, qvam Sperma egesserat; nihilominus tamen ex duabus uxoribus sex liberos genuerat. Sic Dionysius van der Sterre, de Generat. testatur, se haud paucos nosse, qvi Pene sive prope frenulum, sive ad pollicis unius dimidiiqve latitudinis ab extremitate distantiam perforatô, liberos generârint, vid. Corn. Stalp. van der Wiel, *Observ. medic. Cent. 2. Obs. 39. Sch. p. 404.* Et ipse Stalpartius *pag. 402.* ado-

adolescentis duodecim annos nati meminit, qvi sibi ante sexennium præputium petulanter retrahens filô non procul à scrotô penem firmiter vinxerat, ita, ut per arctam fili constrictionem aperiretur Urethra; qvæ apertura propter Urinæ, illuc continuè pro parte affluentis, acrimoniam callô undiqve obducta sanari neqvivit; de hoc puerô dictus Autor, *pag.* 405. *seq.* ita pergit: Dubius autem sum, hicne ad generationem planè ineptus sit futurus, an secus. Statuunt enim plurimi, eam Uteris, præcipuò avidarum viraginumqve, inesse vim, ut seminis virilis spiritum recens ad ora externa affusi in interna, ac deinceps in ipsas admittant cavitates. Qvamvis enim semen in vulvam non immittatur, concipere tamen possunt. Hoc autem si verum est, qvidni multò faciliùs qvandam tempore imprægnet puer noster, cùm semen, licet non omne, ad Os Uteri usqve effundere qveat. Apud Haganoenses ex Patritiis familia celebris fuit, ex qvâ masculi pleriqve omnes pronati Urinam ex foramine seu meatu propriô subtus penis glandem, sic â naturâ, non vitiô aliqvô, constitutô, qvâ parte vinculum seu frænum dictum, existit, urinam semper excernebant, nullô valetudinis aut sterilitatis incommodô, uti refert Johannes Schenckius, *Observ. med. Lib. 3. fol. m.* 508. Imò ipse Paulus Zacchias, qvi aliàs facillimè de ejusmodi Conceptionis possibilitate dubitat, *Lib. IX. Tit. 3. Qv. 6. §. 4. fol. m. 781.* hæc habet: Ubi foramen, per qvod Semen emittitur, non multum distat à Glande, non magnô negotiô succedit generatio, & ego, pergit idem, hisce diebus Dionysium qvendam aurificem tractavi, cujus glans imperforata cùm esset, foramen, per qvod Semen & urinam reddebat, sub Glandis coronâ, sortitus erat; plures tamen filios ex Uxore generavit. Verum enim verò, qvantùm orificium hoc distat à glande, tantò majus impedimentum generationi affert. Item

Tit. 10. Qv. 2. §. 10. fol. m. 804. inqvit; Qvodsi foramen non longè à Glande distet, vel sub ipsâ glande sit, matrimonii consummatio non impeditur.

§. 6.

Si foramen in medio vel circa radicem,

Qvodsi verò Penis non prope frenulum aut circa mediam partem, sed potiùs circa radicem & prope Scrotum perforatus, hocqve malum immedicabile sit, tunc contra Cornelii Stalpartii locum modò allegatûm, nulla mihi sobolis procreatio speranda videtur, partim, qvia in tali casu Semen Viri potiùs extra, qvàm intra vulvam ejicietur, partim, qvia sperma ab aëris attactu facillimè destrui poterit; siqvidem juxta Thomæ Schirlæi *Dissertat. de Origin. Corpor. & Natur. petrificat. p. m. 37.* Sperma Viri, si momentô duntaxat, exponatur tactui aëris externi, ob subtilitatem fermenti Spermatici, qvod ad deferendum corpus seminis est aptissimum, emoritur & improlificum fit. Dicit etiam Fortunatus Fidelis, *de Relation Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. pag. m. 357.* Testis est Galenus, semen ne aliqvandiu qvidem extra propria vasa, si modò suas vires servabit, morari posse: nam vel in ipsis maris partibus contineri, vel in ipsis fœminæ partibus situm esse illud necesse est. Cùm enim spirituosum sit semen ac spumosum, siqvidem in alienum locum effusum sit, nec à propriô foveatur, exspirat ex eô repente Spiritus, ut sola aqvea humiditas relinqvatur.

§. 7.

Ante divortium Chirurgia svadenda.

Præter adductas rationes & exempla meâ qvidem sententiâ monendum adhuc venit, Uxoribus, si qvæ ob maritorum penis glandem non secundum naturam, sed sub glande & in mediâ Urethræ parte perforatam, coram Judiciô Ecclesiasticô divortium efflagitent, hoc in passu non statim insurgendum ipsa-

ipſarumqve petito ſubſcribendum, ſed potiùs ſvadendum eſſe, ut in ſuperfluum ejusmodi vitiosè perforatus vir exercitatum Chirurgum conſulat, annon huic errori per artem & manum Chirurgicam mederi liceat. Qvale conſilium etiam Felix Platerus, *Obſerv. med. Lib. 3. pag. m. 844.* illi dedit Capitaneo, cujus ſupra mentionem fecimus, qviqve uxorem ducturus præter foramen in anteriore glandis ſede, adhuc aliud circa glandis radicem habebat, ſcilicet ut ſectione per hoc præternaturale foramen factâ, abraſis utrinqve foraminis hujus labiis, tanqvam Vulnus ſanaretur, ut ſic foramine hoc occlusô ſemen per anterius foramen rectà antrorſum emitteretur. Item Ehrenfrido Hagendornio cognitus fuit Nobilis, qvi à primâ pueritiâ glande penis fuit imperforatâ à naturâ ſignatus, cæterum ſic ſatis ſanus, ita, ut natura aliam viam, qvâ ſe à ſarcina Urinæ liberaret, moliri viſa fuerit, ſcilicet factô ſub glande prope coronam foraminulô, qvô Urina exitum qvæſivit & impetravit. Hic juvenis factus, & ad matrimonium aptus, ne turpiter ſeſe det coram ſponsâ, diu meditabundus inceſſit, tandemqve cùm ſolus ſibi pro conſiliô non ſufficeret, rem Medico cuidam aperuit, qvi id conſilii dedit, ut foramen ſpurium ſenſim coaleſcere eôqve coalitô, novum in glandis apice foraminulum fabricari curaret, pro urinâ emittendâ partim, partim & ſemine in poſterum rectiùs ejaculandô. Conſilium hoc non fuit de nihilô, licet non absqve labore operantis Chirurgi. Eventus hinc ſecutus eſt feliciſſimus, ita, ut in Caſtris Veneris militare ſtrenuamqve liberis procreandis operam dare potuerit, qvatuor liberorum pater factus. vid. Ehrenfr. Hagend. *Hiſtor. medic. phyſic. Cent. 3. Hiſtor. 68. p. 369. ſeq.*

§. 8.

§. 8.

Cura.

De Cura autem & modo operandi evolvi possunt Autores Medico-Chirurgici, v. g. Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *Oper. Chir. f. m.* 269. Fel. Plater. *Observ. Lib.* 3. *pag. m.* 844. Joh. van Horne, *Microtechn. Part.* 1. *Sect.* 2. §. 23. *pag.* III. Edition. *J. Gvil. Paul. pag. m.* 459. *seq.* Joh. Scultet. *Armamentar. Chirurg. Tabul.* 40. *Fig.* 3. *p. m.* 91. Jean. Bapt. Verdue, *Traité des Operations de Chirurg. cap.* 27. *p. m.* 130. *seq. Edit. German. pag.* 92. *seq.* Cornel. Soling. *Chir. Part.* 3. *cap.* 8. *pag. m.* 247. Anton. Nuck. *Operat. & Experim. Chirurg. cap.* 42. *pag. m.* 142. *seq.* Cours d' Operations de Chirurg. de Dionis, *Demonstrat.* 3. *pag. m.* 484. 186. Johann. Wier, *Observat. Lib.* I. *pag. m.* 943. Joh. Schenck. *Observ. med. Lib.* 4. *fol. m.* 524. Laurent. Heister. *Chirurg. Part.* 2. *cap.* 121. *p. m.* 614.

QVÆSTIO III.

An ob Penem nimis magnum, seu Membrum virile naturalem magnitudinem excedens, Coitus & generatio impediatur, ideoqve matrimonium sit dissolvendum?

§. 1.

An Penis magnus Coitum impediat.

NOn modò majorem & minorum Penum exempla jam supra Capite tertiò adduximus, sed de ipsorum qvoqve Prognosi Capite sextô egimus. Cùm autem nonnunqvam etiam in Judiciis matrimonialibus & Consistoriis de ipsorum potentiâ & impotentiâ disceptari soleat, de iisdem qvoqve paucis hic agendi nobis datur occasio. Et qvantum qvi-

qvidem Penem solitô majorem attinet, vulgò talis præ minori fœminis acceptior atqve ad generationem utilior judicatur, qvam tamen opinionem Medici non semper amplectuntur. Inqvit eqvidem Gabriel Fallopius, *Tr. de Decoration. cap. 9. Oper. Vol. II. fol. m. 338.* Penem magnum breviore utiliorem esse, nihilominus tamen addit, qvòd si tamen membrum virile nimis longum fuerit, illud Uterum & os matricis contundere & generationem impedire solere. Et juxta Hadrianum Spigelium major mentula vulvam potiùs replet magnitudine, qvàm Uterum fœcundô semine. Est enim ineptior ad Venerem, qvam neqve animosè aggreditur, neqve diu sustinet, victis pondere Musculis, qvi rigidam hastam tenent. Item secundum Ludovicum Mercatum, *de Mulier. Affect. Lib. 3. cap. 2.* Penis virilis longitudo, convenienti major, qvæ uterum plurimùm feriat, sterile efficit Conjugium. vid. Israel. Spacch. *Gynæc. fol. m. 975.* Deinde fœminas ob membri virilis incongruam longitudinem varia Symptomata incurrere, annotârunt nonnulli Autores, v. g. in Syncopem levem incidebat Scortum qvoddam Romanum, cui Angela nomen erat, qvatenus cum virô bene mentulatô congrediebatur. v. Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 3. Qv. 5.* §. 7. *fol. m. 647.* Et §. 10. dicit idem: Ubi vir mentulam haberet nimis longam, ita, ut facilè concumbens internum Uteri osculum violenter impingeret, tunc notabile & evidens immineret periculum, cùm odorem (fortasse ardorem) gravem Sangvinis rejectionem, inflammationem, ligamentorum disruptionem atqve alia Symptomata excitare posset, præterqvam qvòd excitando dolorem omnem Veneris jucunditatem ac delectationem mulieri adimeret, unde etiam Conceptio omninò impediretur. Et *Lib. 3. Tit. 1. Qv. 6. §. 5. & 6. fol. 278.* scribit: Si vir habeat virgam justô longiorem, mulier autem

Uteri cervicem nimis brevem, tunc mulier maximopere læderetur à viri congressu, & fortasse nullatenus illum admitteret, qvia ex eô non modô dolorem & angustiam pateretur, qvòd in internum Uteri osculum membrum impingeret, sed ea res discrimine non vacaret, qvia tumorem & inflammationem & fortè etiam Sphacelum in Uterô gignere posset; præterqvam, qvòd generationem etiam impediret; ob qvas caussas intercedere videtur justa causa matrimonium separandi. Refert etiam ex Gvilelmô Fabriciô Regnerus de Graaf, *de Organ. Viror. pag. m. 97.* exemplum de Uxore juvene, optimôqve Corporis habitu præditâ, qvæ in secundum Conjugii annum non solùm sterilis permansit, sed tandem qvoqve in Cachexiam incidit, & qvidem ob immensam penis mariti sui longitudinem, qvæ ipsi non solùm in Coitu, sed etiam post congressum maximos dolores afferebat. Imò ipse Gvilelmus Fabricius, *Cent. 6. Observ. 61. Oper. fol. m. 575.* Collum Matricis dictæ fœminæ exulceratum fuisse refert. Deniqve antiqvi viros longâ virgâ insignes, eâ potissimùm de causâ infœcundos esse, credunt, qvoniam ob excedentem ductûs longitudinem semen in mediâ viâ refrigeretur, Spiritibusqve orbetur. Inqvit etiam Aristoteles, *de Generat. Animal. Lib. I. cap. 6. fol. m.* 532. Qvibus penis immodicus est, infœcundiores sunt iis, qvibus mediocris, propterea, qvod semen frigidum infœcundum est, refrigeratur autem, qvod longè admodum fertur. vid. etiam Caspar. à Reies, *Camp. Elys. Qv. 41. §. 19. seq. pag. m. 500.*

§. 2.

Penis crassities. Pertinet autem ad magnitudinem Penis non modò longitudo, de qvâ hactenus diximus, sed etiam crassities, qvandoqve longitudini conjuncta. Hanc crassitiem interdum mulieribus æqvè, ac penis longitudinem, nocere, testantur Medici,

dici, siqvidem secundum Ludov. Mercat. *de Mulier. affect. Lib. 3. cap. 2.* Virile membrum latius aut crassius, qvàm par sit, vel sustinere fœmina neqvit, vel adeò Os Uteri aperit, qvòd hiare ipsum faciat, donec semen procidat, Uteri osculo neqveunte se comprimere præ dolore & extensione nimiâ. v. Israel. Spacch. *Gynæc. fol. m. 975.* Item, talem penis crassitiem interdum Uteri vasa aperiendô & lacerandô, sangvinis fluxum & Menstruorum nimis excedentem copiam adsciscere posse ex Hier. Mercuriali, *de Morb. mulier. cap. 2.* notat Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 3. Qv. 5.* §. *9. fol. 647.* ubi etiam ex Hucher. de Sterilit. addit, hanc membri magnitudinem posse Urinæ incontinentiam, diarrhœam, inflammationem aliaqve Symptomata excitare.

§. 3.

Ex his & aliis caussis nonnunqvam uxores de nimia membri genitalis magnitudine conqverentes, matrimonii dissolutionem in Consistoriis efflagitant. Scribit enim Felix Platerus, *Observat. medic. Lib. 1. pag. m. 250.* se, ob virorum membri genitalis magnitudinem, qvam ipsis junctæ uxores ferre non poterant, duo matrimonia divulsa vidisse. Et Georg. Wolffg. Wedelius, *Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 11. p. m.* 638. ait: Contigit qvoqve impotentia nimis magnô & excessivô instrumentô genitali, majori scilicet, qvàm ut admitti à fœminâ possit, qvale exemplum novimus contigisse Lipsiæ, ubi, cùm in causâ divortii à fœminâ qvæsiti, decretum fuisset, illud non habere locum, qvòd vir impotens non esset; fœmina ex aliô capite rem aggressa circulô magnitudinem expressit, sibi nullô modò ferendam. Exemplum recentissimum Sarissæ nimis longæ atqve mulieri adeò exosæ, ut debitum Conjugale Marito suô, ob dolorem inde conceptum denegando, separationi qvoad torum & focum occasionem

Divortium ob Penem magnum.

nem dederit, Gissæ observavit Mich. Bernh. Valentini. *v. Chirurg. medic. Sect. 3. cap. 8. pag. m. 366.* Præternaturalem Virgæ virilis longitudinem pro causa Insterilitatis non immerito esse judicandam, statuit Facultas Medica Lipsiensis. vid. Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forens. Cent. 2. Cas. 85. pag. m. 571. seq.* vid. etiam supra *Cap. III. §. 16. pag. 110.*

§. 4.

Inspectio necessaria.

Qvodsi itaqve fœmina, vel ob nimis longum Mariti mutonem, vel ob aliam fortasse occultam causam, sub illius prætextu divortium expetat, ante omnia de Viri Catapultâ per inspectionem erit judicandum, an scilicet, secundum Uxoris qverelam, mediocritatem naturalem adeò excedat, ut mulierem sine noxâ inire neqveat. Qvò proinde de naturali Penis longitudine eò certius judicium ferri possit, nonnullis in locis, & præcipuè, ubi Consistoria aperiuntur, Penis lapidibus incisus vel ex lignô formatus reperitur, ad qvem in rebus dubiis, ceu ad regulam, Mensura institui solet, uti de Daniâ refert Johannes Jacobus Dœbelius in Michael. Bern. Valentin. *Pandect. medico-legal. Cas. 5. pag. m. 61.* Nos verò potiùs benevolum Lectorem ad ea, qvæ supra, Capite tertio §. 13. seq. de Penis longitudine naturali dicta sunt, & qvæ paulò post seqventur, remittimus.

§. 5.

à Pene longô nullum divortium.

Sicuti autem Penis naturalis, seu longitudinem ordinariam non excedens, fœminis neqve ullum incommodum affert, neqve Coitum fœcundum impedit; ita econtra Penis nimis longus, secundum allegatos Autores, vel uxoribus varia Symptomata causatur, vel ob seminis refrigerationem Coitum infœcundum reddit, sicqve interdum occasionem ad Divortium præbet. Attamen, licet Penis per inspectionem excessivè

vè vel nimis longus reperiatur, qvodsi verò non simul nimium crassus sit, vix, meâ qvidem sententiâ, hoc in Casu Uxoris, divortium expetentis, petito conferendum erit; cùm huic incommodo, fœminis à nimiâ longitudine expectando aut metuendo, facillimè opem ferre Penemqve majorem arte breviorem reddere liceat; uti locô supra ex Regnerô de Graaf allegatô legimus, uxorem illam à doloribus maximis, antea ob nimis longum viri penem perpessis, scutum qvoddam, longitudinem qvasi penis diminuens, liberâsse, coitumqve tam jucundum effecisse, ut nunqvam de eo in posterum conqvesta fuerit, de hac Observatione vid. Gvil. Fabric. Hildan. *Observat. Chir. Cent. 6. Obs. 61. Oper. fol. m. 375. seq.* ubi scutum depictum reperies. Qvem locum etiam allegat Michael. Bernh. Valentini, *l. a. pag. 367.* in Cura, inqviens, penis longioris remedium palliativum, qvô antepositô radici penis circulô aut Scutô molestiam aut noxam, in Copulâ carnali inde oriundam, reprimere valent, commendat Hildanus. Hujus scuti etiam meminit modò allegatus Dœbelius, *l. c.* Positô, inqviens, qvòd certa membri reqviratur longitudo, arte tamen per infortunium qvoddam introductus defectus (in mentulâ breviori, de qvâ ibidem loqvitur) suppleri posset. Nam qvemadmodum nimis longus penis, qvi gravissimos in & post congressum dolores inferendo, mulierem apoplecticam reddit, orificium Uteri nimium dilatat, hæmorrhagiam aliaqve majora incommoda, prolificationem impedientia, excitat; qvemadmodum talis scutô qvodam aut aliô modô decurtari qvasi potest, juxta Hildan. *Cent. 6. Obs. 61.* ita & breviori membro, si opus esset, aliô succurri posset instrumentô, &c. Liceat etiam de Penis longioris incommodis ejusqve Curâ verba Nicolai Venette, *de la Generation de l' Homme cap. 3. Art. 1. pag. m. 48. seq.* transscribere: Je diray, in- *Ob curam.*

qvit, qv'une Demoiselle vent se plaindre hautement en justice de la longueur du membre de son mary, dont l'approche lui est un cruel supplice. En effet la douleur, qv'elle ressent, qvand elle est touchée, luy fait perdre le sentiment, & souvent la rend comme immobile, car cet homme lui dechire les Nymphes, luy meurtrit les Caroncules, luy fait fendre le conduit de la pudeur & ensance le fonds de sa matrice, c'est de là qve vient une grande effusion de sang, un flux de ventre ennuyeux & les autres incommodités, qu'elle souffre apres avoir esté caressée de la sorte. Ceux maux ne sont pas pourtant sans remede: car si l'on a soin de troüer par le milieu un morceau de liege de la hauteur d'un ou de deux pouces, selon l'excés de la longueur du membre, & qv'on le garnisse ensvite de coton dessus & dessous; qve ce coton soit saisi d'une toile molette, qvi doit estre piqvée prés àprés, & qve ce boulet, ou pour mieux dire, cêt écusson soit convexe par le haut & par le pas; qu'en soite on y couse à chaqve costé deux petit rubans, & qve qvand l' amour fera ressentir son feu, on fasse passer le membre par le trou de l'ecusson & qv'on lie à chaqve cuisse les deux petits rubans, qve l'on y a cousus pour le tenir assujetti, on jouïra apres cela des nouveaux plaisirs, qve l' artifice aura inventés. C'est alors qve la Demoiselle ne fuira plus les caresses de son mary, & qv'elle ne luy refusera plus ses embrassemens amoureux, &c. Versionem Germanicam horum verborum reperies etiam in Editione Germanica de Tableau del' Amour, oder Geheimnüsse keuscher Liebes-Wercke, p. m. 60. seq.

§. 6.

Refrigeratio Seminis refutatur,

Deinde qvod allegatorum Autorum argumentum à Seminis refrigeratione desumptum attinet, qvod videlicet ob penis longitudinem Semen seu genitura per moram itineris re-

refrigeretur, corripiatur atqve infœcundum reddatur; libenter, eqvidem secundum hactenus dicta, concedimus, ab actuali refrigeratione Semen Spirituascentiâ atqve vi plasticâ privari; Cùm autem per mentulam longiorem æqvè ac per breviorem eâdem celeritate Semen ejiciatur, atqve in ejaculatione nulla ejusdem mora, sed potiùs momentaneus per totum canalem seu Urethram transitus atqve expulsus absqve ullâ aëris admissione observetur, nulla sanè à Pene majori Seminis refrigeratio spirituumqve dissipatio in Coitu metuenda erit; cùm præprimis maxima penis pars non in frigidâ, sed calida Uteri vaginâ detineatur, perqve motum seu actum venereum unà cum semine in Coitu magis incalescat, eòqve meliùs ad Uteri internum orificium Semen projiciat.

§. 7.

Porrò etiam Autoribus suprà allegatis alii contradicunt, *Autoritas.* v. g. Paulus Zacchias, *Qvæstion. Med. leg. Lib. 7. Tit. 3. Qv. 5. §. 10. fol. 647.* ad qvæstionem: an Mulier teneatur reddere debitum conjugale viro, qvi nimis longô Pene dotetur? respondet: Qvòd longitudo nimia ipsius Penis per se sit causa, ut Semen infœcundum evadat, eò qvod ob eam meatûs longitudinem refrigeretur, anteqvam ad Uterum perveniat, qvod primò Aristoteles & post illum multi Medici ac Philosophi tradiderunt, non immeritò ab Hucherô improbatur, ob nimiam viæ, qvam permeat, brevitatem, qvantumcunqve mentula longa sit, & ob Uteri, à qvô illicò excipitur, caliditatem. Utrum autem supradicta sanitatis pericula tantæ molis sint, ut in considerationem venire debeant, maximè cùm cautè agendo evitari possint, fortè negativè resolvendum. Inqvit etiam Fortunatus Fidelis, *de Relation Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. p. m. 359.* Putat Avicennas, qvibus longissimus est, ac maximus Penis, liberos procreare non posse: nam longô illo

illo ductu dum semen emittitur, frigefieri contingit, atqve ita fœcunditatem amittere. Ego verò nihil abnego, mediocria omnia præstare cæteris aliis: id tamen compertum habeo, modò capax fœmina sit, nihil seminis refrigerationem pertimesco: nam per internos illos ac naturales membri meatus non levi impetu emissum semen, nihil video, cur tam exiguô momentô proprium teporem viresqve suas deponere possit.

§. 8.

Penis nimis crassus Coitum impedit.

Circa Membri virilis crassitiem, tam connatam, qvàm à statu morbosô dependentem, sive in Pene ordinariæ, sive extraordinariæ longitudinis deprehendatur, consentiunt Autores, qvòd nimirum, si Mentula extraordinariè crassa vel planè monstrosa fuerit, Cohabitatio & generatio impediatur. Talis fuit mentula illa, instar Vesicæ aqvâ repletæ tumida, in qvodam religiosô, cujus Marcus Gerbezius, *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 11. pag. 14.* meminit; item ille Penis apud Gvil. Fabricium Hild. *Cent. 2. Observat. 36. fol. m. 113.* qvi in tantam molem excreverat, ut magnitudinem Capitis infantuli recens nati ferè adæqvaret, qvem dictus Autor in Virô qvodam qvinqvagenariô observavit; nec non exemplum, cujus modô ex G. W. Wedelii, *Pathologiâ med. dogm. pag. 638.* adduximus. Deinde huc pertinent etiam illi, qvi Membrum habent nimis carnosum, uti nonnunqvam à morbô, v. g. ab Elephantiasi, accidere solet; qvæ carnosa Crassities cûm à naturali Penis crassitie differat, atqve à morbô incurabili proveniat, absqve dubiô Copulæ carnali impedimentum; simulqve matrimonium impediendi vel etiam dirimendi occasionem præstabit. v. Paul. Zacch. *Qvæst. med. leg. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 3. §. 2. fol. 770*

§. 9.

§. 9.

Ubi verò talia vitia non concurrunt, sed crassities Penis extraordinaria ordinariam seu naturalem tantummodò aliqvatenus excedit, tunc Coitus cum fœminâ, non nimis angustâ seu atretâ, sed naturaliter constitutâ, minimè impedietur; cùm enim Vulva muliebris in partu dilatetur, ut capiti fœtûs ejusqve ambobus humeris exitum concedat, qvidni etiam mentulæ virilis crassioris intrusionem admittet? Et qvamvis etiam Uxor aliqvantisper angusta ab ejusmodi instrumentô majori in primô coitu dolorem vel dilacerationem aliqvalem persentiat, attamen nihil exinde metuendum erit, cùm puerperæ, præprimis primiparæ, sæpissimè utrumqve sine Vitæ & sanitatis periculo experiantur. Deniqve à Pene magnô neqve coëundi, neqve generandi potentiam semper impediri confirmant exempla benè mentulatorum, seu Onobelorum liberos procreantium; siqvidem Fortunatus Fidelis, *l. a.* compertum se habere inqvit, nonnullos, qvi longissimum membrum atqve ultra communem mensuram gerebant, liberos suscepisse. Et ipse qvendam, mentulâ asininâ, tam ratione longitudinis, qvàm crassitiei, præditum olim novi, multorum liberorum parentem. *Non semper.*

§. 10.

Qvodsi verò fœmina seu uxor nimis angusta vel atreta, & qvidem circa muliebria crassâ qvadam membranâ vel etiam substantiâ carnosâ occlusa fuerit, tunc sanè Coitus cum Pene crassiore longè difficilior, qvàm cum Membrô ordinariæ magnitudinis, imò magis impossibilis est; qvare, licet in ejusmodi casu causa impediti Coitûs magis in fœminâ, qvàm in virô qværenda sit, nonnulli Medici statim Matrimonii dissolutionem svadent atqve defendunt; cùm tamen meâ qvidem *Vagina angusta.*

 sen-

ſententiâ potius perſcrutandum atqve tentandum eſſet, annon indefeſſa Mariti opera, vel medicamenta emollientia, vel ipſa etiam exercitati Chirurgi manus huic impedimento mederi Coitûsqve poſſibilitatem promovere poſſint. Poſt irritum autem talem medendi conatum ejusmodi mutoniatus, qvi uxorem nullô modo inire poteſt, à matrimoniô omninò diſſolvendus erit. Qvalia diſſoluti matrimonii exempla bina, uti modò diximus, ſe obſervaſſe teſtatur Felix Platerus, *Obſerv. medicin. Lib. 1. pag. m. 250.* ubi ob membri genitalis qvorundam magnitudinem, qvam ejusmodi viris junctæ ferre non poterant, duo matrimonia diſſoluta vidiſſe ſcribit. Interim tamen hôc locô monendum, ſæpius eqvidem Virginibus nonnullis vix maturis, vel etiam adultioribus, ſimul tamen anguſtioribus, talem craſſioris penis immiſſionem eſſe impoſſibilem, cujus tamen ingreſſum aliæ mulieres largioris vulvæ absqve impedimentô experiuntur; uti iisdem maritis in allegatô Plateri exemplô evenit. Qvamvis enim priores fœminæ tales viros, ob membri genitalis magnitudinem, ferre non poſſent, poſt divulſa tamen matrimonia ſecundæ Uxores minimè ſunt conqveſtæ; è qvibus una jocando convenientiſſimè hæc membra invicem amplexari narravit. Imò dubium non eſt, qvin taliter mutoniatus, qvi virgini in uxorem ductæ ob penis craſſitiem cohabitare non potuit, poſt Divortium Viduam, imprimis, qvæ aliqvoties jamjam peperit, meliori ſucceſſu inire valeat. Ideoqve talis impotentia coeundi pro reſpectivâ tantum habenda eſt. Admonendi hôc locô etiam mihi videntur Juvenes nimis mentulati, ut matrimonium inituri, pro evitandô metu Divortii, ſtatim viduam præ virgine ſibi in Uxorem eligant.

§. 11.

§. II.

Liceat mihi etiam de hac materiâ loca qvædam ex Paulô Zacchiâ allegare, qvi *Quæstion. medic. legal. Lib. 3. Tit. 1. Quæst. 6. fol. m. 278.* dicit: Est quædam impotentiæ species, tam coëundi, qvàm generandi, qvæ non simpliciter & absolutè impotentia est, sed respectivè, & ob id respectiva dicta, qvatenus alter conjugum respectu alterius potens ad coitum aut generationem non est, cùm respectu aliarum personarum ad utrumqve aptissimus existat. Impotentia hæc respectiva qvoad coëundum insurgere aliqvando potest ex Instrumentorum vitiô & disconvenientiâ, ut si virô existente bene mentulatô mulier angustiorem vulvam habeat; hóc enim pactô impeditur inter ipsos coitus, non potente Virô ob membri crassitiem, respectivè ad Uteri angustiam, cum uxore congredi; qvod impedimentum cessaret, ubi vir non esset adeò mentulatus, aut mulier non adeò arcta. Hanc tamen impotentiam tanti non fecerim, ut ex alterius culpâ matrimonii impedimentum conseqvi possit: Vix enim crediderim qvòd naturaliter constitutô Utero qvantumvis insigni magnitudine & crassitie Penem respuat, præcipuè si medicamentis relaxantibus aliisqve ingeniis coadjuvetur: ea enim est ejus partis natura, cùm naturaliter se habet, ut facillimè relaxationem & coangustationem, etiam per medicamenta patiatur, &c. Et *Lib. 7. Tit. 3. Qu. 5. §. 9. pag. m. 647.* scribit: In dubium vertitur, an mulier teneatur reddere debitum marito, qvi nimis crassiori, aut nimis longiori mentulâ dotaretur? Et qvoad crassitiem (nisi adeò immoderata appareat, ut sit) monstrosa) si vir cautus sit & cum moderatione agat, neque cum impetu & irrationabili violentiâ in agrum Naturæ irruat, &, ubi opus sit, aptis medicamentis, nempe uteri angustiam relaxantibus, utatur: & nisi alterâ ex parte Uteri angustia tanta

Autoritas.

ſit, ac tam præternaturalis, ut Medici magis, qvam Mariti operam deſideret, nullum notabile ſecum periculum ea inducere poteſt, ſi aliqvalem dolorem, aliqvalemqve, ſed modicam, lacerationem in primis congreſſibus factam excipias: Nonne vides tenellarum juvencularum Uteros in primô partu puerum emittere, cujus Caput decuplô majus aliqvando eſt, qvàm qvævis etiam craſſiſſima mentula humana? Illud certè palam eſt, facilè uterum dilatari ac conſtringi, & vix hominem reperiri poſſe tam craſſô membrô dotatum, qvi jactare illud poſſit, qvod in Obſcænis habetur:

Commoditas hæc eſt in noſtrô maxima Pene,
Laxa, qvod eſſe mihi fœmina nulla poteſt.

Cui diſticho æqvivalens, novum hoc eſt de Cunno anguſto:

Maxima noſter habet vigilataqve commoda Cunnus
Parva, qvod eſſe mihi mentula nulla poteſt.

Itaqve, niſi aliud obſtet, ut eſſet Uteri præternaturalis anguſtia aut muliebris corporis exiguitas & habitûs monſtroſa gracilitas, non videtur ex hac exuperanti membri magnitudine ullum notabile periculum mulieri imminere. Neqve obſtat, qvòd membri craſſities interdum ipſius Uteri vaſa aperiendo & lacerandô, ſangvinis fluxum & menſtruorum nimis excedentem copiam adſciſcere poſſit, &c. Diſpar tamen ratio eſt, ubi vir mentulam haberet nimis longam, ita, ut facilè concumbens internum Uteri Oſculum violenter impingeret; tunc enim & magis notabile & evidentius immineret periculum, &c. Qvòd autem longitudo nimia Penis per ſe fit cauſa, ut ſemen infœcundum evadat, eò qvòd ob eam meatûs longitudinem refrigeretur, anteqvam ad Uterum perveniat, non immeritò improbatur, &c. Item *Lib. 9. Tit. 10. Qv: 2. §. 8. fol. m. 804.*

in-

inqvit idem Zacchias. Excedens membri crassities, si sit talis non simpliciter, sed respectu ipsius sponsæ, remedium habere potest, sed si sit præternaturalis, extenuatio per medicamenta nullô modô succedere potest, &c.

QVÆSTIO IV.

An Vir parvô Membrô virili dotatus ad Liberorum procreationem & matrimonium ineundum habilis sint?

§. 1.

EGimus hactenus de Penis magnitudine, nunc etiam pauca de ipsius parvitate & qvidem tam ratione brevitatis, qvàm exilitatis, seu gracilitatis, seqvuntur. Sicuti nimirum nimia Mentulæ magnitudo, secundum hactenus dicta, à nonnullis pro generationis & matrimonii impedimentô habita fuit, ita similiter ejusdem parvitas, tam à nativitate, qvàm infortuniô, v. g. morbô aut resectione dependens, à Veteribus & qvibusdam recentioribus eandem censuram experitur, & qvidem ideô, qvia brevis Penis internum Uteri orificium non attingere, neqve Semen in ipsius cavitatem injicere possit. Dicit enim Ludovicus Mercatus, *de Affect. Mulier. Lib. 3. cap. 2.* in Israel. Spacch. *Gynæc. fol. m. 975.* Penis brevitas, qvæ nondum os uteri attingere potest, inanem efficit Seminis emissionem, non enim recipitur in Utero, sed à pudendis ocyssimè prolabitur. Et Paulus Zacchias, *Quæstion. Medic. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 8. §. 14. fol. 284.* scribit: Brevitas nimia Penis ex eô, qvòd ad Uteri internum osculum ob id pervenire ejaculatum Semen non possit, causa notissima est

An Penis parvus Coitum impediat?

ſterilitatis; cùm tamen aliqvâ approximatio fiat, & intromiſſio in Uterum. Et *Lib. 9. Tit. 3. Qv. 6. §. 1. fol. m. 780.* inqvit: Qvoad Penis brevitatem concordant omnes Medici, eam ob id impedire generationem, qvia non poteſt Semen ad interna Uteri pervenire, ſicqve non poteſt ab uterô excipi, ſed ex pudendô Spiritibus evaneſcentibus citiſſimè elabitur. Sic ſecundum Petr. Foreſt. *Lib. 26. Obſerv. 18. Schol. fol. m. 597.* Virga nimis curta, brevis atqve gracilis, Coitum diminuit & propriè gignitivum: qvoniam ſperma non deducitur in concavum Uteri, qvi eſt locus ei proprius, qvare in Collô matricis reſolvitur & colliqvatur à frigido continente, & ſic effluit ſalivatim. Juxta *Jaſon. à Pratis de Sterilitat. pag. m. 199.* Penis brevitas obeſt ſæpicule, ut neqveat, qvantò niſu impellatur, in ſinum interiorem pertingere, ſed inter oras ac ripas vulvæ fugitivum ſperma projicit; duplici ex cauſa incommodi, ſiqvidem ad generandas proles non ſolum inepti, verùm nec ſatis probi, qveis dum peragatur conſvetudo, non penetrant, neqve pertendunt in penitiorem venereæ voluptatis ſedem, ut & ſterilis labor ſit & perexiguô delectationis ſenſu afficiat. Gabriel Fallopius, *Tr. de Decoration. cap. 9. Oper. Tom. 2. fol. m. 339.* non modò membrum virile nimis breve, aut ſemper, aut freqventiùs incommodum eſſe ſcribit, ſed ibidem etiam iſtius membri magnificandi modum docet; & Joh. Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 1. cap. 5. pag. m. 261.* ſcribit: Parvum nimis genitale ineptius eſt, tum, qvia neqvit eousqve pertingere, qvò neceſſitas exigit; cùm etiam, qvòd eôdem neqvit mulier ſic demulceri, ut generationi præſtare valeat concurſum, ſuam ſeminis afferens portionem; ideoqve Avicenna & alii medicamenta docent, qvibus exilis impensè & brevis virga magnificari & produci poſſit. Illud non negaverim, brevius & exilius genitale

for-

fortiùs intendi posse, atqve adeò, qvoad protensionem & Seminis efficaciorem ejaculationem ex hoc aptius esse; at nihil prodest, dum ex aliis capitibus sterile idem est, plurimumqve conceptioni adversatur. Juxta Oribasium Priapi magnitudinem tantam esse oportet, ad semen scilicet in Os vulvæ ejaculandum, qvanta est Cunni magnitudo; vid. Fort. Fidel. *de Relation. Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. p. m. 358.* Brevitatem τῦ αἰδοίυ, qvod spectat impedire illa potest conceptum, nisi vel ejaculatio fortior, vel calor Uteri attrahentis, mulierisqve vehementiori desiderio prolem exoptantis sit robustior; sunt verba Thomæ Bartholini, *Epistol. medic. Cent. 4. Epist. 22. p. m. 97.*

§. 2.

Penis parvus generationem tantùm respective impedit.

Alii verò, imprimis recentiores Medici, talem Penis parvitatem respectivè tantùm generationem impedire statuunt. Inqvit enim Paulus Zacchias, *Quæst. med. legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 6. §. 2. fol. 278.* Si mulier hiantem admodum Uterum habeat & Vir membrum satis exile, congressus inter ipsos vix seqvi potest, non potente Utero, ut debet, virile membrum qvasi amplexari, ut inde delectatio & membri intensior erectio & seminis effusio seqvatur. Et §. 5. Si mulier, inqvit, Collum Uteri haberet satis longum, Vir autem mentulam justò breviorem, qvanqvam ad Coitum hoc nihil aut parum obstat, tamen generationem impediret. Idem *Lib. 9. Tit. 3. Qv. 5. §. 3. fol. 770.* ait: Crassities brevitati conjuncta, nisi brevitas enormis, minùs fortè culpanda est, qvia nisi pudendum virile â pudendô muliebri constringatur & amplexetur, mulier nullâ voluptate perfunditur, nec semen emitti & conceptio seqvi potest. Ideò licet aliâ ex parte secundum alios exilitas vel subtilitas longitudini convenienti associata minus culpabilis videatur, certè fœminis ob frictio-

ctionem, qvæ melius succedit cum crassô membrô, qvàm cum exili, licet longô acceptior crassities est, qvàm longitudo; ac præter frictionem meliùs vulva amplexatur penem, unde major insurgit delectatio, & major in semine ejaculandô voluptas, qvibus de causis mulier forte non ita reclamet, ubi maritus haberet virgam brevem, sed crassam, qvemadmodum ubi maritus haberet longam & subtilem. Nonnulli etiam in Casu Virgæ brevioris Conceptum citiùs promoveri credunt, si Concubitus more brutorum fiat, de qva materiâ supra Capit. 5. §.9. pluribus egimus.

§. 3.

Penis brevis impragnationem non impedit.

Qvamvis autem fœminæ nimis longum Uteri collum habenti, longè acceptiorem esse Penem ordinariæ vel extraordinariæ longitudinis, qvàm ordinariò breviorem, libentissimè concedamus; qvin tamen etiam Penis tam justò brevior, qvàm gracilior, modò cum rigiditate semen spirituosum in Vaginam Uteri ejaculetur, æqvè ac longior, ad generationem aptus sit, dubium non est; Siqvidem jamjam ex supradictis sufficienter constat, adductorum Autorum sententiam dubiô fundamentô, seminis scilicet masculi & fœminei commiscelâ atqve inde exortô fœtu, item seminis refrigeratione Uteriqve attractione fultam esse. Qvam tamen sententiam jam suprà, qvæstione primâ hujus Capitis, de Phimosi, sufficienter refutavimus, monstrando scilicet 1.) ad prolis generationem non seminum commiscelam, sed ovuli in ovariô per auram genitalem factam fœcundationem reqviri. 2.) Semen virile non semper ad orificium Uteri projici, multò minus ipsius Cavitatem materialiter ingredi. 3.) Qvosdam aliqvali Penis incurvatione & Phimosi laborantes, hincqve semen non ad Uteri orificium, sed in ejus tantùm vaginam projicientes, coitum fœcundum in matrimoniô celebrâsse; 4.) Atretas seu imper-

perforatas & Penem legitimè non admittentes à semine spirituosô, post labia solummodô vulvæ, & circa foraminulum, in membranulâ Vaginam Uteri totaliter ferè obstruente relictum effuso, sicqve sine Penis immissione concepisse, &c. Cui accedit congressus imperfectus, seu ubi Virga virilis non plenariè in cunnum muliebrem intruditur, sed Vaginæ Uterinæ orificio aliqvatenus tantùm, cum seminis tamen emissione, applicatur, qvi sæpissimè ad fœminæ impraegnationem sufficit, juxta Responsum Facultatis Medicæ Lipsiensis, ad Qvæstionem, An dormiens in Sella Virgo inscia deflorari possit? cujus verba sic sonant: Daß ein unvollkommener Congressus, da Mentula Vaginæ Uteri orificio nur einiger Massen appliciret, dieses sub illius frictione titilliret, und ihm semen virile aspergiret wird, wie unterschiedener Autorum Observationes Medicæ erweisen, zu Schwängerung einer Weibes-Person unterweilen sufficient und zulänglich befunden werde, rc. Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forens. seu Respons. Facult. Med. Lips. Cent. 6. Cas. 77. pag. m. 1644.* vid. etiam Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Medico-Legal. Cas. 1. pag. 33.* qvi etiam *Cas. V. pag. 60. seq.* Qvæstionem movet, an mentula justô brevior Conceptionem vel impraegnationem impediat, ibidemqve negativè respondet simulqve qvomodo penis parvus corrigendus sit, monstrat. Cum itaqve ratione Viri ad procreationem Sobolis solam Seminis prolifici in Uteri vaginam ejaculationem sufficere, ex adductis rationibus constet, certè qvoqvè mentulâ breviori dotatis, meô qvidem judiciô, nec coitus fœcundus, nec matrimonium denegari poterit.

§. 4.

Hanc meam sententiam, Penem scilicet minorem ad generationem & matrimonium sufficere, confirmant etiam alii *Autorum consensus,*

Autores; ita enim de differentiâ Penis majoris & minoris scribit Dominicus de Marchettis, *Anatom. cap. 6. pag. m. 66.* in aliqvibus longior Penis & major est, in aliqvibus verò parvum se ostendit. Hic fortasse magis aptus ad generationem, & ratio est in promptu, qvia semen, qvò citiùs ejaculatur ac in Uterum pervenit, majorem obtinet calorem. Nec objiciat aliqvis, qvòd, qvando penis est longus, faciliùs perveniat ad Orificium Uteri: nam hoc contingere etiam potest in brevi membrô, qvia in Concubitu Uterus mediantibus ligamentis movetur & descendit recipiendo semen à membrô ejaculatum; Et juxta Fortunat. Fidel. *Relation. Medic. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. pag. m. 357.* necesse non est, ut Penis colli Uteri longitudinem æqvet, sed tantùm, ut qvadantenus semen porrigat; Idem etiam *pag. 357. seq.* non negaverim, inqvit, si cui exiguum penis frustum remanserit, posse hunc etiam fœcundum Semen in Uteri conceptacula ejaculari; siqvidem apta promptaqve fuerit ejus loci dispositio, ac viri valdè appetens mulier. Nolo interim juxta Thom. Bartholin. *l. a.* neqve Utero Spermatis virilis attractionem attribuere, neqve etiam ob penis brevitatem coitum aversum, seu more brutorum exercendum approbare, cùm illa jamdudum à Physicis & Medicis explosa, hic autem coitus abominandus atqve cum fœminis crassioribus seu pingvioribus cum brevi pene æqve fortasse impracticabilis sit; sed potiùs ad generationem sufficere mihi videtur, si modo juxta hactenus adducta, Penis ita longus sit; ut sperma fœcundum in Uteri vaginam, vel etiam tantummodò post Vulvæ labia versus interiora, erectus vel rigidus ejaculari valeat; & qvidem sive talis brevitas penis à naturâ, sive à morbô qvodam & mutilatione dependeat.

§. 5.

§. 5.

Tale exemplum recenſet Johannes Baptiſta à Lamzweerde, *Append. ad Johann. Scultet. Armamentar. Chirurg. Obſ. 50. pag. m. 262.* de Johanne Laurentii, cui ob Carcinoma Membrum virile ſeu maxima Penis portio fuit amputata, vulnus tamen conſolidatum nec Urinandi nec ſeminandi ullam fecit remoram, ſiqvidem diffractâ haſtâ ipſam auſus eſt aggredi Helenam. Legimus etiam in Johannis Schenck. *Obſervat. Medic. Lib. 4. fol. m. 524.* qvendam, cui penis ex Cancrô inciſus erat breviſſimus, & alium, cui penis rigidus infra tres digitos erat, genuiſſe. Anno 1693. Menſe Febariô Vir qvidam, nomine Georgius Göbel, cujus ſupra Capite tertio mentionem qvoqve fecimus, in furtô deprehenſus, non modò à ruſticis pro meritô fuſtibus tractabatur, ſed ipſi qvoqve, in terram proſtrato, à Vetulâ ruſticâ, eâqve Obſtetrice, octoginta fere annorum, ſuperveniente, Membrum, qvô ſe virum ſæpius præſtiterat, ad duas tertias cultrô reſecabatur; qvi tamen poſtea licet hac parte ad generationem maximè neceſſaria admodum eſſet mutilatus, nihilominus liberos generabat. Imò durante adhuc hujus læſionis curâ dictus Göbel non intermittebat, remotis Emplaſtris, cum uxore ſuâ coitum celebrare, & qvidem, ſecundum propriam erga Chirurgum ipſi actui ſupervenientem, factam confeſſionem, eô fine, ut in tempore, an ab hac mutilatione aliqvod in Coitu paſſurus ſit impedimentum, experiretur; Sicqve ipſe mutilatus Judicium & Atteſtatum, qvod ſvaſu Advocati cujusdam antea à me extorqvere, fruſtra tamen tentârat, ac ſi nimirum Cohabitationi maritali & procreandæ ſoboli in poſterum hac mutilatione inhabilis redditus eſſet, propriâ experientiâ refutabat. Occaſione etiam Viri cujusdam, cui ob Cancrum in

Exempla

Obſervatio.

glande Penis non exigua membri virilis portio ense reciden-da erat, Physicus Gothoburgensis, Johannes Jacobus Dœbe-lius, ad Qvæstionem, utrum ille, qvi testibus integris est, No-tariô tamen integrô caret, ad prolificationem aptus esse pos-sit? ob varias rationes affirmativam elegit, atqve mentulam justò breviorem minimè conceptionem vel imprægnationem impedire judicavit. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novellar. me-dic. legal. Cas. 5. pag. m. 60. seq.* Et licet à stupratione Vir-ginis absolutus fuerit Stephanus Nocellus, cùm membrum obtruncatum & exile ostenderit, Virgo autem loca habuerit ampla. vid. Paul. Zacch. *Qvæst. med. Legal. Tom. III. Consil. 34. fol. 62.* Qvia tamen ibidem, de præcisi atqve cauterisati Penis magnitudine nulla mentio fit, de hoc Casu nihil certi concludere licet. Præterea idem *Autor l. a. Tom. I. & II. Lib. 9. Tit. 10. Qv. 2. §. 9. fol. 804.* de penis brevitate ita scribit: In eô Casu, ubi qvis ob penis brevitatem non pot-est sponsam devirginare, sed tamen seminando sponsa ex eô congressu concipit, tunc copula fuit & est generationi apta; licet qvoad Concupiscentiæ remedium non sit adeò efficax, ut in aliis qvoad mulierem.

§. 6.

Penis brevitas. Per Penem verò parvum vel brevem, hoc locô, mentu-lam aliqvot adhuc pollices in erectione longam intellectam volumus; Qvodsi verô post Penis amputationem vel muti-lationem, etiam in stimulô venereô, talis membri vix unius pollicis latitudinem æqvans portio tantummodò restaret, uti in alio Viro à Penis cancrosi resectione novi, vel etiam si à retractione, vel ab aliâ causâ, vix glans penis è corpore prominerer, uti Felix Platerus, *Observat. medic. Lib. 1. pag. m. 249. seq.* observavit, tunc ejusmodi virum ad actum venere-um & generationem minùs habilem judicarem, qvia in tali casu

casu sperma facillimè extra vaginam projici, vel etiam refrigerari, sicqve ipsius Spiritus prolifici, à qvorum defectu infœcundus coitus expectandus est, dissipari & evanescere possunt. Hinc etiam hactenus, ubi de mentulæ brevioris potentiâ generandi egimus, semper sperma spirituosum atqve virtutem internam præsupposuimus; siqvidem majores æqve ac minores mentulæ absqve sufficienti Orgasmô venereô & Semine spirituosô ad coitum fæcundum seu generationem ineptos esse statuimus. Id qvod etiam de Mentulis subtilibus seu gracilibus affirmamus.

§. 7.

Sicuti enim, secundum superiùs dicta, Penis nimia crassities. Coitum respectivè impedit, ita etiam secundum nonnullos, gracilitas, si nimirum uxor nimis amplam habeat vaginam uterinam, qvæ Penem exilem in coitu non amplexari, nec delectationem seu sensationem veneream seminisqve effusionem excitare possit. Inqvit enim Gabriel Fallopius, *de Decorat. cap. 9. Oper. Tom. II. fol. m. 338.* nisi pudendum virile constringatur à Vulvâ, voluptate non afficitur mulier, non emittit semen, nec fit conceptus. Et juxta Bertrucc. *Compend. sive Collector. Art. med. Sect. 3. Tract. 8. Cap. 1. pag. m. 172.* Virgæ brevitas atqve gracilitas coitum diminuit & propriè gignitivum, qvoniam sperma non deducitur in concavum matricis, qvi est locus ei proprius; qvare stans in collò matricis resolvitur & colliqvatur à frigidô continente, & sic effluit salivatim. Qvamvis autem eô in casu, ubi ambo hæc vitia, simul juncta sunt, hoc est, dum simul & breve & exile, seu subtile membrum est, tantò magis vitium esse considerabile, Paulo Zacchiæ, *l. a. Lib. 9. Tit. 3. Qvæst. 3. §. 2. fol. 770.* concedam; Qvia tamen Penis tum brevis, uti hactenus demonstratum fuit, tum subtilis, Semen in Vaginam uterinam

Penis gracilis an generationem impediat?

nam projicere valent, qvod etiam, dum modò ſemen ſit prolificum, ad conceptionem ſufficit, nullum ſanè impotentiæ ſignum ex Penis ſubtilitate, ſeu gracilitate, cæteris paribus, deſumendum erit; multòqve minus in ſubtilitate ordinariam Penis longitudinem concomitante. Prætereа etiam Penis brevitas & gracilitas à Medicis remediabilibus adſcribitur vitiis, unde ejusdem Curam apud Autores practicos reperire licet. vid. Bertrucc. *l. a.* Gabr. Fallop. *l. a. fol.* 339. *ſeq.* Et P. Zacch. *l. a. Lib. 9. Tit. 10. Quæſt, 2. §. 10. f. 804.* ubi annectit: non ſemper eſſe hanc exilitatem ex iis impedimentis, qvorum causâ Matrimonium illicò diſſolvi oporteat. Porrò ſicuti ſuprà bene mentulatis Juvenibus ſvaſi, ut potiùs viduam præ virgine ſibi pro conſorte eligant; ita econtra illis, qvibus haſta nimis eſt gracilis, potiùs virgo præ viduâ ducenda videtur. Qvod etiam indigitat Fortunatus Fidelis, *de Relat. Medicor. Lib. 3. Sect. 2. cap. 2. pag. m. 358.* ſunt, inqviens, qvibus Uteri Cervix tam ampla eſt, (fœmineum barathrum vocare ſolet Martialis) ut nullum ſui ſenſum exiguus penis afferre poſſit. At ſi virgo ducta ſit, & qvæ fortaſſe genitali ingreſſu, aut naturâ anguſtô, aut certè minimè amplô donata ſit: nihil dubito, niſi minimus omninò obveniat penis, prolem illam eſſe ſuſcepturam.

§. 8.

P. Zacchia verba, &c.

Deniqve liceat adhuc ex Paulô Zacch. *l. a. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 3. §. 3. fol. 770.* nonnulla annectere ubì inqvit: Licet ſecundum qvosdam exilitas vel ſubtilitas Penis longitudini convenienti aſſociata minùs culpabilis videatur, certè fæminis, ob partium frictionem, qvæ meliùs ſuccedit cum craſſô membrô, qvàm cum exili, licet longô, acceptior craſſities eſt, qvàm longitudo, &c. qvamvis etiam juxta Fel. Plater. *Obſerv. medic. Lib. 1. pag. m. 249.* Mulier qvædam vetula & pauper

ac-

acqviescere se in judiciô diceret Marito, qvi ditissimus erat, habenti mentulam minimi digiti magnitudine, ne eam ob causam matrimoniô dissolutô, ad domesticam pauperiem rediret. Attamen reclamante muliere aliqvâ in hoc casu, semper magis audirem reclamantem ob exilitatem, qvàm ob virgæ brevitatem, nisi brevitas esset excedens & enormis, ut erat in eô virô, qvi habebat virgam admodum verucæ, sed tamen non poterat extendi in longum. Ergo, ubi brevitas non esset tam enormis, multò melius poterit debito conjugali satisfacere & carnis stimulos in muliere reprimere vir habens virgam brevem, sed crassam, qvàm habens longam & admodum subtilem, qvia hæc non potest mulierem delectare, ut conveniens est. Illud tamen negari non potest, longam mentulam, licet admodum exilis esset, ad penetranda loca muliebria & devirginandam sponsam, aptiorem esse, mentula breviori, licet crassa, nam, qvantumvi crassa esset, posset tamen ob sui brevitatem impedimento esse, ne sponsus Sponsam devirginare posset, qvia ad interiora pervenire & Hymenis membranam disrumpere non valeret, &c.

§. 9.

De naturali eqvidem Penis longitudine ejusqve Prognosi jam supra Capite tertiô, sextô & præsenti egimus; Cùm autem sæpissimè qvoqve Medici ad ferendum de verâ aut simulatâ Impotentiâ, ex penis magnitudine aut parvitate desumendum judicium, à Magistratu ordinariô vel Judiciis Ecclesiasticis reqvirantur, atqve pro hoc scopô hujus partis Inspectio publica institui soleat; non possum, qvin hoc loco Fortunati Fidelis, *Lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 2. *pag. m.* 359. verba recenseam: Inqvit autem dictus Autor: Penis brevitas non eô tempore judicanda est, cùm demissus ille jam pendet ac laxus; sed cùm flatu distenditur erigiturqve; plerum- Inspectio necessaria?

rumqve enim exiguum membrum in fatis notabilem magnitudinem attolli videbis. Ex qvibus verbis apparet, qvàm fallax ſit judicium, qvod qvandoqve ratione impotentiæ ex publicâ penis ſeu membrorum genitalium inſpectione, nonnunqvam in plurium perſonarum earumqve ſæpe inimicarum ac inviſarum præſentiâ inſtituendâ, â Medicis & Chirurgis deſideratur. Qvamvis enim magnitudo Penis, uti jam ſupra monitum, propter magnam in diverſis ſubjectis, imò in unâ eâdemqve perſonâ, pro diverſô tempore, differentiam atqve variationem vix ſit determinabilis; quòd ſi tamen penis pendens nullâ erectione gaudens trium, quatuor vel quinque pollicum longitudinem adæqvat, facillimè etiam exinde de ejusdem membri ſtantis ſeu erecti magnitudine judicium deſumi poterit. Hinc etiam in Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. 1. Caſ. 10. pag. m.* 35. videmus, Wolffgangi Negelingii Membrum genitale, juxta Medicorum & Chirurgorum Relationem, in Inſpectione contractum, breve & craſſum fuiſſe, ita tamen, ut per commotionem ad longitudinem ſeptem pollicum transverſorum deduci potuerit.

§. 10.

Publica taxatur.

Vix tamen ſemper in ejusmodi Inſpectione publicâ, ob pudorem aut verecundiam, iram aliosqve animi affectûs, item ob Lipothymiam, (qvam ſuperveniſſe ipſe obſervavi,) ſpirituum in hanc partem influxum impedientes, veram Penis erectionem expectare licebit; hinc etiam Georg. Wolffg. Wedelius aliam ligaturam naturalem eſſe aſſerit, à grandiori affectu, gaudiô, pudore, reverentiâ nimiâ vel odiò oriundam, vid. *ejusd. Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 11. p. m. 639.* Pariter ac ſi qvis pro declinandâ impotentiâ & probandâ ſufficienti virilitate, in locô publicô & conſpectu hominum

num cum fœminâ congressum celebrare juberetur, uti olim imprimis in Gallia in usu fuisse legitur. Qvalem congressum publicum hodie paucissimi tam Juris-Consulti, qvàm Medici approbant. Scribit enim Johannes Bohnius, *de Offic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 4. pag. m. 585.* Qvando post cæteras potentiæ coëundi notas copulam actualem præsumptionem ad illam facere Hostiensis aliiqve tradunt, & pro hac attestanda in conspectu Matronarum peritarum coitum celebrare jubent, his Sanchez, *de Matrimon. Lib. 7. Disp. 109. Num. 15.* & Speidelium Specul. Jurid. Polit. contradicentes observamus, asserentes, turpissimè testes oculares in ejusmodi casibus admitti, utpote, qvi hac ratione facile in libidinem abriperentur; imò fortè marem, aliàs validum & potentem satis, in specimine sub aliorum aliarumve conspectu edendo, præ pudore intempestive fatiscere & qvasi elumbari. Qvantum enim passiones animi vehementiores hoc negotium modò intendant, modò sufflaminent, Alexander Benedictus, *Prax. Lib. 24. cap. 12.* post plura alia documenta his verbis comprobat: Alios verecundia tenet, alios metus ipse, tot modis suspenditur cum animo coitus. Et eô ipsô, dum de aliis signis, juxta Sanchez, *Disp. 104. num. 28.* constat, ex qvibus illæsa honestate ac pudicitia, potentia aut impotentia coëundi præsumitur: cur Christianis ad svasum Justiniani pudori parcere & honestatem servare non religio erit: imprimis cum ad validitatem matrimonii non coëundi sufficiat, sed seminandi, seu semen immittendi, qvoqve simul reqviratur potentia, qvarum illam qvidem, non vero hanc cernere testariqve valent ejusmodi spectatores vel spectatrices. Et de eodem Congressu publico ita dicit Nicolaus Venette, *de la Generation, Part. 4. cap. 1. Artic. 2. pag. m. 577.* En effet, nous avons bien d'autres marqves plus assurées, qve le Congrés public, pour con-

noitre, la virilité d'un homme, & j'oserois dire, qve le Congrés, qvi fut autre fois aboly par l'Empereur Justinien, commé opposé à la pureté du Christianisme, n'a este retably, qve par qvelqves curieux de nostre Siecle. Car il est infamie des Sexes & le des honneur de nos temps: & je ne say, si dans l'histoire l'on en pourroit trouver des exemples, qvi ne soient ridicules. C'est une loy, qvi blesse la pudeur. Elle est trop dure & trop injurieuse â l' homme. Il y faut faire voir à tout le monde des parties, qve la nature a cachées avec tont de soin; & chercher mesme aux temoins d'autres temoins, qve nous fuyons, lorsqve nous svivons les ordres de la Nature. Car qvelle honte est-ce de montrer en plein mydi, ce qve nous avons soin de cacher mesme pendant la nuit. Ce n'est qv'un pretexte de Divorce, & qv'un effet dela lascivité, &, de l'audace des femmes. Ce sont elles mémes, qvi ont fait naître dans l'esprit de juges la pensée d'une épreuve aussi peu sûre, qv'elle est deshonneste. De mille hommes il n'yen a peut-estre pas un, qvi puisse sortir victorieux du Congrés public. Nos parties naturelles ne nous obeissent point, qvand nous le voulons, bien loin d'obeir aux juges. Elles se flestrissent souvent contre nostre volonté, & souvent elles sont dans la glace, qvand nostre coeur est le plus embrasé; Si nous sommes prests à nous animer, le courage nous manque, la crainte nous saisit, la haine s'empare de nostre Coeur est la pudeur s'oppose à des libertés effrontées. Hanc partium genitalium inspectionem tanqvam turpem etiam rejicit Henricus Salmuth. *Commentar. in Gvidon. Pancirol. Rer. memorabil. Lib. 2. Tit. 10. p. m. 173.* Turpis, inqviens, est illa partium verendarum & venereæ colluctationis atqve congressûs inspectio, qvam Gallis suis usitatam graphicè depinxit Annæus Robertus Aurelius, solet ea sæpenumerò etiam fallax esse.

Porrò

Porrò monet etiam Philippus Jacobus Vintherus, *Disputat. inaugural.* περὶ τ ἀπαλάκτων μοεἰων, *cap. 6. pag. 28.* non illicò pro impotentibus habendos, qvi præsentibus aliis coire neqveunt, pudorem enim metumqve omnem facessere oportet, si quis Veneri litare debeat, præsentibus autem arbitris res plerumqve infelicius geritur. Hoc prudentissimè adversus alios Horatius Augenius, *Epist. & Consil. Tom. 2. Lib. 3. fol.* 38. in causa divortii admonuit, manifestæ, inqviens, ad fuerunt causæ, à Medicis conscriptæ, impedientes erectionem, odium scilicet, commemoratio rerum præteritarum, qvæ vel maximè ad illius honorem pertinebant. Rixa, tumultus cum socru & socero, & verecundia. Sciebat enim præ foribus assistere Obstetricem, Archiepiscopalem Notarium, qvatuor Medicos, ut magnam aliorum turbam prætermittam. Recordabatur præcepisse Medicos illi, ut erectum ostenderet Penem, antequam cum conjuge rem haberet; Quis, si hæc vera sunt, erigeret Penem aut coëundi desiderium non statim amitteret? Nec immeritò Johannes Baptista Silvaticus laudat Decretum Constantiense, ne citiùs dissolvatur matrimonium, ubi impotentiæ postulatus fuerit maritus, quàm triennium præterlapsum sit, ut certiùs interea de re admodum sæpe intricatâ, & num vitium sit naturale, nec ope Medicorum sanabile, constare possit, &c.

§. II.

Deniqve hactenus propositis cujusdam Facultatis Medicæ Responsum, in qvò varia pro corroborandâ nostra de Coitu, Seminis immissione atqve Impotentiâ virili sententiâ occurrunt, adhuc annectere liceat. *Responsum Facultatis Medicæ*

P. P.

Als uns derselbe verschiedene Fragen, sufficientem habilitatem ad Cohabitationem maritalem betreffend, vorgeleget, und darüber unser gegründetes Bedencken zu ertheilen ersuchet; So haben wir selbige collegialiter wohl verlesen und reiflich erwogen, und geben also hierüber unser gegründetes Sentiment, wie folget:

Quæstio I.

Ob in *Copulâ carnali* von der *immissione Seminis Virilis* der Mann oder die Frau mehr Wissenschafft haben müsse?

Resp. Obwohl eine Frau von der Imminissione Membri virilis in Vaginam Uteri ja so viel Wissenschafft und Empfindung haben muß, als die Manns-Person, so giebet doch die Erfahrung aus bescheidener Nachfrage, daß die Frau de fiente aut factâ emissione Seminis vielmahl, ja überhaupt zu reden, meistentheils wenig oder gar nichts gewisses empfinde oder wisse, sondern meistens ex post facto, si semen non retentum iterum effluat, davon gewiß und zuverläßig zu urtheilen wisse, es wäre denn eine solche disparitas Temperamenti, daß das Semen Viri fervidius à fœminâ totô Temperamentô frigidiore empfunden würde.

Quæstio II.

Ob ein siebenzig Jähriger noch munterer und gesunder Mann, der jederzeit *moderat* und *diæti*sch gelebet, auch in seinem etliche Jährigen Wittber-Stande *in Torô* geruhet, bey einer wieder geheyratheten Mannbaren Jungfrau von 15. Jahren sein eheliches Werck verrichten könne?

Resp.

Resp. Braucht keine weitere noch gewissere Antwortliche Bescheinigung, als die grosse Anzahl dergleichen Exempel, welche in vitâ communi vielfältig zu finden, und die fœmina, nach ihrem Angeben, nicht nur emissionem, sed ejaculationem Seminis selbsten bescheiniget, welche aber sine sufficiente tensione & erectione membri virilis mit nichten geschehen kan; So ist nichts übrig, als daß die Proportio vigoris hujus ad arctiorem sinûs pudoris stricturam primò dilatandam, welche Sache aber, vielfältigen Vernunfft-mäßigen Umständen nach, mit nichten von der Erhebligkeit, daß selbige eine beständige Unvermögenheit, nicht weniger aber impossibilität inferiren könte. Daher alle andere noch weiter zu suchende speculativ reflectiones zu diesem Scopo nicht einmahl vonnöthen.

QVÆSTIO III.

Ob aus einer Ehe-Frauen Gerichtlichen Geständnisse, daß der Mann in *Concubitu* seine Lust mit ihr gepflogen, auch seinen Saamen vielfältig von sich gelassen, und ihr damit auff den Leib gekommen; *Item*, aus der Frauen fernern Einräumung, daß der vom *Maritô in Actu* von sich angegebene *fervor*, (*NB. qvando is, in repetitô sæpe concubitu Penem suum in Vaginam Uteri uxoris se immisisse, ac, agendo illum & movendo, magis magis penetrare annisum fuisse, asserit constanter,*) sich bloß *circa orificium vaginæ* spüren lassen, nicht so viel abzunehmen, daß *in Concubitu maritus erectionem virgæ* müsse gehabt haben, folglich *ad coëundum habilis* müsse gewesen seyn?

Resp. Daß solche Geständniß, da Uxor zum wenigsten circa Vaginæ orificium den fervorem mariti ohnstreitig ex aliqvo connisu verspührt zu haben geständig ist, nothwendig erectio-

nem atqve tensionem Membri maritalis inferire, siqvidem flaccidi adeoqve penduli membri nullus talis fingi potest effectus. Dannenhero vielmehr eine contraire suspicion statt finde, de præternaturali arctatione conjugis, zu welcher dieser Vigor Mariti nicht sufficient seyn möchte. Worzu allerdings noch dieses kömmt, daß repetitus concubitus ein fast unwiedersprechliches Zeugniß Vigoris qvàm rectissimè constituti sey, da die vielfältige Experienz bezeuget, qvòd, sub qvalicunqve Viri minore vigore, post semel factam spermatis emissionem, die Erectio Membri nicht allein remittire und flaccescire, sondern auch auff keine Weise und Wege breviore tempore dergestalt sich redressire, ut repetitio vel erectionis Membri, vel emissionis seminis fieri possit. Dahero die Differenz inter erectionem Membri & sufficientem ejus vigorem theils leichtlich zu entscheiden, theils aber, so darüber Contradictio beyderseits opiniatriren würde, die bereits angeregte Suspicio, de dispositione justâ ipsius fœminæ desto mehr bestärcket würde.

Qvæstio IV.

Ob man der Gerichtlichen Geständniß einer Frauen, daß der Mann bey fünff Viertel-Jähriger Ehe *in Concubitu* seine Lust mit ihr gepflogen, auch seinen Saamen vielfältig von sich gelassen, und ihr damit auff den Leib gekommen; Ferner, daß der vom Manne *in Actis* angegebene und *Quæst. III.* exprimirte *fervor* sich bloß *circa Orificium vaginæ* spüren lassen, anbey diese doch gestehet, daß sie *NB.* als ein Kind nicht verstanden, ob es so oder anders seyn müsse, ob dieselbe gewiß seyn, und mit gutem Gewissen schweren könne, daß *Maritus* 1.) sein Männlich Glied nicht in geringsten in ihren Leib gebracht, und

und 2.) seinen Saamen darein nicht lauffen lassen, welches beydes doch er endlich erhalten will?

Resp. Die Concessa der Frauen, als Erectio Penis virilis, ejusque applicatio circa Orificium vaginæ, ac seminis virilis emissio, insonderheit infantia, oder totalis ignorantia rei matrimonialis, scheinen so beschaffen zu seyn, daß sie contra ingressum qualemcunque membri virilis in vaginam suam, vielweniger contra influxum seminis, aut potius penetrationem auræ seminalis in Uterum, ohnmöglich mit gutem Gewissen schweren könne; Maßen quoad 1.) das so genannte Hymen, oder vielmehr die Coarctatio Orificii, welche von den Neotericis Anatomicis nicht vor universal ausgegeben, auch wo es zu finden, von vielerley Zufällen, als propter crebras menstruationes, leichte dilatiret wird, von dem Pene virili, vornehmlich exiliori, auch etliche Tage nach dem Fluxu Menstrui ohne Schwierigkeit und Schmertzen zu penetriren, wie Pinæus, *de Not. Virginit.* & Regnerus de Graaf, *de Mulier. Organ. p. 55. seq.* ex collectis pluribus caussis & exemplis, nebst vielen andern, erweisen, zumahlen, wenn Subjectum patiens, ex propriô confessô NB. ein unverständig Kind ist, welches, ob ein Actus so oder anders geschehen müsse, nicht verstehet, dahero auch nicht darauff Acht hat, zum wenigsten solches bald wiederum vergisset. Und ist zu dieser Sache genug, wenn der Ingressus Membri auch nur etwas ultra Orificium Vaginæ geschehen, und also Caro in Carne gewesen. Qvoad 2.) hält mans vor gantz ausgemacht, und bezeugen es die öfftern Casus, daß, wenn auch nur Semen Maris fœcundum in Orificium Vaginæ injiciret worden, vermöge des instar fulminis penetrantesten Spiritus, vel illæsâ ejus coarctatione NB. sine Penis in Vaginam immissione, eine Imprægnation erfolgen könne; maßen solches Riolanus, Sinibaldus, Reies, Hobokenus, Bartho-

tholinus, Verheyn, Henr. à Moinichen, Regnerus de Graaf, und viele andere vortrefliche Männer, in ihren Schrifften gar gründlich rationibus & exemplis dargethan. Und da auch nun in hoc Casu, ex tacitô concessô Uxoris beym Maritô penis erectio cum emissione Seminis sich circa Orificium Uteri befunden, welches er doch, sonder allen Zweiffel, an dem ihm, ex priori conjugio bekannten Orte, auch nach dem naturali instinctu wird dirigiret haben, quâ conscientiâ kan solche Frau obiges beschweren, da doch wenigstens die Aura Seminalis per Os uteri externum, insciâ prorsus fœminâ, in Utrum ipsum penetriren könne. Dr. Bohnius über allegirte Materie schreibet expreſsè pag. 7. Circul. anat. Experientiâ multijugâ edocemur, fœminas non rarò concipere, qvas penem masculinum, sub amplexibus venereis, intra vaginam haud admisisse, certum, welches nur alleine per emissionem Seminis in Orificium Vaginæ effectuiret worden, &c.

CAPUT XI.

De

Circumcisione, Recutitione & Infibulatione.

§. 1.

Circumcisio, qvid sit?

CIrcumcisio seu Circumsectio, Græcè περιτομή, ἀφαίρεσις, est Operatio manualis, qvâ tum pueris, tum adultis Præputii, qvô membri virilis glans tegitur, pars abscinditur; Id qvod fit in affectibus chirurgicis, si v. g. in Viris totum præputium denigruerit, vel Gangrænâ & Sphacelô corruptum fuerit, qvô in casu præputium circumcidendum esse

esse docet Paulus Ægineta, *Lib. 6. cap. 57.* Deinde in fœminis etiam qvandoqve exercetur Circumcisio Clitoridis aut Nympharum, de qva vid. Th. Bartholin. *Anatom Lib. 1. cap. 34. pag. m. 293.* it. Gverner. Rolfincinc. *de partib. Generat. dicat. Lib. 2. cap. 38. pag. m. 888.* Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 32. pag. 306.*

§. 2.

Vulgò autem hæc Operatio vel potiùs terminus tantùm Circumcisionis à Judæorum inprimis Circumcisione satis notus est, qvippe qvam summus Legislator Populo Judaico in signum fœderis sanctè servandam præcepit, siqvidem *Genes. cap. 17. vers. 9. 10. seq.* juxta Sebastiani Schmidii Editionem legimus: Dixit Deus ad Abrahamum: Tu fœdus meum observabis, tu & semen tuum post te in generationes eorum. Hoc est fœdus meum, qvod observabitis inter Me & inter vos, & inter semen tuum post te: Circumcidi vobis omnem masculum. Circumcidetis autem Carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter Me & inter vos. Qvum filius fuerit octo dierum, circumcidetur vobis omnis masculus, in generationes vestras: natus domûs & emtus argentô de omni filiô alienigenæ, qvi non fuerit de Semine tuô. Circumcidendo circumcidetur natus domûs tuæ, & emtus argentô tuô. Erit itaqve fœdus Meum in carne vestra in fœdus æternum: Ita, ut masculus, qvi præputiatus, qvi non circumcidetur carnem præputii sui, hæc, inqvam, anima exscindatur ex populis suis, eò, qvod fœdus meum irritum fecerit. Ex qvibus verbis & Comminationibus divinis videmus, qvàm strictè DEUS sancitam suam legem observandam velit, adeò, ut Judæus Circumcisionem negligens non solùm pœnam & mortem temporalem, sed etiam æternam ex contemptu mereatur, uti contra Bellarminum defendit Nicolaus Arnoldus, *Luc. in*

Circumcisionis ortus.

Tenebr. seu Vindicat. & Conciliat. Locor. Veter. & Nov. Testament. Part. I. p. m. 101. An autem Circumcisio cum Abrahamo inceperit, an verò ab Ægyptiis ad eundem pervenerit, vid. Christ. Francisc. Paullin. Philosoph. Lust-Stunden, *Part. 2. cap. 13. p m. 94. seqq.* De Æthiopum Circumcisione ex Damiano à Goës seqventia refert Matthias Zimmermannus, *Dissert. Fiunt, non nascuntur Christiani, Sect. 2. pag. m. 68.* Æthiopes in memoriam Christi Baptismi singulis annis omnes in Epiphaniis Domini baptizantur, id qvod faciunt, non qvòd ad salutem spectare credunt, sed propter Servatoris nostri laudem & gloriam. Habent qvoqve à temporibus Reginæ Sabæ Circumcisionem, qvam ad hunc usqve diem servant. Insuper jussu & decreto ipsius Reginæ Maqvedæ, mulieres qvoqve circumciduntur. Ad id eâ ratione deducta est, ut, qvemadmodum Viri præputium habent, eodem qvoqve mōdo mulieres etiam qvandam glandulosam carnem, qvam Nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptum accipiendo Characteri Circumcisionis, &c.

§. 3.

Scopus. Scopus & causa, qvare DEUS Hebræis ordinaverit, ut præputium resecarent, absqve dubio est Circumcisio spiritualis & puritas Cordis, cum abstinentiâ ab omni lasciviâ, qvam DEUS per Typum Circumcisionis corporalis, & qvidem in parte Corporis voluptatem in Coitu excitante factæ, populi sui Cordibus & memoriæ imprimere voluit; Qvod etiam confirmat Gabriel Fallopius, *Tract. de Decorat. cap. 10. Oper. Tom. II. fol. m. 340.* Si qværatur, inqviens, cur Deus altissimus in populô electô instituit, ut auferretur præputium, causæ sunt æternæ & positæ in Mente Altissimi, qvas non oportet dicere in profanis Scholis. Fortasse id jussit DEUS, qvoniam, si præputium veneris Voluptatem adauget, resectum minuit. DEUS populum suum dilectum & castum & à venereis volupta-

tibus, qvantum fieri poterat, abstemium qværebat, ut non ita delectationibus illis allectus Creatoris cultum negligeret. Et ad hoc fortasse eximius ille Theologus Moses respiciens, Puellam sanxivit, pro virgine ductam; si corrupta fuerit, lapidibus obrui, aut corruptam concremari, & si qvis eam non invitam vitiaverit, uterqve extremô suppliciô afficiatur. Adulterio, incesto, Sodomiticæqve fœditati capitalem pœnam lex irrogabat. Qvin etiam ad idem respiciebat promulgatum illud institutum, ne qva mulier belli tempore attingat virile instrumentum, neqve Vir muliebre. Qvod autem præputium in causa sit, ut majorem sentiant fœminæ delectationem, indicio sunt Judæi, Turcæ ac Mauritanæ & infideles mulieres, qvæ libentius mancipiis Christianis, qvàm dominis resectis se subjicere patiuntur & volunt. Hæc Fallopius.

§. 4.

Qvod ultimum scilicet Præputium titillationem excitare etiam annotavit Albertus Kyperus, *Anthropolog. Lib. I. cap. 9. p. m. 141.* Præputium, inqviens, devolutum & revolutum suprà glandem diversâ ratione in conjunctione maris & fœminæ miram voluptatem fœminis concitat, unde recutitorum fœminæ magis delectantur copiâ eorum, qvibus præputium salvum est. Et Carolus Musitanus, *Trutin. Chirurg. Tom. II. cap. 50. pag. m. 220.* ita scribit: Mandavit Deus Hebræis abscindi præputium ad minuendam libidinem, qvia extima penis glandis pars tota carnosa, mollis & spongiosa est, tenuiqve & tenerrimi sensus membranulâ obvoluta; ideoqve glans exqvisitô titillationis sensu prædita est, & magis, qvàm ulla totius Corporis pars, qvia planè ferè nervosa, eum in finem, ut coitus maximâ cum jucunditatè ac titillatione peragi possit. Hinc à naturâ glans præputiô tegitur, ut mollis & exqvisiti sensûs, pruritûs ergò, asservetur. Qvodsi præputium, *Præputium voluptatem auget.*

ut in Circumcisione, resecetur, vel glandem non tegat, vel illud abbrevietur, ut ad glandis investituram non sufficiat, illa obdurescit, sensum acqvirit obtusum & magnam Voluptatis partem impedit: Præterqvam qvòd præputium in Veneris palæstrâ non recurrit, nec corpora nervosa, neqve glans, in qvâ Veneris sedes sita est, à præputii recursu titillatur, unde Veneris sensus imminuitur. Ibidem etiam scribit allegatus Autor, hanc partem seu præputium in Hebræorum & Turcarum pueris majus excrescere, qvàm in Christianorum filiis, ut in caudæ morem acuminetur; imò in nonnullis monstrosam nancisci longitudinem & latitudinem, ut ob Periphimosis (fortasse Phimosis) metum ejus partem abscindere cogantur. (Qvæ tamen ultima Musitani verba cum aliqvot antecedentibus paginis ex Isbr. de Diemerbrock. *Anat. Lib. 1. cap. 23. fol. m. 123. seqq.* absqve Autoris mentione transcripta sunt.)

Plagium.

§ 5.

Modus Circumcisionis,

Fiebat autem olim apud Israelitas Circumcisio cultris lapideis, uti apparet *Exod. cap. 4. v. 25.* Da nahm Zipora einen Stein, und beschneid ihrem Sohn die Vorhaut, qvod Sebastianus Schmidius reddidit: Cùm sumeret Zippora cultrum lapideum, abscinderetqve præputium filii sui. Et juxta Editionem Belgicam Statuum: Do nam Zippora eenen Steenen mes, &c. Et *Jos. 5. v. 2.* sprach GOtt zu Josua: Mache dir steinerne Messer, und beschneide wieder die Kinder Israel; Da machte ihm Josua steinerne Messer, und beschneid sie. Schmidius habet gladiolos petrarum. LXX. Interpretes μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, cultros ex petrâ durâ; Et versu seqventi μαχαίρας πετρίνας ἀκροτόμους, cultros lapideos acutos. Editio Belgica allegata; Steenen messen, &c. Ægyptios qvoqve cultris Siliceis in Circumcisione usos esse, vid.

vid. Matthiæ Zimmermann. *Dissert. Fiunt, non nascuntur Christiani*, *Sect. 2. §. 94. pag. m. 69.* An inter Circumcisionem Patriarcharum & Mosaicam sit differentia, v. Christfr. Wæchtler. *Epistol. alter. ad Liber. Baron. de Miltiz. in Act. Erudit. Lips. An. 1692. pag. m. 125. seq.* Posterô verò tempore Circumcisio forpice vel cultrô ferreô acutô peragi cœpit, tam apud Judæos, qvàm Turcas & Persas, siqvidem à Judæis ad alias qvoqve nationes orientales translata est. Non tamen iisdem apud Judæos & Turcas circumstantiis nec eodem ætatis tempore peragitur hæc Operatio; siqvidem Judæi ad mandatum divinum octavô à nativitate die, Turcæ verò post septimum demum aut octavum, vel etiam post undecimum aut duodecimum nati annum, & ubi Puer circumcidendus Sermonis est peritus, Circumcisionem peragunt. In Relationibus seu Novellis ordinariis Lipsiensibus, sub dato decimi diei Julii, 1719. legitur, sub initium Mensis Maji Constantinopoli pro Circumcisione Filii seu Principis decennis Sultani Turcici varia institui præparatoria. De variis Circumstantiis, quæ circa Judæorum & Turcarum Circumcisionem observari solent, vid. Bartholin. Georgiewiz, *Epitom. de Turcar. morib. pag. m. 16. seq.* qvi Autor huic solennitati sæpe interfuisse dicit; item Thevenot. *Itinerar. Part. I. cap. 32. pag. m. 58.* Joh. Rhod. de Acia, *Cap. 6. pag. m. 94.* Christ. Franc. Paullin. Philosoph. Lust-Stunden, *Part. 1. cap. 33. pag. m. 254. seq.* Petr. Bellon. *Observ. Lib. 3. cap. 28. fol. m. 187.* ubi morem circumcidendi apud Turcas ita describit: Sacerdos sumptâ forpiculâ puero dicit, se illi demonstrare velle, qvid postridie præcidendum sit; adductoqve Præputiô abit, ut puerum fallat, (nam illicò revertitur, tanqvam aliqvid monstrare oblitus,) Cutem jam colligatam forpiculâ præscindit, sine magnô pueri dolore; vulnusqve salsâ aqvâ ablutum linteô pannicu-

lô impositô curat. Circumcisionis Operationem ita describit Dionis, *dans le Cours d' Operations de Chirurgie Demonstrat. 3. pag. m. 176.* La Circumcision se faisoit à une indisposition toute opposée au recutili; c'etoit lorsque le gland ne se pouvoit pas découvrir. On faisoit une ligature au bout du prepuce au dessus de ce qvel'on en vouloit couper, qvi étoit d'environ l'epaisseur d'un ou de deux écus, puis avec des ciseaux on coupoit cette extremité du prepuce, qvi fait qvelqve fois un cercle si étroit, qv'il empéche, qv'il ne se rebrousse sur le gland. Cette Operation n'est plus en usage, qve chez les Juifs & les Turcs, qvi enfont une Ceremonie & un mistere de leur Religion: Les Chrétiens ne la pratiqvent point, mais le Rabins & les Moufftis la font à tous les enfans mâles de leur Loy, peu de temps aprés leur naissance.

§. 6.

Glans nuda. Dantur eqvidem & alii, etiam inter Christianos, non circumcisi, qvibus glans nuda manet, id qvod, ut de Paraphimosi nil dicamus, interdum à manstupratione aut nimiô Veneris exercitiô fieri potest; interdum etiam à Manu Chirurgicâ dependet, uti de Comite qvodam refert Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *Oper. Chirurg. fol. m. 266.* Ille scilicet, cum præputiô adstrictô & glande opertâ natus, curavit sibi fieri incisionem per longitudinem totius præputii; qvâ factâ, nunqvam postea potuit glans operiri. Cùm verò hic uxorem duxisset & cuperet coire aut delectationis gratiâ, aut liberorum, aut asperum lintei contactum vitare, à dictô Fabricio petiit, ut glans degeretur. Cui eqvidem hic consilium dedit, simul tamen ibidem addidit: Qvid officit ipsius Colis actioni, habere glandem detectam? Prorsus nihil. Nam & Hebræi liberos procreant & coëunt, ut alii, & hujus cau-

causâ incidere cutem Colis in orbem primò qvis dolor fuerit? rursusqve, qvod periculum, ne Canalis Urinæ violetur? aut venæ incidantur? &c. Aliud exemplum nudæ glandis recenset Theophilus Bonetus, *Polyalth. Tom. II. Lib. 4. cap. 74. fol. m. 1195.* Novi, inqviens, Senem prope septuagenarium, strigosum, præcipuè sanum, nisi cùm pituita molesta est & hyemis strictum frigus illum premit. Balanus illi semper nuda, tanqvam in recutitis fuit, jam præputium exilem & contractam glandem obtegit, adeò, ut lotium redditurus præputium adducere teneatur, ut via fiat exiturienti urinæ. Qvamvis autem Viri nudâ glande incedentes varia incommoda, v. g. dolorosam ab asperô linteorum contactu sensationem sufferre, in Coitu econtra minores, qvàm qvibus glans ordinariè præputiô obtecta est, delicias & titillationes sentire credantur; in solatium tamen ipsorum seqventia scribit Gvernerus Rolfincius, *de Partib. Generat. Part 1. cap. 50. p. m. 102.* scilicet, qvibus præputium glandem tegit, si cum venereâ Lue infectis rem habeant, facilè contaminantur, virosæ enim sub ipsô colligiuntur sordes; Fortunâ faventiori fruuntur hac in palæstrâ Hebræi, qvibus glans utplurimum nuda & tegumenti cutanei expers.

§. 7.

Ob præputii defectum vulgò Judæi & alii circumcisi vocantur Apellæ, atqve plerisqve Lexicographis aliisqve Autoribus Recutitorum nomine venire solent; hinc Thomas Bartholinus, *Anatom. renov. Lib. 1. cap. 24. pag. m. 239.* scribit: Præputium ab Hebræis & Turcis resecatur, unde apellæ & recutiti dicuntur; item secundum Isbr. Diemerbroc. *Anatom. Lib. 1. Cap. 23. fol. m. 125.* qvibus præputium Circumcisione ablatum est, illi apellæ & recutiti dicuntur. Et Johannes Rhodius, *Dissert. de Acia cap. 6. pag. m. 98.* dicit: Qvibus in *Judæi recutiti dicuntur.*

glan-

glande Cutis deest, recutitos dici, notum est, qvandoqvidem ipsa nunqvam integra, vel sponte, vel arte renascitur. Marcellus etiam Donatus, *de Medic. Histor. mirab. Lib. 4. cap. 26. pag. m. 466.* Judæum Medicum, Amatum Lusitanum, recutitum appellat. Et Gothofredus David. Meyerus, *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. 8. Observ. 80.* scribit: se veram lapides cancrorum colligendi methodum ex qvibusdam per confinia Tartariæ & Moscoviæ appulsis Mercatoribus & recutitis percantatum esse. Lexicographo Setho Calvisio, *Enchirid. Lexic.* recutitus est, dem die Haut weg ist, ein Jude. Juxta Basil. Fabri *Thesaur. fol. 2142.* cui resecta Cutis est; verschnitten, & Joh. Fris. Dictionar. fol. 1124. beschnitten, als ein Jude. Item secundum Christian. Becmann. *Origin. seu Manuduct. Latin. Lingv. pag. m. 922.* Recutitus λιπόδερμος, Epitheton Judeæ Gentis; est idem, qvi circumcisus ab illâ cuticulâ; ut apella dicitur à pelle, sic recutitus à Cute.

§. 8.

Autoris sententia. Qvodsi verò genuinam vocabuli Recutiti derivationem & compositionem ejusqve Operationem chirurgicam paulò consideremus, à re & cutis descendit; hinc meâ qvidem sententiâ recutitus est re- vel rursus cutitus, seu qvi Cutem Circumcisione amissam recuperavit; ut ita recutitus propriè dicatur, non ille, cui Præputium in Circumcisione resectum, sed cui Præputii pars in Circumcisione amputata restituta est, ita, ut glans hactenus nuta denuò Cute obtegatur. Unde etiam, meô qvidem judiciô, vocabula Judæi & recutiti propriè pro Synonymis habenda non sunt, qvia non omnes Judæi, sed nonnulli tantùm, olim Recutitionem sunt experti; nimirum illi, qvi post Præputii abscissionem per certam Operationem chirurgicam certisqve de causis cutem amissam re-

pa-

parari sibi curabant, ut denuò glandem præputiô vestitam seu obtectam monstrare possent. Hoc confirmat etiam Jessenius à Jessen, *Institut. Chirurg. pag. m. 104.* Recutitio, inqviens, Judæis religiosam superstitionem abjurantibus & decoris causa rescissam Cutem recuperare cupientibus, adhibetur, unde tales latinis recutiti dicuntur. Hinc recutitus & Recutitio fortasse non ineptè, atqve pro meliori termini hujus explicatione, repræputiatus & Repræputiatio appellari posse mihi videntur.

§. 9.

Fiebat autem Recutitio seu Repræputiatio duobus præprimis modis, vel cum, vel sine incisione. Secundum verba Celsi nostri Operatio hoc modô instituitur: Cutis circa glandem prehenditur & extenditur, donec illam ipsam condat, ibiqve deligatur; Deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur, donec Coles nudetur, magnâqve curâ cavetur, ne vel urinæ iter, vel venæ, qvæ ibi sunt, incidantur. Eô factô Cutis ad vinculum inclinatur, nudaturqve circa pubem, velut Circulus; tum super eô linamenta dantur, ut Caro increscat & id impleat, satisqve velamenti suprà latitudo plagæ præstet. Sed donec Cicatrix sit, vinctum esse id debet, in mediô tantùm relictô exiguô Urinæ itinere. At in eô, qvi circumcisus est, sub circulô glandis scalpellô diducenda Cutis ab interiore cole est. Resoluta autem Cutis rursus extenditur ultra glandem, &c. v. C. Cels. *Medicin. Lib. 7. cap. 25. pag. m. 500.* Infelicissimus Jessenius à Jessen, *l. a.* Operationem ita docet: Qvando Præputium brevius est, ut glandem cooperire non possit, invertendum illud, ejusqve membrana interior in orbem incidenda, diligentiqve curâ præcavendum, ne vena vel arteria, qvæ inter utramqve præputii membranam existunt, incidantur. Hinc deorsum extendenda, qvousqve

Recutitionis modus.

Cum incisione.

glandem contegat, inserto prius inter ipsum & glandem emplastro desiccativo, ne conglutinentur; tùm immisso in urinarium meatum tubulo, qvo urina effluat, præputium deligandum tam diu, usqve dum cicatrix incisioni obducta sit. De Recutitione per incisionem ita scribit Dionis, *dans le Cours d' Operations de Chirurgie demonstrat. 3. pag. m. 176.* Par le recutili les Anciens entendoient une Operation, qv'ils faisoient à la verge, lorsqve le gland étoit trop decouvert. Ils la pratiqvoient en deux manieres, l'une en faisant une Incision circulaire à la peau de la Verge, vers la racine, & tirant cette peau jusqv' à ce qve le gland fût recouvert; el l'autre, apres avoir rehausé le prepuce sur la verge, ils incisoient en rond la peau interne du prepuce proche le gland; puis à l'une & à l'autre de ces manieres ils lioient le bout de prepuce sur une petite canule de plomb, pour laisser sortir l'urine, & procuroient une Cicatrice entreles deux levres de l' Incision.

§. 10.

Sine incisione. Alii per solam Cutis attractionem sine ipsius incisione Præputium restituebant, proqve hôc scopô ab aliis per certum qvoddam Instrumentum, σπαθιστὴρ dictum, inferna Penis cutis attrahebatur & glutinatoriis Emplastris circumdatis Præputium rursus adducebatur, ut Cicatrix à Circumcisione relicta planè extingveretur, uti ex Epiphaniô allegat Paulus Ammannus, *Irenic. p. m. 250. & Medicin. Critic. Cas. 39. pag. m. 267.* Galenus autem *Method. medend. Lib. 14. cap. 25. fol. m. 90.* curam per membranulam mollem firmamqve Cuti Gummi illitæ circumvolutam instituit. Qvem Galeni locum à nullô fortasse intellectum esse ait, sicqve explicat Gabriel Fallopius, *Tr. de Decorat. cap. 10. Oper. Tom. II. fol. m. 340. seq.* Galenus, inqviens, faciebat hoc modo: Producebat præ-

putium ad anteriora, qvantum fieri poterat, attractum obvolvebat membranulâ chartaceâ strictâ cum Gummi circa pellem, & faciebat siccare membranulam; & ita non poterat recurrere, ideò necessarium erat, ut produceretur ad partem anteriorem. Simul tamen dictus Fallopius *l. a.* dubium qvoddam contra hanc Enchiresin movet. Sic etiam atrocem Celsi Operationem rejicit, aliamqve per Scarificationem commendat Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *Oper. Chirurgic. fol. m. 266.*

§. II.

Possibilitatem Chirurgicæ hujus Recutitionis probat Responsum Facultatis Medicæ Lipsiensis apud Paul. Ammann. *Medicin. critic. Cas. 39. pag. m. 265. seqq.* de Judæô qvodam versipelli, qvi rem habuerat cum Christianis puellis, diversimodè se illis carnaliter miscendo, instanteqve torturâ edixerat, se nunqvam fuisse circumcisum; qvô Crimen suum palliare intenderat. Testes autem jurati anteà ex ipso Judæô audiverant, qvod ipse circumcisum præputium, arte qvadam certâ, idoneis remediis sibi rursum attraxerit, ut hoc in passu, deletis Circumcisionis vestigiis, pro Christianô haberi possit. Hæc omnia cùm inficiaretur Judæus, Facultas dicta Medica ad Qvæstionem: Utrum videlicet circumcisus Judæus Præputium mediis naturalibus ita possit attrahere, ut nulla Circumcisionis vestigia ampliùs appareant, ipseqve pro non circumcisô haberi possit? ex Artis Medicæ fundamentis respondet: qvod utiqve possibilis sit, etiam per naturalia remedia, Præputii circumcisi retractio, vel per agglutinantia, vel etiam mediante Suturâ, vel peculiari qvodam Instrumentô, qvod Græcis σπαθιστήρ, vel attractorium vel (juxta Laurentium Straussium, *Epist. de Fœtu Mussipont. p. m. 62.*) melius ἐπισπαθήρ, attractor, vocatur. Possibile qvoqve sit, si præprimis Recuti- *Possibilitas.*

tio

tio fiat primis statim ab annis, ut postmodum agglutinatione factâ, nullum in adultis vestigium Circumcisionis appareat, & sub hoc prætextu nefandæ petulantiæ suscipiantur.

§. 12.

Scopus. Ratio autem seu Scopus hujus Operationis Chirurgicæ satis crudelis, scilicet Recutitionis, pro obtegendâ glande & retrahendô præputiô diversus erat. Alii scilicet Judæi, tantùm decoris, alii voluptatis, alii fraudis, alii Religionis simulandæ vel mutandæ gratiâ eandem exercendam curabant. Decor. Decoris causâ eam admittebant Pugiles nonnulli, qvi taliter constituti nudâ Penis glande in Palæstrâ apparere nolebant; Et fortasse hæc prima fuit Occasio, qvòd sub Dominatu Græcorum, imperante & annuente Antiochô Epiphane, â suis desciscentes Judæi Græcorum mores imitati instituerunt Gymnasium. Hîc verò ubi nuda luctando exercerentur corpora & oculis exponenda essent, Præputium sibi adsciscere magnô studiô affectabant, uti refert G. Wolfgang. Wedelius, *Exercitat. Medicò-Philolog. Dec. V. Exercit. 1. pag. m. 2.* Qvod confirmat etiam Flavius Josephus, *de Antiqvitat. Judaic. Lib. 12. cap. 6. p. m. 320.* Judæos, inqviens, sibi præputia adduxisse, ut in Gymnasiô nudi qvoqve non essent Græcis dissimiles.

§. 13.

Voluptas. Deinde etiam Voluptatis gratiâ exercebatur Recutitio, qvia, secundum hactenus dicta, voluptas in Coitu per præputium augetur, & juxta Isbr. Diemerbroc. *Anatom. Lib. 1. cap. 32. fol. m. 125.* Præputii supra balanum iterata revolutio in Coitu magnam delectationem mulieribus excitare creditur; atqve hinc Turcarum & Æthiopum fœminæ Christianorum servorum consortium, tanqvam delectabilius magis

ex-

expetunt, qvàm aliorum circumcisorum. Et Thomas Bartholinus, *de Morb. biblic. cap. 26. p. m. 88.* scribit: Facultatem majorem Ebreæ fœminæ hodieqve deprædicant, si cum homine concubuerint, cui vel nunqvam præputium defuit, vel arte resarcitum est. Absqve dubiô talem fœminarum voluptatem cum scortatoribus repræputiatis punire minitatur Jehova apud Prophetam Jeremiam, *Cap. 9. v. 24.* juxta versionem Sebastiani Schmidii: Ecce dies venientes, qvibus visitabo omnem circumcisum in præputiô. Qvod eqvidem Martinus Lutherus reddidit: Ich will heimsuchen alle die Beschnittene und den Unbeschnittenen. Qvem sensum etiam retinuit qvidam Translator Belgicus: Siet ten tydt komt, dat ick se alle besœcken sal, de Besnedene met de Onbesneden. Concordat etiam cum Luthero Versio Anglicana: I will punish all them, which are circumcised with the uncircumcised. Item Editio Belgica Statuum: Ick sal besœckinge doen over allen besnedenen, met de gene, die de Voorhuyt hebben; Et Versio Italica meæ Editionis sic sonat: Jo visitarò ogniuno, chi è circoncisò sapra l'Egitto, &c. Econtra verò cum Schmidio concordat Editio mea Hispanica: Hea qvi qve vienen dias, dixo Jehova, y visitaré a toto circumcidado con Cupello, (i. e. Præputio.) Et Gallica: Je puniray tout circoncis ayant le prepuce. Ubi per verba, circumcisos cum præputiô, absqve dubio non nisi illi, qvi resectum præputium per artem sibi repararunt, intelligendi erunt.

§. 14.

Porrò fraudis vel etiam Religionis simulatæ, aut etiam mutatæ gratiâ nonnulli Judæi Præputium sibi retrahi patiebantur. Cum enim tempore Domitiani Imperatoris magna à Judæis exigerentur Tributa, multi ejusmodi Versipelles Originem atque nationem suam dissimulabant, seqve Judæos esse Fram.

negabant; Cumqve differentia inter Judæos & Romanos ex præsente vel absente præputiô judicaretur, tales circumcisi arte chirurgicâ, vel aliô, hactenus dictô, modô præputium sibi refingebant, ut immunes à Tributis essent; Hinc apud Autores, v. g. Martialem qvandoqve Mentulæ tributis damnatæ mentio fit. De qvâ vid. Paul. Ammann. *Irenic. pag. 249.* Et G. Wolffg. Wedelius *l. a.* inqvit: Judæi Apostatæ facti aliqvando, ne pro apellis haberentur, sed alterius religionis asseclæ, dedecori sibi putabant & velare palliareqve singulari molimine studebant. Item Judæi apud Romanos ab Officiis publicis excludebantur, hincqve Recutitionis Operationi satis atroci se submittebant. De his ita loqvitur Daniel le Clerc, *dans l' Histoire de la Medecine Part. II. Lib. 4. Sect. 1. cap. 5. pag. m. 234.* Qvoiqve cette Operation fût fort cruelle, il se rencontroit plusieurs Juifs assez patiens pour s'y soûmettre dans la vüe de cacher leur naissance & leur religion, qvi les exposoit à payer des Impôts extraordinaires, & qvi les empechoit de parvenir aux Charges, de l'Empire Romain. Sic illi Ægyptii, qvi vivente adhuc Josepho circumcisi erant, postmodum, eô defunctô, odiô Gentis Israëliticæ, arte qvadam sibi præputia adduxerunt, ne qvicqvam cum Israëlitis commune haberent. v. Thom. Bartholin. *de Morb. biblic. cap. 26. p. m. 89.* Et cùm tempore Antiochi adeò descisceerent Judæi, in omnibus sese assimilabant gentilibus, ne à Græcis distingvi possent; & inter alia etiam Circumcisionem negligebant, vel potiùs dissimulabant. vid. Fl. Joseph. *l. a.* Id qvod etiam ex Maccabæorum *Lib. 1. cap. 1. vers. 16.* videre licet, ubi Germanica Versio Lutheri sonat: Sie (die Jüden) hielten die Beschneidung nicht mehr. Qvæ tamen Verba juxta Paul. Ammann. *l. a. pag. 248. & Medicin. Critic. Cas. 39. p. m. 265. seq.* Textum Græcum non exhauriunt, qvi hæc habet:

bet: *ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας*, faciebant ſibi præputia; qvod etiam in aliis Verſionibus extat, v. g. in Tremellii & Junii, item Bezæ hæc leguntur: Et facientes ſibi ipſis præputia abſceſſerunt à fœdere ſanctô, in Sebaſtiani Schmidii Verſione; & fecerunt ſibi ipſis præputia; & in Statuum Belgicorum Verſione: Sy maeckten haer ſelven voorhuyden. Hoc ſenſu etiam intelligendum eſt dictum divi Pauli, *Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. verſ. 18.* *περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω: ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη, μὴ περιτεμνέσθω.* Qvod iterum B. Lutherus modeſtè reddidit: Iſt jemand beſchnitten beruffen, der zeuge keine Vorhaut; Iſt jemand beruffen in der Vorhaut, der laſſe ſich nicht beſchneiden. Qvod Sebaſtiani Schmidii Verſio ſic habet: Circumciſus (ſi) qvis vocatus eſt, ne attrahat (Præputium.) In Præputio (ſi) qvis vocatus eſt, ne circumciditor. Verſio Helvetica: Iſt jemands beſchnitten berufft, der beziehe keine Vorhaut. Verſio Belgica: Is jemand beſneden zynde geroepen, die en late hem geen Voorhuyt antrecken. Anglica: Is any men called being circumciſed, let him not become uncircumciſed. Hiſpanica: Es llamadò alguno circuncidado, no eſtienda: (el Capullo.) Es llamado alguno en capullo, no ſe circuncide. Gallica: Qvelcun eſt il appellé étant circoncis, qv'il ne ramene point le prepuce. Italica: Eſtato alcuno chiamato, nella Circonciſione, non ritiri il preputio. Sive juxta aliam verſionem Italicam: Si egli è chiamato circonciſo, non riduchi il preputio. In cujus margine ſeqvens annotatio legitur; Qvelli che volevano disfare la Circonciſione, renuntiando alla religione de' Giudei, come i Samaritani, facevano ritornare la pelle circonciſa con remedii diverſi, inſieme con uno Iſtromento, che chiamavano Spatiſterio, che è dedutto della parola, che uſa l'Apoſtolo. Allegatum Apoſtoli dictum ita explicat G. W.

We-

Wedelius, *l. a. pag. 6.* Qvi circumcisus seu Judæus vocatus est, illum non pudeat Circumcisionis & Judaicô se sangvine cretum, non sollicitus sit de delendô hôc Charactere, de supertrahendô & sic restituendô vel palliandô potiùs præputiô; sicut è contrario ab Ethnicis oriundus vocatus adeoqve incircumcisus, non circumcidatur, sublatô jam omni sepimento & abrogatô per Salvatoris mortem pristinô illô fœdere.

§. 15.

Usus hujus materiæ. Inservit autem hæc materia de Recutitione, sive, ut ita dicam, de Repræputione, in Forô Medico Legali, qvando v. g. Judæus Mulierem Christianam in Conjugem desiderans Judaismum pernegaret, vel qvando, perpetratô delictô aut scelere qvodam, se Christianum, & minimè Judæum seu circumcisum esse, simularet atqve asseveraret, & qvidem ex eô fundamentô, qvia Penis glandem Præputiô tectam haberet; qvô in Casu inter alia ex Medicis à Magistratu & Dominis Juris Consultis qværi solet:

I. An detur recutitio, seu Præputium restituendi possibilitas?

II. An ex certô aliqvô signô tam præcedanea Circumcisio, qvàm subseqvens Recutitio in Judæis, vel ejusmodi nationibus circumcisis, dignosci atqve sic simulatio aut dissimulatio detegi possit?

Qvoad primam Qvæstionem, scilicet Recutitionem non modò possibilem, sed etiam apud Judæos, secundum hactenus recensita, olim in usu fuisse, negari non potest, hinc etiam Paulus locô allegatô Judæis Christianismum amplexantibus prohibet, ne Signa Circumcisionis obtegant: Imò talem Operationem etiam hodienum Judæis adhuc notam esse, hincqve

qve in Casu necessitatis, vel ob alias rationes etiam exerceri posse, dubium non est; Qvod etiam confirmat exemplum, paulò ante ex Pauli Ammanni, *Medicin. Critic. Cas. 39. pag. 265. seqq.* de Judæô, arte qvadam & idoneis remediis præputium sibi attrahente, allegatum. Qvoad secundam Qvæstionem seu signum præcedaneæ Circumcisionis, sive hæc statim octavô post nativitatem die, uti apud Judæos, sive etiam post septimum aut duodecimum annum, uti apud Mahumetanos fieri solet, instituatur; ante Recutitionem facillimè ex Præputii defectu illud cognoscitur. Post Recutitionem verò Judicium difficilius erit, imprimis in illis, qvibus non ad modum Cornelii Celsi per incisionem circa radicem penis & attractionem Cutis simul, sed tantummodò per solam, mediante Instrumentô attractoriô seu Spatisterio factam, Cutis retractionem, arte præputium restitutum est. Semper tamen, in Casu etiam dubiô, circa diagnosin, seu Examen Recutitionis, Medicus & Chirurgus ante omnia cicatricem circa radicem Penis, in parte versus abdomen, ubi secundum Celsum in Recutitione Cutis incisio fieri solet; item illam Cicatricem circa Præputii extremitatem à primâ statim Circumcisione relictam bene indagare debet, siqvidem ex harum Cicatricum præsentiâ de Circumcisione & Recutitione judicare poterit, & qvidem si in utroqve locô hæ Cicatrices reperiuntur, tunc Recutitionem per Cutis, circa Penis radicem, factam incisionem fuisse institutam. Si verò tantùm in superiore præputii extremitate Cicatrix deprehenditur, tunc præputii per Spatisterium recuperati, indicium erit. Deniqve etiam indaganda esset illa Cutis internæ præputii incisio, cujus supra ex Dionis Operationibus Chirurgicis mentionem fecimus.

An frænum signum virginitatis virilis,

Occurit etiam circa Præputium, & qvidem ratione ejusdem frænuli, alia adhuc Qvæstio, scilicet.

An ex dictô frænulô signum Virginitatis virilis desumi possit?

§. 1.

Frænum quid? Est autem frenum vel frænum seu frænulum illud Vinculum, qvô Præputium glandi annectitur, cujus hactenus, inprimis in Phimosi, aliqvoties facta est mentio. Græcis vocatur κυνοδέσμιον, item χάλινον, nonnullis latinè filum, & in diminutivô filellum, Italis filetto, Galliæ filet; item latinis etiam Canis dicitur. Inqvit enim Gabriel Fallopius, *Lib. de Decorat. cap. 9. fol. m. 339.* Canem vocamus partem illam, qvam filellum vulgò vocant, qvæ ligat præputium in parte infernâ cum glande juxta Canalem, &c. Hoc frenum à violenta distensione in mediô disruptum fuisse, atqve supermansisse exiguum in mediô foraminulum, caput aciculæ adæqvans, observavit Gvernerus Rolfincius, *vid. ejusd. Tract. de Part. Generation. Part. 1. cap. 52. pag. m. 104.* Ex hujus frenuli integritate indeqve dependente Glandis Obtectione nonnulli Medici Virilis Virginitatis signum desumere solent. *Affirmatur.* Inqvit enim inter alios Johannes Antonides van der Linden, *Meletemat. med. Hippocrat. Physiol. §. 47. pag. m. 23.* Glandem nisi osculotenus nudari non sinit virginibus frenum. Et Ernestus Fridericus Schelhass inqvit: Frenum Penis, sive κυνοδέσμων, osculotenus glandi præputium convincit, qvod virginitatem masculam intaminatam notat. v. Michael. Bernhardi Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. 1. Cas. 9. pag. m. 32.* Credebant scilicet, in omnibus adultis atqve ad matrimonium aptis, ante Coitum, præputium glandi per frenulum

lum ita adhærere, ut absqve frenuli dilaceratione glans neqve denudari, neqve primus Coitus peragi possit, sed demum post filelli disruptionem Balanum denudari atqve matrimonium celebrari posse statuebant.

Sicuti autem Virginitatis muliebris signa admodum sunt incerta atqve fallacia, uti in Emenologiâ nostrâ, Deô volente, monstrabimus, ita longè incertiora erunt signa Virginitatis virilis, de qvibus Casparus à Reies, *Camp. Elys. Qvæst. 38. pag. m. 467.* ad Qvæstionem: an in Viris extet aliqvod signum, qvod fœminam iniisse arguat? ita scribit: Propria & positiva Virginitatis signa in homine (l'huomo autem Italicè significat vir) invenire haud facile judico: Siqvidem nec vocis acuties, nec genitalium glabrities, nec glandis præputii contectio, aut hujusmodi alia Virginitatis certitudinem aliqvam nobis stabiliunt, &c. Et glandis illa contectio nihil confirmat, qvia & post primum Coitum potuit iterum Glans à præputiô contegi & sicut ante erat, permanere; Imò sæpius sine ullô Coitu, retrò impellitur. Unde sicuti detectio Coitum jam factum arguere non potest, ob rationem dictam; ita nec Contectio Virginitatem asserit; Dictus Autor postea ex his tribus signis Voce, pilis & Glande, collectivè sumptis, tandem aliqvaliter de læsà Viri Virginitate concludi posse judicat; In specie autem de nostrâ materiâ, præputiô scilicet, porrò dicit: Cùm in Coitu accidat fricatio, necessariò glans detegitur & præputiô retractô detecta permanet; imò membrana illa, qvæ veluti frænum glandem alligat, non rarò rumpitur. Qvod si inveniatur, probabiliter hominem jam concubuisse dixerimus. Superioribus Reiesii contra Virginitatem Virilem ex præputiô & frenulô dignoscendam rationibus insuper addi qvoqve poterit; plures fortasse dari Juvenes, qvibus præputium per longius frenulum glandi non adeò ar- Negatur.

ctè est, annexum, ut sine dilaceratione frenuli retrahi neqveat; vel qvibus jamdudum ante pubertatis annos frenulum à variis causis, dilaceratum vel dissectum fuit. Imò licet etiam concedamus, Virum, cui præputium ob frenulum breve glandem adhuc obtegit, juvenculam angustam, atretam & ingressum seu cohabitationem nondum passam, absqve frænuli dilaceratione inire non posse; verùm annon cum aliâ fœminâ non adeò arctâ, vel jamjam defloratâ, aut viduâ, vel etiam cum aliâ angustiæ naturalis post mensium fluxum ordinarium, qvô tempore viæ illæ satis laxæ observantur, congressum venereum absqve impedimento, & qvidem sine glandis denudatione aut frænuli dilaceratione, exercere potuerit, qvæstio adhuc esset. Siqvidem Coitum absqve Glandis denudatione fieri posse supra de Phimosi diximus. Imò, qvamvis etiam glans in Coitu denudetur, nihilominus tamen post actum venereum iterum æqve, ac antea, à præputiò contegitur & obvelatur, uti in qvamplurimis Viris observare licet. Videmus exinde, qvàm fallax sit signum à frenulô tam integrô, qvàm dilaceratô desumptum, si v. g. Virgo deflorata ipsiusve Advocatus coram Judice Juvenem qvendam Corruptionis seu stuprationis accusaret, eumqve per inspectionem & disruptionem frenuli actûs venerei convincere atqve virginitatis virilis suspectum reddere conaretur; vel etiam, si Juvenis accusatus ex frænuli integritate Virginitatem & innocentiam suam defendere tentaret; cùm utriusqve partis fundamentum satis sit ficulneum, neqve exinde aliqvid certi judicari possit.

§. 2.

Infibulatio. Facta in Paragraphô antecedente, inter signa Virginitatis virilis, acutæ vocis mentio in mentem mihi antiqvorum Infibulationem revocat. In more qvippe Veteribus erat positum

adò-

adolescentes, vel sanitatis gratiâ, vel qvibus acutam & claram vocem servare studebant, infibulare. Hinc etiam ad conservandam vocem Comœdis & Cytharædis extrema virilium pellis illigabatur, ne Venere illis vox mutetur & corrumpatur; de his canit Martialis, *Lib.14. Ep.215.*

Dic mihi simpliciter, Comœdis & Cytharædis
Fibula qvid præstet?

Et *Lib. 7. Ep. 81.*

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit Comœdis omnibus una satis.

Imò qvotqvot apud Ægyptios Arabesqve seriô Castitatis votô puritatis æstimationem tuentur, à præputii resecti residuâ portione perforatâ annulum gestant enormem, juxta Joh. Vesling. *Syntagm. anat. cap. 6. p. m. 92.* vid. etiam Johann. Muralt. *Colleg. anatom. Lect. 10. pag. m. 169.* Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. 2. cap. 32. pag. 317.* Qvidam etiam Clericorum apud Persas Matrimonium abjurant, atqve, ne Venerem illicitam seu scortationem incurrant, partes sibi genitales certis annulis perforari seu infibulari curant. v. Walth. Schultz. Ost-Indian. Reise-Beschr. *fol. m. 143.* Nonnulli ita in juventute infibulati ætate provectiores iterum fibulâ liberantur; qvod refibulare dicebatur, juxta eundem Martialem, *Lib. 9. Epistol. 28.*

Jam Pædagogo liberatus, & cujus
Refibulavit turgidum penem faber.

§. 3.

Infibulandi autem modus juxta Corn. Celsum, *Medicin. Lib. 7. cap. 25. pag. m. 502.* hic est: Cutis, qvæ super glandem est, seu præputium, extenditur, notaturqve utrinqve à la- *Infibulandi modus.*

 te-

teribus atramentô, qvà perforetur; deinde remittitur. Si ſuper glandem notæ revertuntur, nimis apprehenſum eſt, & illud ultra notari debet; ſi glans ab his libera eſt, is locus idoneus fibulæ eſt. Tum, qvà notæ ſunt, Cutis acu filum ducente transſuitur ejusqve fili capita inter ſe deligantur, qvotidieqve id movetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Ubi hæ confirmatæ ſunt, exceptô filô, fibula inditur, qvæ, qvò levior, eò melior eſt. Gallicè hæc Operatio dicitur le Bouclement des Garçons, de qvâ Dionis *dans le Cours d' Operations de Chirurgie Demonſtrat. 3. p. m. 177.* ita ſcribit: Je ne ſçay pas, qvi eſt l'inventeur du bouclement des Garçons; mais cette Operation choqve les bons ſens. L'on tiroit le prepuce en dehors, & le traverſant d'une aiguille enfilée on y laiſſoit un gros fit, jusqv'a ce qve les cicatrices de trous fuſſent faites; puis retirant le fil, l'on paſſoit à la place une groſſe boucle de fer, qv'on y laiſſoit tout le temps, qve le ſujet étoit dans un âge incapable de travailler à la generation. Ils pretendoient, qve cette boucle l'empêchant d'avoir commerce avec des femmes, jusqves â l'âge de vingt cinq ans, qvi eſt le temps, qv'on l'oſtoit; les forces ne ſe diſſipoient point, & qv'elles ſe conſervoient pour engendrer des enfants forts & en état de ſervir à la Republiqve. Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente antiqvorum fibulam, ex Muſæo Illuſtris Pinelli petitam Auditoribus ſuis oſtendere & in Colem immittere ſolitus eſt, ut viderent, qvô modô adoleſcentes à Coitu immunes ſervarentur. v. ejusd. *Operat. Chirurg. fol. m. 267.* Juxta Jacob. Holler. *Chirurgic. Lib. 6. cap. 10.* Præputium aſſuitur & infibulatur. v. Petr. Uffenbach. *Theſaur. Chirurg. fol. m. 850.* Hanc Infibulationem Hollerii rationi minùs convenientiorem Celſi Infibulatione judicat Johannes Rhodius, *de Acin, cap. 6. pag. m. 99.* Item de Circulô æneô, qvô

qvô adolescentuli infibulabantur, conservandæ vocis gratiâ, qvæ Veneris usu gallulascit & corrumpitur, item de Infibulatione & variis fibularum speciebus videatur idem Autor, *l. a. à pag. 64. seq. 90. seq.* & per totam Dissertationem; vid. etiam Johann. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 3. Tr. 3. cap. 11. pag. m. 340. seqq.*

De puellarum & fœminarum Circumcisione, Castratione & Infibulatione, qvæ propriè huc non pertinent, alibi agemus. *Infibulatio puellarum.*

CAPUT XII.

De Qvæstionibus Coitum spectantibus.

DE Coitu eqvidem jam supra Capite sextô varia adduximus, restant tamen adhuc pauca hôc locô annectenda; Movetur scilicet qvandoqve à Dominis JCtis

QVÆSTIO,

An Medicus bona conscientiâ ægrotantibus pro recuperandâ sanitate Coitum svadere possit?

§. 1.

Ansam huic dubitandi materiæ absqve dubiô dederunt varia illa damna & symptômata, qvæ, secundum suprà allegata, tum in Viris à seminis retentione & intermissô coitu, tum in fœminis ab impeditô actu venereô exorta, apud Autores Medicos leguntur. Ad hanc qvæstionem respondentes ordinariè *An Medicus Coitum svadere debeat. Distinctio.*

nariè distingvunt inter Coitum licitum & illicitum; qvorum illum admittunt, hunc autem, qvi extra matrimonium celebratur, penitus damnant; ita, ut Medicus ad morbi cujusdam curationem vel etiam ad evitandam Mortem ægrotanti Coitûs usum minimè svadere debeat, sive verbis explicitis, sive implicitis & conditionaliter id faciat; v. g. si dicat: Ego hoc tibi non consulo, sed si tale qvid faceres, sanareris; vel si etiam cum exceptione Medicus loqveretur: nisi peccatum obstaret, coitûs usus tibi sanitatem restitueret; qvia etiam per ejusmodi verba Medicus facilè occasionem peccandi dare potest. v. Paul. Zacch. *Qvæstion. medic. legal. Lib. 6. Tit. 1. Qv. 5. §. 4. fol. m. 493.* Et Casparus à Reies, *Camp. Elys. Qv. 46. §. 24. p. m. 573.* inqvit: Qvantumvis Medici graves & periculós morbos, ex seminis retentione provenientes, in viris aut fœminis agnoscant, non tamen proinde illis de corporali salute admodum solicitis, nec aliis licet Venerem consulere aut verbis astutè & artificiosè illicitum coitum incolumitatis Corporis causâ svadere: ut si aliqvis dixisset: hoc tibi consilium non do, sed si fecisses, aut cum fœminâ rem habuisses, valetudinem recuperasses. Hæc, inqvit, verborum simulatio à scelere Medicum non excusaret, & redderet immunem. Item Carolus Musitanus, *Trutin. Chirurg. Tom. II. cap. 9. pag. m. 33.* Venerem locô Medicamenti commendans, eam tantùm intelligere protestatur, qvæ ad generis humani propagationem spectat, modô legitimô, & divinis legibus concessô; neqve enim ad valetudinem servandam illicitâ venere qvisqvam uti debet, &c. Et Henricus Kornmannus, *de Virginitat. cap. 83. pag. m. 186.* ad Qvæstionem: num Virgo ad sanitatis conservationem actum conjugalem admittere debeat? Negativam defendit. Pessimè itaqve & contra conscientiam egerunt illi Medici & alii, qvi secundum supra Capite qvintô, ex Casparô

rô

rô â Reies, *Camp. Elyſ. Qvæſt. 46. pag. m. 572.* allegata exempla, ægrotantibus venerem illicitam ſvaſerunt, qvorum tamen conſiliô hi obedire noluerunt, v. g. Johannis primi, Portugalliæ Regis Nepos, ex impuri Seminis copiâ ægrotans & demum ex langvore Romæ mortuus. Item Comes Monterrei, Hiſpanus, viduus & antea Veneri aſſvetus, cùm ob abſtinentiam gravia egritudinum & mortis inſtarent pericula, multis inſtantibus, ut pro conſervandâ vitâ Coitum exerceret, fertur reſpondiſſe: non poſſe aliqvid Corpori eſſe utile, qvod animæ noceat. Idem Medicorum conſilium recuſavit etiam Michaël Verinus, ob Caſtitatis zelum crudelibus morbis, admodum conflictatus. Deinde etiam ipſis conjugatis pro conſervandâ & recuparandâ Valetudine Coitum â Medicis ſvaderi poſſe, nonnulli negant, cùm ſcilicet Medici tantummodò remedia tuta & certa, non autem dubia & qvæ hominem periculo exponere poſſunt, ordinare atqve præſcribere teneantur; econtra verò omnis Coitus etiam licitus, ſemper noxius, nunqvam ſalutaris, aut tam raro proficuus ſit, ut jure meritoqve ſuſpectus eſſe poſſit.

§. 2.

His tamen non obſtantibus, licitus Coitus pro ſanitatis remediô tutâ conſcientiâ à Medico ſvaderi poſſe, eidem Paulo Zacchiæ *l. a.* videtur, ubi plures rationes in utramqve partem reperies. Et meâ qvidem ſententiâ, ſicuti perſonis liberis adhuc atqve non maritatis omnis ſcortatio atqve coitus lege divinâ eſt prohibitus, neqve facienda ſunt mala, ut eveniant bona; ita etiam nemini extra matrimonium viventi Medicus pro impetrandâ Corporis ſanitate, in animæ periculum, tam grave peccatum, Scortationem videlicet, ſub ſpecie boni, ſvadebit, cùm imprimis rari aut nulli occurrant affectus, qvorum curatio non niſi unicum hoc remedium, à DEO inter- *Autoris ſententia.*

 di-

dictum, reqvirat, sed econtra omnia Regna medica adversus qvoscunqve morbos sufficientem suppeditent materiam medicam, ut ejusmodi illicitas Curas svadere opus non sit. Qvoad Coitum autem conjugalem, licet ipsius primarius scopus esse debeat gloria DEI & propagatio generis humani; dantur tamen etiam casûs matrimoniales, ubi absqve spe futuræ sobolis Coitus celebratur; qvando nimirum Vir seu maritus junior atqve robustus cum vetulâ atqve ad Conceptionem non amplius habili Uxore congreditur; qvi tamen Coitus à Dominis Theologis atqve Politicis minimè pro illicitô haberi solet. Si proinde ejusmodi Coitus matrimonialis, licet ratione procreationis non nisi infructuosus esse possit, pro legitimô seu licitô judicatur; absqve dubiô etiam Medicus ex intentione restituendæ valetudinis, juxta exempla ex aliorum Autorum vel propriâ Praxi sibi nota, ejusmodi personis primariò Matrimonium Coitumqve conjugalem tanqvam licitum, cæteris par bus, svadere poterit.

Coitus sit moderatus.

§. 3.

Præsupponimus nimirum Coitum non solum licitum, sed etiam moderatum, ne Maritus ex nimiô & assiduô Veneris exercitiô, locô acqvirendæ sanitatis, maximam virium prostrationem, vehementiorem morbum vel ipsam etiam mortem sibi exinde contrahat. Coitum autem moderatum non modò in genere esse saluberrimum, sed etiam in specie multarum ægritudinum Causam curativam fuisse, jam supra Capite qvintô Exemplis probavimus; & qvidem in Viris ratione Melancholiæ & Maniæ, vid. Caspar. Theophil. Bierling. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 151. p. 234.* ratione Tumoris Testiculorum à seminis retentione, v. Marc. Gerbez. *Chronolog. med. pract. An. I. §. 96. p. m. 83.* Odontalgiæ pertinacis, cujus meminit Johannes Ægedius Euth. *M. N. C. Dec. III.*

III. An. 5. *& 6. Obs.* 76. *pag.* 146. *seq.* Scorbuti, juxta Henr. Petræi, *Nosolog. Harmon. Tom.* 2. *Dissert.* 38. §. 21. *pag. m.* 288. Guttæ rosaceæ, v. Christ. Warliz. *de Morb. bibl. cap.* 12. *pag. m.* 366. Deinde in Mulieribus ratione nimii Mensium fluxus. v. Act. Hafn. *Vol. III. Observ.* 79. *p. m.* 141. *seq.* Delirii & Maniæ. v. Chr. Franc. Paullin., *Observ. med. phys. Cent. III. Observ.* 88. *pag. m.* 386. *seq.* & Thom. Bartholin. *Cent.* 2. *Hist.* 69. *pag. m.* 258. *seq.* Furoris uterini, juxta Domin. Panarol. *Pentecost.* 3. *Observ.* 9. *pag. m.* 68. Felic. Plater. *Prax. med. Tom. I. cap.* 3. *pag. m.* 101. & Alexand. Benedict. *de Re medic. Lib.* 1. *cap.* 28. *fol. m.* 23. Chlorosis seu Cachexiæ Virgineæ. v. Joh. Lang. *Epist. medicin. Lib.* 1. *Epist.* 21. *pag. m.* 93. Dan. Sennert. *Pract. med. Lib. IV. Part.* 2. *Sect.* 4. *cap.* 3. *p. m.* 300. Christian Warliz. *de Morb. biblic. cap.* 12. *pag.* 364. *seq.* & G. W. Wedel. *Disput. de Vener. medic. & morbif. cap.* 2. *pag.* 23. Fluoris albi, juxta Johan. Bernh. Gladbach. *Prax. Medicin. p. m.* 370. Epilepsiæ diuturnæ in Virgine, juxta Ambrosii Stegmanni Observationem. *v. M. N. C. Dec. III. An.* 1. *Observat.* 12. *p.* 29. & Joseph. Lanzon. *ib. Dec. II. An.* 10. *Obs.* 127. *pag.* 220. *&c.* Cùm verò in allegatis & similibus affectibus nemini à Coitu, etiam licitô, semper desideratus effectus promitti possit, meâ etiam sententiâ, personis liberis non statim matrimonium ineundum, tanqvam infallibile remedium, à Medicô svadendum, sed ad alia potiùs medicamenta recurrendum erit; interim tamen in Matrimoniô jamjam viventibus per Cohabitationem moderatam experimenta facere atqve sanitatem qværere per me licebit.

§. 4.

Qvodsi verò talis morbus sit suspectus, ita, ut altera Conjugum persona per contactum matrimonialem Contagiô infici possit, tunc ejusmodi Cohabitatio penitus interdicenda erit. *Negatur in morbis suspectis,*

erit. Et qvamvis supra Capite qvinto, *ex M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 188. pag. 266.* recensuerim, in Hollandiâ tempore Pestis Anno 1636. ancillam, Batavam Peste laborantem, tribusqve in locis Corporis Carbunculos habentem, cum Juvene amasiô, in hortô, qvò delata fuerat, singulis noctibus concubuisse & illæsô sponso convaluisse; minimè tamen exinde valet Conseqventia, ad Pestis curationem Coitum sive licitum, sive illicitum conducere & absqve contagii mortisqve periculô exerceri posse; cùm plurima in contrarium hinc inde extent exempla; siqvidem Isbrandus de Diemerbr. *Tract. de Pest. Lib. 4. Histor. 7. fol. m. 291.* Viri cujusdam meminit, qvi uxorem suam peste jam correptam & bubonem in Ingvine habentem, (qvod tamen malum ipsa celabat,) inivit, atqve ab ipsâ statim pestem contraxit, ita, ut seqventi nocte ambo extincti fuerint. Item, Petrô Forestô, *Observ. Medic. Lib. 6. Obs. 20. fol. m. 179.* referente: Mulier qvædam, Uxor Vitrarii, pestiferô bubone infecta sub alis, cum virô hujus rei ignarò nocte concubitum iniit; qvô factô hic ilicò bubonem sub alis qvoqve sensit, atqve spongiæ instar Venenum ab uxore contraxit, demumqve, Uxore evadente, mortuus est. Scribit etiam Paulus Zacchias, *Qvæstion. medic. legal. Lib. 3. Tit. 3. Qv. 4. §. 15. fol. m. 318.* Coitus tempore pestis ab universis Medicis mirum in modum vituperari, atqve ab eô non modò in parte, sed in totum abstinendum esse. Unde non ex timore solùm contagionis arcendæ sunt meretrices tempore pestis (utinam semper!) ex Civitate, sed etiam, qvia incitamentum sunt ad Opera venerea, à qvibus tunc temporis summum in modum est abstinendum.

§ 5.

In aliis morbis. Qvod jamjam de Peste diximus, idem etiam ad alios morbos contagiosos, v. g. Gonorrhœam virulentam & ipsam

Luem

Luem veneream applicari potest. Qvamvis enim libentissimè concedam, in Gonorrhœâ dictâ mediante Coitu, (sive cum Virgine purâ, uti nonnullis placet, sive cum Uxore celebretur) materiam eqvidem purulentam educi vel potius ejici, sicqve vesiculas seminales exulceratas ab hac materiâ ad tempus liberari, ut eò faciliùs dictum Ulcus abstergi atqve curari possit; rarissimè tamen à solô coitu absqve medicamentis internis Malum hoc perfectè cessabit, sed altera cohabitans persona eadem labe inficietur. Qvod etiam in ipsâ Lue Gallicâ locum habebit, qvippe qvæ non modò per salivam & sudorem seu accubitum, sed etiam, & qvidem utplurimum, per Concubitum communicari solet; Unde etiam Autores Medici & Jurisperiti in Casu, ubi tum infectionis sani Conjugis, tum prolis inde nascituræ, eâ infectione labefactatæ metus est, cohabitationem conjugalem dissvadent, sanumqve Conjugem, ut infirmo debitum conjugale reddat, minimè obstringunt. Hinc Paulus Zacchias, *l. a. Qv. 6. §. 25. seq. fol.* 323. inqvit: Etiamsi morbus Gallicus levis esset, qvia tamen qvilibet vel minimus fomes sufficit ad concipiendum magnum morbum, & potest ex levi contagiô sanus conjux maximè affici, idcircò videtur, qvod, qvotiescunqve de Morbô Gallicô certitudo habetur, non teneatur sanus conjux, reddere debitum ægrotanti, &c. Plura vide ibidem. Item judicium etiam esto de Leprosis. v. Autor *all. l. c.* de qvibus tamen & aliis hoc locô pluribus non agere, sed seqventem solummodò Observationem annectere libet:

§. 6.

Viri cujusdam Generosi Uxor viginti aliqvot annorum summè scorbutica, Phthisi consummatâ laborans dies noctesqve & ferè sine intermissione serum acre & materiam purulentam Tussi excernebat; præterea sudore colliqvativô, do- *Observatio.*

loribus Pectoris spasmodicis tamqve difficili respiratione vexabatur, ut qvandoqve per longum tempus non nisi erecta in lectô sedere cogeretur, animam qvasi singulis momentis exhalatura. Demum hæc fœmina ad summam debilitatem redacta, per aliqvot horas à Tussi aliqvantisper liberabatur, tantum econtrà stimulum venereum tantumqve cum Maritô mœstissimô coëundi appetitum sentiebat, ut congressum conjugalem, qvem antea, in statu sanitatis, secundum Mariti verba, tanqvam abstemia sæpissimè recusârat, nunc anxiè desideraret. Qvæstio itaqve oriebatur:

An persona adeò debili animamqve qvasi efflatura, & qvidem Phthisi consummatâ & purulentâ laboranti, Coitus cum Maritô svadendus aut permittendus sit, nec ne?

§. 7.

Statim eqvidem circa hanc qvæstionem in mentem revocabam Observationes de sanitate per coitum restitutâ; in hoc autem Casu plures circumstantiæ ratione utriusqve Conjugis erant considerandæ. Primò enim ipsa persona ægrotans jamjam in mortis colliminiô versabatur; deinde metuendum erat, ne à tussi, expectoratione, calore & sudore colliqvativô jam nimis delassata fœmina Spirituum seu virium reliqvias, tum ob Orgasmum vehementiorem, tum ob ipsum coitum situmqve incommodum plenariè prosterneret, illaqve in ipsô actu venëreô deficeret aut exspiraret; Tertiò anima moribundæ potiùs meditationibus sacris ad beatum exitum præparanda, qvàm ad ejusmodi tentationes carnales magis stimulanda videbatur; cùm præsertim hic appetitus venereus à phantasiâ depravatâ, seu levi deliriô, & à sensatione pru-

pruritûs circa Uterum, à salium Scorbuticorum versus illam partem affluentium stimulô ortâ, dependere videretur; siqvidem ipsa ægrotans hoc Coitûs desiderium non tam ipsi marito, qvàm Medico revelabat; prætereaqve talis Orgasimus post aliqvot horas penitus evanescebat. Deniqve licet etiam dictæ personæ desideratus Coitus fuisset concessus, nulla tamen salutis spes exinde supererat, cum dicta fœmina seqventi die vivere desineret. Ratione autem Mariti suspectum nobis erat Consilium Cohabitationis, ne per Coitum seu talem ad Uxorem, in summô gradu phthisi laborantem, approximationem vel arctam Conjunctionem, Miasmata qvædam contagiosa, similem fortasse morbum inducentia, ipsi communicarentur, cùm Phthisin morbum contagiosum esse, varii confirment Autores. Ex his proinde rationibus Cohabitationem conjugalem, aliàs per se licitam, ob metum contagii noxiam atqve dissvadendam judicavimus.

§. 8.

Ut autem, qvæ de Phthiseos contagiô diximus, Autoritate probemus, evolvatur Lazari Riverii *Prax. med. Lib. 7. cap. 7. pag. m. 479.* ubi scribit: Inter causas Phthiseos externas principem locum obtinet Contagium; hic enim morbus est valdè contagiosus, ita, ut videamus, utplurimum uxores maritis phthisicis assiduò inservientes, eodem affectu corripi, & vice versâ. Sic etiam liberi ejusdem familiæ ex eodem affectu sigillatim interierunt, non solùm propter impressam labem à Semine parentum, sed etiam propter freqventationem illius, qvi primus hoc affectu laboravit. Id qvod etiam idem Autor qvibusdam rationibus confirmat, nimirum *Observat. med. Cent. I. Obs. 35. p. m. 24.* mentionem facit pulcherrimæ viduæ Phthisi incipiente laborantis, qvam per Contagium contraxerat ex Maritô suô, qvi ante duos menses phthisicus perierat;

Phthisis est morbus contagiosus.

erat; Et *Obſervat. 99. pag. 97.* refert, poſt mortem phthiſicæ illius ancillam, qvæ diu noctesqve illi miniſtrârat, in ſimilem affectum incidiſſe. Item *Cent. 4. Obſerv. 92. p. m. 60.* Phthiſin per Contagium communicatum ſe curâſſe dicit. De Phthiſeos contagiô cùm ex parentibus, tum aliis contractô aliqvot exempla collegit Johannes Schenckius, *Obſerv. med. Lib. 2. fol. m. 255. ſeq.* Sic tres Marchiones Brandenburgici Adoleſcentes brevi temporis intervallô, ex Phthiſi, à Præceptore contracta, mortui ſunt, teſte Philippô Salmuthô, *Cent. 3. Obſ. 64. pag. m. 142.* De fœminâ minimè ad Phthiſin prædiſpoſitâ, attamen ab accumbente maritô phthiſicô Phthiſi extinctâ, vid. Joh. Dolæi *Encyclopæd. med. Lib. 2. cap. 4. p. m. 300.* Richardus Morton *de Phthiſ. Lib. 2. cap. 1. Oper. pag. m. 37.* hunc affectum lecti ſocios miaſmate qvodam, ſicuti febre malignâ, inqvinare, freqventi experientiâ obſervâſſe dicit; & *Lib. 3. cap. 5. p. m.* 136. exemplum Phthiſeos, in virô ab uxore per contagium contractæ, recenſet vid. etiam Joh. Jac. Waldſchmid. *Prax. med. pag. m.* 398. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. pag. 759.* Joh. Bernh. Gladbach. *Prax. med. p. m.* 430. *ſeq.* Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. 4. Jun. p. m.* 223. *ſeq.* Tandem liceat adhuc annectere Obſervationem D. Johannis Schmidii, de Mirô Phthiſeos contagio, *ex M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſervat. 4. 5. p. m. 120.* Scilicet Uxor cujusdam Viri Senatorii Phthiſi miſerè divexata, tandem moritur. Maritus ampliſſimus & doctiſſimus, illius veſtes, lintea, lectos, ſtatim in locô ſeparatô aſſervari jubet. Annuô ſpatiô elapsô ad ſecunda vota tranſit, &, ne ſponſa priori affectu contaminetur, modis præcavet ſollicitus omnibus, pretioſos veſtes defunctæ uxoris nuptam noviter induere prohibet: illa etiam ob periculi metum lubens obſecundat. Habent autem contrafrigus

gus munimentum aliqvod mulierculæ noſtræ, qvod vernaculâ lingvâ Muff appellant, cui manum utramqve imponunt: Nihil exinde maritus mali metuens, cùm pellibus Zobellinis obductum & proptérea valde pretioſa res eſſet, uxorem hac veſte uti concedit. Ipſa ſtatim tuſſire incipit, tuſſisqve aucta tandem in Phthiſin, hæc deniqve in mortem, adhibitis licet mille remediis, deſiit.

§. 9.

An uxore ad Coitum ineptâ, maritus ob denegatum ab uxore congreſſum, ad conſervationem ſanitatis & morbos ex intermiſſa Venere orientes impediendos Concubinam alere poſſit? v. Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. Centur. 6. Caſ. 71. p. m. 1624.*

CAPUT XIII.

De Hermaphroditis & Sexum mutantibus.

§. 1.

HErmaphroditos nunqvam in rerum naturâ inventos, sed mera figmenta eſſe, tradit Clemens Alexandrinus, qvem tamen hac in re valde erràſſe, varia in ſeqventibus adducenda Hermaphroditorum exempla docent, ut ita de hôc ullam dubitationem aut diſceptationem ſuſcipere planè ſupervacaneum ſit. v. Jac. Moller. *de Hermaphrod. cap. 3. p. m. 156. ſeq.* *An dentur Hermaphroditi?*

§. 2.

Hermaphroditorum denominatio.

Eorum Denominatio descendit à Græco Vocabulô ἑρμῆς, qvod significat Mercurium, & ἀφροδίτη, Venus, ab ἀφρός, spuma, qvia Venus ex spumâ genita Poëtis dicitur; siqvidem ex Mercuriô & Venere Virum qvendam, utriusqve sexûs, masculini scilicet ac fœminini, participem, hujus nominis, pronatum esse, olim finxerunt; hinc Ovidius *Lib. 4. Metamorph.* scribit:

Mercurio puerum & divâ Citheride natum
Najades Ideis enutrivere sub antris,
Cujus erat species, in qvâ materqve paterqve,
Cognosci possent, nomen qvoqve traxit ab illis.

Et juxta Auson. *Epigr. 98.*

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere,
Nominis ut misti, sic Corporis Hermaphroditus.

§. 3.

Androgyni.

Aliò vocabulô Hermaphroditi etiam vocantur Androgyni ab ἀνὴρ, ἀνδρὸς Vir & γυνὴ, mulier, qvasi viri fœminæ seu viri & fœminæ. Aliô etiam sensu olim Androgyne dicebatur Amæsia Sentia, qvia videlicet sub specie fœminæ virilem animum gerebat. Rea enim Causam L. Titiô Prætore judicium cogente, maximô populi concursu egit: Partesqve omnes ac numeros defensionis non solùm diligenter, sed etiam fortiter executa, primâ actione, cunctis penè sententiis liberata est, vid. Valer. Maxim. *Lib. 8. cap. 3. pag. m. 668.* Econtra etiam qvandoqve Androgyni audiunt Viri effœminati, culti & Veneri dediti. Inqvit enim Clemens Alexandrinus: Qvid de his dixerit qvispiam, qvi tanqvam Metoscopus ex figurâ divinat, cùm eos viderit adulteros, Androgynos atqve effœ-

effœminatos, utriqve Veneri deditos, pilis infestos, glabros, florem virilem abhorrentes, comas autem non secus ac mulieres ornatos, &c. v. Jac. Moller. *l. a.* Nonnulli etiam Hermophroditos, διφυεῖς, qvasi duas habentes naturas, item ἀνδρόθηλυας & ἀρσενόθηλυας, qvasi virum & fœminam dicunt, vid. Christ. Neandr. *Bacchanal. Membr.* 3. *Sect.* 1. *pag. m.* 54. Caspar. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib.* 1. *cap.* 1. *pag. m.* 14. *seqq.*

§. 4.

Suidæ eqvidem Hermaphroditus is dicitur, qvi turpiter & facit & patitur adversus & aversus impudicus, & Paulo Zacchiæ, *Quæst. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Quæst.* 8. §. 1. *fol. m.* 591. Hermaphroditi audiunt, qvi sexu sunt indistincti, nempe qvi vel neutrum vel utrumqve habere videntur; hocqve nomine dictus Autor comprehendi vult qvoscunqve, qvi aliqvando in sexûs qvalitate dubium excitare possunt. Et Christophorus Neander, *Histor. Bacchanal.* ad Qvæstionem: Qvid sit Hermaphroditus? Respondet: Qvi qvodam delinqventis naturæ ludibriô sic utriusqve sexûs ostentat imaginem, ut neutrius retineat veritatem. Secundum Roderic. à Castro *de Natur. Mulier. Lib.* 3. *cap.* 12. *pag. m.* 144. Hermaphroditus est complexus utriusqve sexus, masculi scilicet ac fœminei, seu qvi gemina habet genitalia, alterum maris, alterum fœminæ; Item juxta Jac. Pancrat. Brunon. *Lexic. Med.* Hermaphroditus dicitur, cui vitiosa est genitalium conformatio, ita ut utriusqve sexûs pudenda adsint, vel adesse videantur. Et Christiano Vatero, *Physiolog. experiment. Sect.* 4. *cap.* 5. *Quæst.* 7. *p. m.* 316. Hermaphroditi sunt animalia, qvæ utriusqve sexûs maris & fœminæ genitalia habent, alia qvidem perfectiora, alia imperfectiora, ita tamen, ut dubium oriatur, cuinam sexui accenseri debeant.

Definitio.

§. 5.

Species. Cùm autem non una eademqve in Hermaphroditis observetur Conformatio, hinc etiam Autores varias eorundem Species statuerunt. Scribit enim Leonides eorum qvatuor videri species, ac in hominibus seu maribus, qvidem tres, in mulieribus unam; siqvidem in Viris, qvandoqve in Perinæô, qvandoqve verò in Oschei meditulliô hirsutior se promit pudendi muliebris effigies. Tertius autem modus, qvô ex Oscheô, velut pudendô, urina profunditur. In mulieribus verò supra Clitorium in ephebeô virilis membri positio comperitur. Nec testiculorum abest prominentia infra Colem; juxta Verba Lud. Cœlii Rhodig. *Lection. antiqv. Lib.* 15. *cap.* 10. *fol. m.* 558.

§. 6.

Item. Alii Hermaphroditorum qvatuor Species seu differentias secundum Sexûs efficaciam aut inefficaciam constituunt, qvibus prima differentia dicitur Hermaphroditus Mas, qvi Sexum virilem perfectum & validum, in Perinæô tamen rimam minimè perviam ad formam vulvæ efformatam habet, per qvam nec seminis, nec lotii qvicqvam emittit. Secunda est Hermaphrodita fœmina, qvæ præter vulvam naturaliter & rectè constitutam, & semine, lotiô & mensibus manantem, adhuc circa Os pectinis carneam qvandam & cutaneam habet substantiam, ad membri virilis similitudinem; arrectionis tamen & profusionis Seminis impotentem scrotoqve & testibus carentem. Tertia est illorum Hermaphroditorum, qvi utriusqve eqvidem sexûs expressam habent imaginem, sæpiùs adverso sibi situ respondentem, inefficacem tamen utrumqve sexum ad generationem seminisqve profusionem experiuntur, imò alterutrô tantùm ad mictionem conferente, qvando-

doqve etiam nullô, cum per foramen aliud, juxta adnatum, urina exit; de qva specie Ausonius, *l. a.* dicit;

Concretus sexus, sed non perfectus utroqve
Ambiguæ Veneris neutro potiundus amore.

Qvarta illorum differentia est, qvi utroqve sexu valent marisqve & fœminæ munera potenter obeunt, qvod utriusqve genitalia omnibus numeris, atqve conditionibus ad perfectum usum & generationem necessariis completa & perfecta, imò mammam dextram mari, sinistram fœminæ similem habeant. vid. Casp. a Reies, *Camp. Elys. jucund. Quæst. 48.* §. 44. *pag. 599.* Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib.* I. *cap.* 4. *pag. m.* 34. Ambr. Paræi, *Oper. Lib.* 24. *cap.* 4. *fol. m. 550.* Joh. Nicol. Pfizer. *de Natur. Mulier. Lib.* I. *Sect. 3. cap. 29. p. m. 225. seq.* Roder. à Castro, *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap.* 12. *pag.* 144.

§. 7.

Qvadrupliciter etiam, sed aliô modô, omnes Hermaphroditos distingvit Paulus Zacchias, *Quæst. l. a. Qv. 8.* §. 4. *fol. 192.* & qvidem primò à Conformatione genitalium; secundò à situ eorundem; tertiò à potentiâ coëundi; qvartò à potentiâ generandi. A genitalium conformatione distingvuntur, qvia nonnulli neutrum sexum, ut Natura reqvirit, rectè constitutum habent; alii contra utrumqve rectè, saltem qvoad externas partes; alii deniqve unum naturaliter & rectè conformatum, alium neqvaqvam. Alii situ distingvuntur, cùm alii sexum habeant unum sub aliô, alii unum in aliô, alii verò ambos lateraliter positos. A potentiâ coëundi distingvuntur, qvia nonnulli sunt potentes in alterutrô tantùm sexu, alii in utrôqve, alii in neutrô. Sic eodem modô distingvuntur à potentiâ generandi, &c. Plures insuper recensentur

tur

tur Hermaphroditorum differentiæ, dum nimirum alii in maſculinô ſexu, alii in fœmininô, alii tandem in utroqve prævalent; qvem & alii, mares ne an fœminæ potiùs ſint, non manifeſti fiunt, utrôqve ſexu, qvod oculis uſurpare liceat, orbati. Rurſus alii in primô ſtatim ortu ſeſe produnt, ut ſtatim pro Hermaphroditis agnoſcantur; alii verò poſt tempus & qvidem demum circa annos pubertatis Hermaphroditi evadant, ita ut fœminæ vel pro fœminis habitæ, tempore primæ Menſtruationis inſtante, per rimam in locô naturali mentulam exſerant, atqve, qvæ antea pro fœminâ habebatur, in Maſculum vel Hermaphroditum mutata videatur.

§. 8.

Qvinqve ſpecies. Hinc etiam Nicolaus Venette, *Tr. Gallicô de la Generation del' Homme ou Tableau del' Amour* Part. 4. *Art.* 3. *cap.* 4. *p. m.* 609. *ſeq.* qvinqve numerat Hermaphroditorum ſpecies, ſeqventibus verbis: Les premiers ont toutes les parties naturelles d'un homme fort bien faites, ils urinent & engendrent comme les autres hommes; mais avec cette difference, qv'ils ont une fente aſſez profonde entre le ſiége & la bourſe, qvi eſt inutile à la Generation. 2.) Les autres ont tout de meſme les parties naturelles d'un homme fort bien figurées, qvi leurs ſervent à faire les fonctions de la vie & de la Generation. Mais il ont une fente, qvi n'eſt pas ſi profonde, qve celles des premiers, & qvi eſtant au milieu de la bourſe preſſe les teſticules d'un Coſté & d'autre. 3.) On ne decouvre dans les troiſiémes aucune parties naturelles d'homme; l'on ne voit ſeulement qv'une fente, par la qvelle l'Hermaphrodite urine. Cette cavité a plus ou moins de profondeur, ſelon le defaut de la matiere, qvi a eſté employée à la former: Mais cependant le doigt en trouve aiſément le fond. Les regles ne coulent jamais par là, & cette eſpece d'Hermaphrodite

dite eſt un veritable homme auſſi bien qve les deux autres. Ce ſont ces ſortes d'Hermaphrodites qvi à l'âge de 15. ou de 18. ans deviennent Garçons de filles, qv'ils avoient eſté eſtimez auparavant. Témoin la femme de ce Pecheur, qvi, au rapport d'Antoine de Palerme, devint homme, apres 14. ans de Mariage. Toutes les parties d'un homme, luy ſortirent tout d'un coup, & elle parut alors à ſon mary auſſi vaillante qve luy dans l'action naturelle des hommes. 4.) Les qvatriemes ſont des filles, qvi ont le Clitoris plus gros & plus long, qve les autres, & qvi par là impoſent au peuple, qvi n'eſt pas ſavant dans les parties, qvi les compoſent. Ce ſont celles, qve les Grecs appellent τρίβάδες, dont les François ont formé leurs mot de Ribaudes, & c'eſt auſſi de cette eſpece d'Hermaphrodite, dout Columbus dit avoir examiné les parties internes & naturelles, ſans y avoir trouvé aucune choſe eſſentielle differente de parties naturelles des autres femmes. La ſeule marqve, qve ce ſont des filles, c'eſt, qv'elles ſouffrent tous les mois l'ecoulement de leurs regles. 5.) Enfin, les cinqviémes ſont ceux, qvi n'orntl'uſage ny de l'un ny de l'autre ſexe, & qvi ont les parties naturelles ſi confuſes, & le temperament d'homme & de femme ſi melé, qve l'on auroit delapeine a dire, le qvel l'emporte ſur l'autre. Telle eſtoit la Bohemienne, qvi pria le meſme Columbus de couper ſa verge & d'elargir le conduit de ſa pudeur, pour avoir la liberté, diſoit-elle, de ſe joindre amoureuſement à un homme. Mais c'es ſortes de perſonnes ſont plûtoſt une eſpece d'Evnuqve, qve d'Hermaphrodite; leur Verge ne leur ſervant de rien & les regles ne leur venant jamais. Hæc Venette.

§. 9.

§. 9.

Alia differentia. Præter adductas autem Hermaphroditorum differentias, imprimis ratione loci, variè interdum adhuc ludit Natura, unde in puellô hermaphroditô, præter partes viriles in *Vulva in ano.* locô naturali, vulvam seu vaginam uterinam in anô Casu deprehendit Christianus Menzelius, cui Anno 1676. Mense Augustô, in Castris Brandenburgicis ad Anclamum Pomeranorum locatis apud multos Dysenteriâ & febre malignâ decumbentes Praxin medicam exercenti, oblatus fuit infans masculus, vix tertium anni qvadrantem ætate superans, Dysentericus, ex plebejâ stirpe minimè oriundus. Puellus hic cùm ultra octiduum laborâsset Dysenteriâ, & ea muliercularum medicastricum ope jam esset sublata, accedenti Menzelio videbatur insultibus epilepticis iisqve lethalibus decumbere. Cumqve inter cœtera Indicantia Clyster esset applicandus & nemo in castris adesset, qvi manum Operationi huic adhibere gnarus esset, ipse Mentzelius Enema paravit, idqve Instrumentô aptô infantulô infudit, ne aliqvid damni imprudentiâ alterius administrantis pateretur. Cùm itaqve Canaticulum Oleô Amygdalarum dulcium oblitum catâ satis manu ano admovisset, ut sine noxâ & dolore posset penetrare, Sphincterem ani (qvi in Dysentericis qvidem relaxari solet,) adeò amplum invenit, ut is primô statim intuitu ipsi potiùs membrum muliebre, qvàm anus videretur. Rima erat oblonga, ampla, labiis septa, qvæ rugis qvibusdam, sed paucis, erant plicata, aniqve partim Sphincterem, partim vulvæ labra præsentare videbantur. Præterea cùm Syringam hinc inde in anô laxô agitâsset Mentzelius, nec tamen illam penitus intrudere posset, cùm semper aliqvid obstare deprehenderet, qvaqvaversum canalem movebat, & liqvor enematis etiam reflueret, paulò superius versus Os Coccygis reperit ingressum, qvô Syringa pe-

penetrabat, & Clyster plurimam partem infundi posset. Dubius igitur, an aliqvid monstrosi & hermaphroditici subesset in tenerô hoc subjectô, diductis labiis externis, rugis qvibusdam sphincterem ani mentientibus, invenit Nymphas & Carunculas versus abdomen; inter qvas hiatus erat, pro vaginulâ Uteri. Paulò superiùs versus dorsum sphincter erat Intestini recti, minimè, ut aliàs, corrugatus, sed tanqvam duabus membranis rubris, ex adverso sibi correspondentibus, alvi excrementis exitum præbentibus, compositis, &c. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 8. Obs. 8. pag. 8. seq.* ubi figuram reperies.

§. 10.

Nec videtur hic prætereundum, qvod Baltasser Bonannus de juvene qvodam retulit, qvem pauperculæ mulieris filium, ætatis annorum duodecim, conspexit, in reliqvo corpore nullam omninò imperfectionem habentem; hic tamen in mediô Crure dextro, in parte Silvestri vel externa prope Ilii Os, Vulvam sortitus erat, non modò labellis & rimâ conspicuam, sed etiam pilis obductam, omnibusqve numeris, qvantum ad extra promittebat, absolutam; nam labris diductis nihil præter subjacentem carnem apparebat, nec neqve ullum pervium foramen conspiciebatur. v. Paul. Zacch. *Qvæst. medic. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 9. fol. m. 603.*

§. 11.

Sic vulvam in aliô locô annotavit Rueffius, Annô scilicet 1519. Tiguri Hermaphroditus vel Androgynus natus est, supra umbilicum egregiè formatus, sed circa umbilicum rubeam Carnis massam habens: sub qvâ membrum muliebre, & infra hoc, loco convenienti, qvoqve virile. v. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 520.* Iconem Hermaphroditi, cui su-

ſupra membrum virile, muliebre pudendum, inutile tamen, contigit, depingit Caſparus Bauhinus, *de Hermaphrod. pag.m.* 578.

§. 12.

Vulva in Perinæo. Ut autem illorum qvoqve, qvi præter perfectum ſexum virilem ſeu omnia organa virilia generationi inſervientia, in Perinæo eqvidem rimam, inſtar vulvæ muliebris, minimè tamen perforatam, habent, ideoqve Autoribus Hermaphroditi mares audiunt, nonnulla exempla adducam, Hermaphroditus qvidam vir, qvem Realdus Columbus vivum ſummâ diligentia inſpexit, hôc modô habebat. Penis aderat cum Scrotô teſtibusqve, ſub qvibus in Perinæô ſeu taurô, qvô loco (inter anum ſcilicet & teſtes) fit ſectio, pro extrahendô Veſicæ lapide, foramen qvidem perſtabat in vulvæ morem, ſed non penetrabat. v. Reald. Columb. *de Re anatom. Lib.* 15. *p. m* 495. Militis cujusdam Hermaphroditi, atqve ad propugnacula Urbis Anclami occiſi Cadaver denudatum inter reliqvos occiſos cum ſuis genitalibus utriusqve ſexûs fuit conſpectum, ubi membrum muliebre Perinæi locum occupabat, uti Chriſtianus Mentzelius locô paulò antè allegatô delineavit. Sic Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente, *de Chirurg. Operat. fol.m.* 276. refert, ſe in Viro inter anum & teſtes, ſtatim ſub teſtibus, præter ſua genitalia membra, efformata qvoqve labia vulvæ obſervâſſe, ſine tamen aliqvâ cavitate, ita, ut videretur, naturam voluiſſe vulvam & pudendum mulieris efformare, fruſtratam tamen fuiſſe. Interdum in Hermaphroditis maribus in Perinæô pudendum muliebre non planè clauſum aut impervium, nihilominus tamen otioſum atqve nec lotium, nec tributum lunare emittens reperitur, qvale exemplum refert Georgius Hannæus, *Act. Hafn. Vol. IV. Obſervat.* 79. *p.* 184. Qvandoqve etiam taliter conſtituti Hermaphroditi mares

res

res per dictum foramen apertum urinam, instar mulierum mittant, unde etiam pro fœminis habentur, qvale exemplum ex fratris sui observationibus recenset Casparus Bauhinus, *l. a. Lib. 1. cap. 32. pag. m. 341.* Vidit, inqviens, Johannes Bauhinus, frater meus, corpus puellæ annorum circiter octodecim, qvæ habitu universô, vestitu & capillis, puellæ similis erat, cum puellis cubabat & perpetuò pro ancillâ serviebat. Qvæ cùm Peste mortua esset, corpore totô ectimatibus multis, magnis atqve lividis notatô, & jussu Magistratûs cadavere inspectô, reperta est, habens testiculos duos magnos, membrum virile etiam magnum: pubes pilis nigricantibus pubescebat. Hæc puella existimabatur, qvia sub Cole, qvæ parte pubi adhæret, foramen parvum conspiciebatur, per qvod more mulierum reclinatô Corpore mingebat. Apertô postmodum cadavere, uterus nullus repertus est, & aliis masculis similis erat. Videbatur etiam cum puellis rem habuisse, præputium enim facillimè retegebatur, nulla sordities circa balanum, mammæ nullæ: Cole dissectô, nervi duo ampli porosi conspecti, urinarius verò ductus nullus. Johannes Christophorus Bautzmannus, *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Observat. 26. pag. 49. seq.* Pueri triennis meminit, in qvo Glans Penis erat inversa atqve in apice non perforata, sed in regione fræni, superius visibilis per parvulum foramen paulisper scaturiebat. In radice autem Penis sub osse pubis fissura erat transversa, instar Vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundo è duobus orificiis copiosior Urina propullulabat. Nonnulli Hermaphroditi mares externè testiculis & scrotô carent, solô Pene relictô, nihilominus coëuntes, secundum Observationem à Casparô Bauhinô *l. a. cap. 23. p. m. 346.* communicatam: Ille scilicet Anno 1609. cum Felice Platerô examinavit qvandam in Præfecturâ Waldenburgicâ, Ditionis Basileen-

 sis,

ſis, Patre Jacobo Bürge ruſtico natam, & Annam baptiſatam annorum circiter viginti trium: hæc, cùm in eadem præfecturâ ruſtico pro famulâ ſerviret, ruſticus animadvertens, famulam in majori apud Uxorem, qvam ipſe foret, gratiâ eſſe: ſiniſtram de famulâ Opinionem concepit: qvare rem ad Magiſtratum detulit, & famula examinata ſe magis virum, qvàm fœminam, eſſe pronunciavit. Qvibus auditis, Magiſtratus dictis Medicis examen ſerium commiſit. Hæc ergò in Inſpectione corpore erat ſatis procerô, macilentô tamen, voce virili, capillos longos habens, mentum lanugine obſitum, (pilos enim prodeuntes volſellâ evellere ſolebat,) mammis carebat: pube erat pilosô, Pene longô præputiô denudatô & bene attritô: Scrotô & teſtibus propendentibus carebat; ſub Pene in Perinæô, ubi Calculi extrahi conſvevêre, rima afferebatur oblonga, medium circiter digiti articulum profunda, cui podex jungebatur. Hinc Virum potiùs, qvàm fœminam agnoverunt eum Medici. Interrogatus de Venereis actibus, confeſſus, ſe cum pluribus meretricibus rem habuiſſe & cum voluptate & cum ſeminis profuſione. Inſuper qvando vel rem haberet, vel ſolùm incaleſceret peniſve erigeretur, in ingvine dextrô teſticulum protuberare affirmavit, qvod etiam tangendo perſenſerunt Medici: à ſiniſtris verò nil unqvam, nec extra, nec in Conflictu Venereô perſenſiſſe, nec etiam ex rimâ vulvam æmulante qvicqvam unqvam effluxiſſe, ipſe teſtabatur. Qvare Magiſtratûs juſſu poſt pœnam inflictam Capillis, qvos more fœminarum alebat, reſectis, habitum & nomen mutavit.

§. 13.

Hermaphrodita, fœmina. Differentia.

In Hermaphroditis fœminis, quæ nonnullis in Specie Andriæ audiunt, præter partes muliebres rectè conformatas adhuc ſubſtantiam qvandam carneam peniformem in Vulvâ ano-

notari; jam supra diximus; differt tamen harum partium conformatio, siqvidem in aliis talis excrescentia peniformis in vulvæ parte interiore circa internum uteri orificium exorta, in aliis in inferiore Cunni parte, & in aliis in superiori, in locô Clitoridis, reperitur. Item in nonnullis talis substantia est perforata, in plerisqve tamen imperforata, ita, ut nullum ex tali pene Semen ejiciatur. Porrò in qvibusdam talis excrescentia paulò post partum, vel ad minimum in puellis adhuc observatur, in qvibusdam verò demum post aliqvot annos, & imprimis circa pubertatem penis ex Vulvâ prorupisse scribitur, ut ita puellæ in pueros permutatæ credantur; In ejusmodi autem Casibus ordinariè membrum virile in muliebri reperiri videmus. Et qvamvis talis in Vulvæ parte imprimis superiore procrescens penis, meâ qvidem sententiâ, plerumqve tantummodò pro Clitoride, â nimiô pruritu venereô ac crebriori fricatione in adultioribus, vel â matrum imaginatione, vel ab aliâ causâ in majorem molem excrescente, habendus sit, sicqve potius ad vitiosam genitalium muliebrium Conformationem pertineat, cum aliis tamen Autoribus taliter constitutas fœminas Hermaphroditis annumerare atqve aliqvot earundem exempla annectere placet.

§ 14.

In interiore Vulvæ parte circa internum Orificium exortam Penis substantiam annotavit Paulus Zacchias, *Qvæst. med. leg. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 9. §. 16. fol. m. 603.* & qvidem in muliercula qvadam, qvæ partes genitales ita habebat constitutas: Intra Uteri labra supra meatum urinarium, versus internum Uteri osculum procedendo, carnosa qvædam moles conspiciebatur, speciem virilis membri præ se ferens, crassitudine virilis mentulæ mediocris crassitiem excedens, longitudine, cùm externa esset, qvinqve transversorum digitorum qvantitate: in *Penis circa orificium internum.*

 sum-

ſummitate Corpus apparebat virilis membri glandi reſpondens, ſed præputiô deſtituebatur, cujus vicem ipſa Uteri pterygomata ſupplere videbantur: à parte ſupernâ calloſæ erat ſubſtantiæ: Glans, ut ita dicam, transverſaliter perforata erat, ſed orificium minimum penè digitum admittebat; per hoc nulla urina reddebatur, ſed per meatum, unde cæteris fœminis ſolet effluere. Menſtrua illi, ut referebat, partim per hoc ipſum orificium, partim ſub eô ex intimiore & inferiore Uteri parte prodibant; nam ſub hac carneâ mole pervius erat meatus valde exilis, qvi inditô in ejus molis orificium per ſiphonem vinô, mulsô aut aliô qvovis liqvore; conſpicuus fiebat, per eum enim is liqvor ex parte cum flatu qvodam prodibat. Nymphæ hinc inde ab Uteri labris admodum exiles erant. Moles hæc, qvicqvid eſſet, intra pudendi labra delitescens, vel tuſſiente, vel ridente mulierculâ, ad duorum digitorum transverſorum qvantitatem foras exiliebat, (qvod fortè Uteri corpus eſſe denotare poſſet,) cùm verò arrigebatur (qvod contra, non eſſe Uteri corpus teſtari poteſt,) tenſa ac dura, ut retulerunt, evadebat, & in majorem molem excreſcebat. Eâ mulieres alias ſe compreſſiſſe fatebatur & per illam ſe ſemen emiſiſſe. Tunc temporis per glandis hujusce orificium veluti Gonorrhœam patiebatur, & in ipsâ Glande ulcuſcula apparebant, nullô dolore inſignia; nam Chirurgus, absqve ullâ mulieris moleſtiâ,& foràs molem illam manu educebat & intrò impingebat. Cùm iniretur, ut ipſa narrabat, mentulæ virilis glans in ſuam ipſius glandem impingens, membrum muliebre ad Uteri interiora clauſtra impellebat, ex hoc factum eſt, ut trudente membrô virili glandem muliebrem, Ulcera & Gonorrhæam contraxerit. Aſpectus fœminæ hujus muliebris, ſed vox craſſiuſcula, mammæ etiam craſſiuſculæ, ac inter ſe pares, nec vultu erat ingratô: Pudendi

rima

rima non magna, imò mediocri minor: Clitoris qvàm minima, pili in pube non multi, in podice nulli. Hanc fœminam nonnulli viri doctissimi Hermaphroditam esse voluerunt, & molem illam carneam membrum virile; alii eandem Uteri pati procidentiam, & molem illam esse uteri fundum inversum putârunt, & ipse Paulus Zacchias hanc substantiam peniformem non simplicem Carnis excrescentiam esse judicat, qvia per eam mulier illa spermatizabat, & semen crassum & album per eam ejaculabatur; Qvidnam autem fuerit, aliis dijudicandum relinqvit.

§. 15.

In infimâ Vulvæ parte enatum penem vel huic simile idem Autor *l. a. fol. 604.* annotavit seqventibus verbis: Scortum vivit adhuc Romæ exoletum, non ingratô aspectu, habitûs succipleni, staturâ mediocri, calidioris temperamenti, cui nomen est Elisabethæ, patriâ Urbinas, ætatis annorum qvinqve supra qvadraginta, qvô nullum alium Hermaphroditum sexum habere utrumqve tam benè distinctum vidi. Constituebatur autem, qvô seqvitur modo: Uterum qvoad externa optimè conformatum habebat, mediocrisqve magnitudinis, qvin etiam diductis labris nihil se in conspectum dabat, qvod à cœteris fœminis distabat, in imâ tantùm parte ipsius Uteri, prope Perinæum, labris diductis, levis qvidam ac vix perceptibilis tuberculus apparebat, qvi, fœminâ in Venerem accensâ, sensim succrescens in verum penem evadebat, cujus longitudo ad qvinqve transversorum digitorum mensuram ad summum ascendebat; Crassitudinis erat pollicaris ac fortè crassioris; glandem absqve præputiô habebat ex carne molliore ac spongiosâ, sed imperforatam; tantâ verò duritie erectus ipse penis constabat, ut nullum virilem Penem illi duritie æqviparandum existimem. Ad ejus radicem duo corpuscula glandulo-

Penis in infimâ Vulvæ parte.

dulosa, veluti testes, fabam mediocrem communem æqvantia, extabant. Pueros & puellas calcandi erat avidissimum, & animô erat virili & masculâ audaciâ promptô. Filios nunqvam concepit, à Congressoribus initi, ubi erectô Pene persisteret, nullô modô poterat. Bis terve illud contemplatus expertissimum Chirurgum, Nicolaum Larche, ad illud visendum convocavi. Hæc Zacchias.

§. 16.

Clitoris magna. Clitoridem nimis excrescentem in Hermaphroditis Virgam virilem effingere, exemplis confirmat Isbrandus de Diemerbroc, *Anatom. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 153. seq.* In Hermaphroditis, inqviens, Clitoris pars est, qvæ increscens virgam virilem effingit, ut ex eô patet, qvod in rimâ ejus glandis nulla manifestè conspicua perforatio observetur, qvamvis testes ei foris à lateribus stare videantur. Talem Hermaphroditum memini, me qvandam in Galliâ, prope Andegavium vidisse, ætatis 28. annorum, qvi circum Os, instar viri, totus barbatus erat, sed tamen muliebri vestitu utebatur, suaqve genitalia pro vili pretiô conspicienda exhibebat. Huic superiore pudendi parte Clitoris excreverat ad medii digiti longitudinem & mentulæ virilis crassitiem, cum glande, frenulô & præputiô, uti in viris esse solet, excepto, qvòd fissura glandis non esset pervia: Inferius meatus urinarius & vagina Uteri adstabant, ut in mulieribus; in Singulis pudendi labiis unus testis continebatur. Similem Hermaphroditum Anglum, ætatis 22. annorum, Anno 1668. cum plurimis aliis Spectatoribus, vidimus Ultrajecti: de qvô referebat ejus Conductor, qvod perfecta fœmella natus esset, & inter qvintum sextumqve annum ei genitalia immutari cœpissent, atqve decimô ætatis annô ei penis omninò conspicuus factus fuisset. Penem ejus protuberantem vidimus circiter ad semi-digiti longi-

gitudinem, ſed in rimâ glandis non perforatum; (rima erat ejusdem figuræ, ut in pene virili,) formâ peni virili non abſimilem, cui Nympharum coalitus præputium efformabat, qvô glans ad dimidium tegebatur, ut in Viris. Hunc penem per cogitationes libidinoſas ad digiti longitudinem extendi, referebat ejus conductor. In Singulis pudendi labiis, tanqvam in ſingulis ſaccis ſeu ſcrotis, concludebatur unus teſtis. Paulò infra Clitoridem meatus urinarius & Uteri Vagina (id eſt, utriusqve introitus) conſiſtebant. Narrabat etiam Conductor, ei menſtruas evacuationes ſingulis ſtatis menſtruis periodis fieri, ut aliis mulieribus, & in magnâ libidine ſemen etiam foràs profluere, ſed ipſum hermaphroditum neſcire, anne per penem, an verò per muliebria, ſeu vaginam uterinam efflueret. Mammæ non erant multùm tumidæ: pectus & femora nonnihil hirſuta virile qvid deſignare videbantur, ut & vox gravis, atqve etiam Capilli in Capite copioſiſſimi & criſpi, nec non barbæ conſpicua rudimenta circum Os in labiis erumpentia. Veſtitu muliebri tunc utebatur, qvem tamen, propter barbæ incrementum, ſeqventi annô eum rejeciſſe & virilem veſtitum aſſumpſiſſe vidi. Hucusqve Diemerbroc. *l. a.* ubi addit: ex qvibus omnibus ſatis patet, hujusmodi Hermaphroditos non eſſe verè utriusqve ſexûs participes, ſed eſſe revera fœminas, qvibus genitalia ſunt malè conformata, ſcilicet teſtes extra abdomen in labia deſcenderunt, & Clitoris in nimiam longitudinem increvit.

§. 17.

Aliud exemplum recenſet Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 75. pag. 169. ſeq.* Civis qvidam, inqviens, in vicinô aliqvô oppidô honeſtè natus & honeſtè educatus, nec inhoneſte vivens, ſimili, id eſt, honeſtô propoſitô matrimonium ingreſſurus, eligit ſibi virginem, parentum hone- *Alia exempla.*

 ſto-

ſtorum filiam, famæ itidem non inhoneſtæ. Dum Conjugii debitum Sponſæ ſuæ perſolvere aggreditur, dapes haſce venereas neutiqvam experitur ita dulces, veluti qvidem easdem ſibi promiſerat; (primâ autem vice, dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim ſuam in novellæ uxoris rem immiſſurus, invenit portam hancce nimis anguſtam & vix duos digitos transverſos amplam; Et qvod majus adhuc fortunæ adverſæ obtigit tragicum ſymptoma, mentula conatu violentiore intruſa ſenſit aliqvid interiùs contrà audentiùs ire audens, atqve ita huic introitum ſummè dubium reddens. Miſellus iſte cœci Cupidinis miles duellum hocce amatorium præter opinionem ingratum ſatis ægrè ferens, ex amicis clanculum ſciſcitatur aphrodiſiorum caſtrorum exercitia conſvetasqve circumſtantias; atqve ita de hiſce certior factus, de deſideratâ Caſtelli hujus mirabilis atqve miſerabilis expugnatione deſperat; propterea rem geſtam Magiſtratui Eccleſiaſtico denuncians, divortium petit, &, qvod petit, obtinet. Ocularis enim inſpectio, Magiſtratûs juſſu, à peritô Chirurgô inſtituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duos ſaltem digitos transverſos eſſe amplum, atqve intra hoc ſuperiore parte membrum apparere virile, primô intuitu duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactûs in æqvalem magnitudinem adhuc excreſcere, durius inſimul redditum; Contrectatione accuratiore itidem edocente, ſub carne adhuc latitare ejus portionem digitum longam; Penem iſtum glande eſſe præditum non perforatâ, ac ſine præputiô; Labiisqve pudendi muliebris diductis ſolitas non apparere nymphas; Collô item Uteri anteriore exiſtente qvaſi cartilaginosè durô. Cæterum ſangvineæ illa erat Complexionis ac ſatis vegetæ, corpus obtinebat forte, vocem virilem, Mammis carens, barbæ rudimentis & viſum & ta-

tactum eludentibus, & qvamvis hinc 26. ætatis suæ annum absolverat, menstruum tamen fluxum nunqvam fuit experta. Modò dictis tamen non obstantibus, illa ipsa sese credebat fœminam, plurimis jam annis masculorum inhians amori ac contubernio, imò è congressu mariti matrimoniali delectationes & desiderans & sentiens, modò monstrosa conformatio & confusa partium genitalium structura hasce ipsi non invidisset. Alius Exempli Hermaphroditæ fœminæ mentionem facit Olaus Borrichius in Thom. Bartholin. *Epist. medicin. Cent. 3. Epist. 93. p. m. 403.* Visus, inqviens, Hermaphroditus triennis, cui Marthæ Nomen, qvod fœminæ esset vicinior, namqve virilis nota supra pubem eminens mentiebatur potiùs mentulam, qvàm erat, qvippe ex Carunculis rubicundis massa informis constabat, per qvas Urina guttatim reddebatur. Et ipse Thomas Bartholinus *l. a. Epist. 94. p. 406. seqq.* ad Olaum Borrichium de Hollandâ feminâ barbatâ, Ursulâ, annos natâ triginta duos, qvæ Hafniæ oberrans pro hermaphroditâ se jactabat, seqventia narrat: Ut barbam nigram tegat, velô utitur, unde & pro exploratore habita fuit in oppidis nonnullis, qvæ pertransiit, qvasi sexum mentiretur. Penem sat magnum monstrat, cum glande & præputiô infra Os pubis pendulum, & sub hôc osse rimam vulvæ angustam, vix pennæ anserinæ recipiendæ capacem, per qvam lotium mittit. Menstruô hactenus fluxu caruit, sed malè tamen habet novilunii tempore & varicosi sunt pedes. Urethra autem in Pene perforata non est, nec in scrotô testiculi propendent, virilitatem attestantes. Accuratè igitur sine paropiis intuenti mihi apparet esse Clitoris solitò major & prolixior. Eô enim locô conspicitur, quô in aliis Clitoris, in rimâ magnâ, quæ ab extremô hujus descendit ad Vulvæ orificium supra montem Veneris, ad latus labiis pudendi muni-

tus. Sic Scorto Romæ famosissimo à teneriori ætate insignis Clitoris obtigit, auricularis digiti magnitudine, quæ illi, cùm concumbebat, impedimento esse solebat, præcipuè si coëundi desiderió incensa esset, uti ab iis ipsis, qui eô usi fuerant, se accepisse scribit Paulus Zacchias, *Quæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qu. 9. §. 11. fol. m. 603.* Sequentem historiam de Hermaphroditâ, qvam Hagæ Comitum vidit & examinavit Henricus Sampsonius communicatam videmus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 168. p. m. 323. seq.* Pauperculæ scilicet cuidam Anno 1647. mense Februarii in pagô Agri Hamptoniensis, Ringrood dicto natæ, cui nomen Hannah Wilde, sextô ætatis annô inter saltandum cum pueris coætaneis, extuberantiæ duæ, pro Herniis bubonocelis habitæ, primum emicuere: qvibus in ordinem redigendis, Chirurgi diu operam luserunt: Testiculi enim erant, qvi jam prægrandes facti scrotis duobus cutaneis, parùm corrugatis, sed vix prominulis, pilisqve obsitis visebantur, ex qvibus divisis & elongatis confingebantur Vulvæ labia; Aderat Sinus muliebris, in qvô Nymphæ & Caruncula una vel altera myrtiformium locô. Erat & membranula, à Perinæô sursum tendens, mediam rimæ partem tegens, unde Peni virili introitus esse non poterat. Clitoris non habebatur, sed locô ejus Penis imperforatus, nisi forsitan is Clitoris dici debebat. Usqve ad decimum tertium ætatis annum pro fœmellâ habita est, cùm fortè pani subigendo strenuam navaret operam, derepentè Priapus hic, ad id temporis latens, magnô cum impetu foris erupit, accedente non levi corporis metamorphosi. Penis hic aliqvando erigebatur, tùm qvatuor pollices penè æqvabat; præputiô & frænulô, ut in viris fit, instruebatur; sed ubi perforatio fieri debebat, aderat tenuis membranula foramen obducens, ut nihil inde excerni posset. Uteri Vagina, qvantum videre

con-

contigit, in cœteris à communi seqvioris sexûs lege non recedebat; in qvam non pauci digitos intruserunt, qvare hymenem, si adfuisset unqvam, corruperunt; sed nec hoc efficere potuerunt, sine flexura articulorum propter membranam, mediam rimam obvelantem; ob qvam etiam non satis explorari poterat, sive oculis, sive digitis, qvomodo se haberet Uterus ipse, aut cervix ejus. Hæc tamen adfuisse verisimile. Cùm annorum esset sedecim, menstrua periodicô & modô debitô fluere cœperunt, & tunc temporis adhuc fluebant. Barba satis dersa eruperat, imò totum corpus erat pilosum; vox corporisqve habitus viros æmulabatur. Mammæ nullæ exsurgebant, papillæ perqvam exiguæ, pectus valde latum. Dicebat, se ad utrumqve sexum comparatum esse; cùm fœminas concupisceret, penis erigebatur, cùm Viros, flaccidus manebat. Oculos aliqvando conjiciens in Virum formæ venustioris, illum deperibat adeò, ut inseqventi die, præ amoris œstrô, in Passionem hystericam incideret, qvam comprobârunt elevatio abdominis, cantus, risus, fletus, uti & juvantia; Convaluit enim ex Emplastro de Galbanô regioni umbilicali applicatô, & aliis remediis hystericis exhibitis. vid. etiam *Act. Philosoph. Anglican. 1662. pag. m. 510. sq.* Frid. Ruysch. *Observ. anat. 12. pag. m. 33.* Dubitat eqvidem Henricus Sampsonius *l. a.* Utrum dicta Anna Wilde Vir vel fœmina sit; testiculos adesse mobiles, satis largos, extuberantes, scrotis contentos, suis oculis vidit: Priapus, qvi erigi & flaccescere capax erat, adhuc clariùs videbatur; qvare vir sit dicendus. Adsunt rima, Uteri Vagina, Nymphæ foramen intra pudendum pro urinæ exitu, qvare ad alterum Sexum relegetur, vel ad utrumqve, vel ad neutrum; Nobis tamen eandem Annam ideò Hermaphroditarum fœminarum numero adscribere placuit, qvia Clitoris, neqve pro Uri-

næ, neqve seminis excretione fuit perforata. Minimè tamen huc referendæ sunt Mulieres vel puellæ longiori tantùm Clitoride, absqve Virilis Organi signis, à Natura dotatæ.

§. 18.

Penis circa vaginæ latus.

Non ratione Clitoridis, sed membri virilis, circa sinistrum vaginæ uterinæ latus situm habentis, pro hermaphroditâ à Caroniô habetur mulier membrô simul virili instructa, qvæqve eâ in parte, strictâ ligaturâ factâ, eô consiliô, ut abscissa excideret, tumorem & inflammationem insignem sibimet accersiverat, mariti comminationes verita, se visitationem procuraturum. Penem qvidem dictum, sed testiculis orbum Caronius deprehendit, extra vergentibus, longitudinem qvatuor digitorum transversorum excedentem, ab osse pubis originem ducentem, situm ad Vaginæ latus sinistrum & medium vulvæ habentem; musculis donatum erectioni inservientibus, meatu qvoqve non secus ac vaginam orificio interno Uteri respondentem, adeò, ut in Concubitu Sperma emitteret, nec segnius, qvàm maritus, arrigeret; unde non levis molestia hinc accidebat. Qvantumvis autem sedulus fuerit dictus Caronius, in examine novæ istius hermaphroditicæ speciei, non eousqve tamen profecta est ejus curiositas, ut inqvisierit, qvid vices colli Vesicæ in hac muliere tenuerit. Id tamen reminiscebatur, canalem illius penis sat largâ humiditate persusum fuisse, ut conjecturæ locus fuerit, illac Urinam emisisse. v. Nicol. Blegny, *Zodiac. Medic. Gallic. Ann. 1. August. Observ. 8. pag. m. 129.* Hermaphroditis qvoqve Johannes Jovianus Pontanus, *de Reb. cœlest. Lib. 10. cap. 5. pag. m. 291.* adscribit puellam rusticanam, qvæ villico nupserat, huic enim, ubi puerum ex illo genuisset, virile membrum intra muliebrem naturam sese extulisse, illiqve, qvæ

non

non multis post mensibus diem obiit, ex eo partu maris atqve fœminæ natura promiscua infuisse dicitur.

§. 19.

Diximus etiam suprà, nonnullos Hermaphroditos utrumqve sexum lateraliter positos habere, qvod exemplo confirmat Thomas Bartholinus, *Histor. anatom. Cent. 2. Histor. 57. p. m. 238.* Grandæva scilicet mulier Hafniensis duobus viris robustis & habitu athleticô nupta, sine prole vixit. Ipsa corpore procerô & animô virili nullam viva unqvam ambiguæ naturæ suspicionem incurrit, Annoqve 1652. debitum fatis persolvit. Dum pollinctores fœminæqve Cadaver ad sepulturam lavant, deprehendunt utrumqve in Corpore sexum naturamqve muliebrem in dextris, virilem in sinistris. Beneqve mentulatam omnes attonitæ stupebant, qvæ nihil tale de bis Conjuge vel cogitaverant, vel inaudiverant; maritis enim robustis toties satiata semper satisfecit. Nullam tamen *l. c.* Scroti nec testiculorum mentionem facit dictus Autor, simul verò se Venetiis in Saturnalibus Anno 1645. infantem Hermaphroditum, utroqve membrô genitali ornatum, sed sine brachiis mutilum, vidisse addit. Hermaphroditi utroqve sexu donati, & qvidem genitalibus in Ingvine juxta se invicem positis, ut sexus fœmineus dextram, masculus sinistram partem occupet, Iconem communicat Casparus Bauhinus, *de Hermaphrodit. pag. m. 575.* Et *pag. 577.* Hermaphroditos Gemellos dorso cohærentes in agro Rorbachio ad Heidelbergam Anno 1486. natos, simileqve genitalium signum, & ita qvidem, ut in alterô Penis dextram & Vulva sinistram, in alterô verô Vulva dextram & Penis sinistram partem occupet, depingit. Horum Gemellorum ex Lycostene meminit etiam Johannes Schenckius, *Observ. medic. Lib. 4. fol. m. 520.*

Sexus juxta sexum.

§. 20.

§. 20.

Sexûs neuter sive dubius.

Exempla eorum, qvi neutrum Sexum rectè conformatum habent, adeò, ut neqve agere, neqve pati possint, neqve etiam Sexûs differentia dignosci qveat, ex Lycosthene pariter adducit Johannes Schenckius *l. a. fol. 519.* Sinivessæ, inqviens, natus infans ambiguô inter marem ac fœminam Sexu; item in Sabinis incertus infans natus, masculus an fœmina esset: Alter sexdecim annorum, jam item ambiguô sexu inventus. Et *fol. seq.* idem Autor ex Jacobo Rueff exemplum adducit infantis, de qvô non satis constabat, cujusnam sexûs esset. Prominebant qvidem testiculi, membrum præterea nullum. Infra testiculos ruptura erat, unde urina effluerer; sed qvia propter virgæ prominentis defectum (nec enim tota aberat, sed intrò conversa ad modò dictam rupturam deflectebat,) hanc natura Urinæ viam dedisset, non pro fœmellâ, nec androgynô, sed pro masculô hunc haberi placuit. Huc pertinet etiam Observatio Realdi Columbi, *Anatom. seu de Re med. Lib. 15. pag. m. 494.* Fœmina erat Æthiopica, mulier earum, qvas Cingaras appellant Longobardi, hæc neqve agere, neqve pati commodè poterat; nam uterqve sexus imperfectus illi contigerat suô magnô malô: Penis namqve minimi digiti longitudinem crassitiemqve non excedebat: vulvæ autem foramen adeò angustum erat, ut minimi digiti apicem vix intromitteret. Optabat misera, ut Columbus hunc illi penem ferrô evelleret, qvippe qvem sibi impedimento esse diceret, dum cum Virô coire exoptabat; Optabat etiam, ut Vulvæ foramen illi amplificaret, ut viro ferendo idonea esset. Columbus verò illius cupiditati satisfacere ausus non est, qvoniam id absqve vitæ discrimine fieri non posse existimavit. Secundum Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 9. §. 9. fol. m. 602.* Digni præcæteris memoriâ sunt ger-

germani duo fratres Sabinenses, ex Sanctô Geminô oriundi, qvorum alter alterô annô major erat. Eorum unus, nempe Johannes, puer qvatuordecim annorum, aspectu erat magis fœmineô, qvàm virili, vultu verecundô & frigidiuscula corporis temperaturâ, Capillitiô ex flavô albicante, staturâ mediocri, habituqve simili. Mammæ illi erant tenues, sed turgidiusculæ, qvàm in puerô ejus ætatis esse debent. Pili in Corpore nullibi. In pube virili pudendum apparebat exile ac breve, cum suô qvidem præputiô, sed glandem non cooperiente: Glans impervia omninò erat: Magnitudo penis minimi digiti extremum articulum parumper excedebat, flaccidæ erat substantiæ, & nunqvam erigebatur, ut ille ferebat; & qvidem, ut rationi consonum existimat Zacchias, qvòd pervium non esset. Sub hôc pudendô exilis rima conspiciebatur Perinæum in longum dissecans, ut in fœminis, qvæ qvidem prope ipsum pudendum pervia erat; inibi enim parvum exstabat foramen, qvod longum stylum admittebat, atqve inde urinam ejaculabatur, cujus perpetuam patiebatur incontinentiam, ita, ut ipse sæpe commingeret; Ejus rimæ officium non majus erat, qvam ut scriptorii Calami tenuis tenuiorem partem admittere posset. Prope hoc orificium rimam ipsam membrana intersepiebat, qvæ videbatur facilè incisioni cessura. Non tamen ex ejus incisione orificium majus evaderet; ab hôc interseptô rima Podicem versus superficialiter progrediebatur, ita, ut labellis diductis subjecta tantùm Cutis appareret. Testes in Ingvinibus exiles & molliusculi veluti glandulæ eâ in parte adnascentes. Menstruari cæpit annô decimô qvintô & fœmineâ veste ob id indutus; unde dubitare contigit, an verè glandulæ illæ in Ingvinibus Testes essent, nec ne. Carolus alter frater, ætatis duodecim circiter annorum, aspectu erat magis virili, staturâ mediocri & ætate conveniente, pilos in Corpore nullos habebat: rima magna in naturali situ

erat conſpicua, primôqve intuitu Penis nullus conſpiciebatur, cùm intra rimam lateret, & non, niſi labellis diductis, ſeſe proderet; minor erat, qvàm ut extremum articulum auricularis digiti æqvare poſſet; glande donabatur, qvæ ſimiliter, ac in Johanne, à Præputiô detecta & imperforata viſebatur. Apparebat tamen in ipſius glandis veſtigiô veluti veſtigium qvoddam foraminis. Sub Pene exile qvoddam foramen apparebat, qvod vix craſſioris aciculæ caput admittere poterat; per hoc urinam reddebat. Teſtes tactu inſignes in rimæ labris imâ in parte continebantur & Gallorum teſtes magnitudine æqvabant, compreſſi manum effugiebant. Idem Zacchias *l. a. Qvæſt. 8. §. 6. fol. 593.* fœtûs cujusdam, nullum inſignem ſexum habentis, meminit, qvem Johannes Faber diſſecuit. Hic enim ſexum nullum præ ſe ferebat, licet dehinc fœmella apparuerit in diſſectione Cadaveris & geminum uterum habere. De Hermaphroditô, primò pro puellâ, hinc pro maſculô habitô ſeqventem Obſervationem à Vitô Riedlinô, *Ephemerid. Academ. Natur. Curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 99. pag. 205.* communicatam legimus: Sub finem Menſis Novembris Anni 1707. cuidam Præceptori Claſſico Ulmæ natus fuit Infans, qvem Obſtetrix pro puellâ agnovit, unde & in S. Baptiſmo nomen Catharinæ Felicitatis ei impoſitum fuit; utut adſtantes ſtatim muſſitâriat, hunc infantem ſic ſe non habere, ac qvidem aliæ fœmellæ ſolent, qvà partes nempe genitales. Unde & fama emanavit, natum fuiſſe Hermaphroditum: qvod unum ex ſuſceptoribus permovit, ut Chirurgum qvendam veteranum eò miſerit, Infantem inſpiciendi & cujus ſit ſexûs? judicandi causâ; Qvi, ſeu jam ſolùm ſuperficiariò hunc inſpexerit, ſeu Parentes ſolari voluerit, judicavit, eum perfectum eſſe maſculum: cum qvò poſtmodum Medicus ordinarius, forſan iisdem de cauſis conſenſit. Utut ergo de S. Baptiſmi Veritate

&

& efficaciâ nemo dubitaverit, similiter tamen omnes consenserunt, aliud ei nomen esse imponendum; hincqve solenniter nunc Reinhardi Felicis obtinuit. Re verò ad Inclutum Magistratum delatâ, hic mandavit, ut Collegium medicum, exceptô unô, qvi jam judicium suum tulerat, ad Infantem se conferret & inqvireret, an reverà masculus, an verò Hermaphroditus sit? & si tale nomen mereatur, qvi Sexus in eô præpolleat? Ubi, cum huic mandato satisfactum fuisset, patuit, ex nudâ inspectione hunc infantem pro masculô haberi qvidem posse, dum Oculis penis justæ pro hac ætatulâ magnitudinis & stylo pervius se obtulit, simulqve non defuit pars, qvæ Scrotum repræsentavit; Dum verò manus admovimus, vix paululum remotô Pene ad latus hujus sinistrum itidem foraminulum inveniebatur, in qvod cereum ad longitudinem articuli digiti haud ita difficulter immittebamus; Linea insuper, qvæ alias Scrotum in duas dividit partes, sub Suturæ nomine Anatomicis veniens, in Viris elatior qvodammodo, in hoc rimam, qvin Vulvam coalitam præsentabat. Nec tantum propendebat, qvantum aliàs Scrotum solet, qvin pro nunc testiculis planè vacuum reperiebatur. Unanimiter itaqve statuebamus, non tàm pro mare verô, qvàm hermaphroditô hunc fœtum esse habendum, in qvô nunc qvidem sexus masculinus præpolleat, non sic tamen, qvin olim tempore pubertatis mutari res fœmininusqve præpollere posset, nunqvam tamen, qvamdiu sit superfuturus, utriusqve sexûs qvædam indicia defutura. Docet hæc Observatio, hodienum generari fœtus, qvi hermaphroditi nominari mereantur, in qvibus tamen, qvod & in hac relatione additum, vix unqvam utriusqve Sexûs genitalia planè perfecta inveniuntur, qvod & alii notàrunt; nemo verò, qvi has partes sic constitutas, cum iis, qvæ Autores de Hermaphroditis tradi-

derunt, conferet, hunc eorum numero inserere, vel minimum dubitabit. De Andriâ seu emasculatâ fœminâ, rusticâ gente in superiori Bavariâ editâ, seqventem observationem Miscellaneis Nat. Curios. *Dec. I. An. 2. Observ. 253. pag. 375.* inseruit Johannes Scultetus: Andria egena decimum qvartum ætatis annum agens, Martha Lechna nomine, literis commendatiis ostiatim victum qværitans, Anno 1671. ædes meas adiit, pro obtinendô viaticô. Lectis literis salvi commeatûs, copiam videndi, ut faceret hanc naturæ oberrationem petii; qvæ anteqvam inspiciendam se præberet, unà cum fratre suo, Jacobô Lechnâ, fassa est, se à primis ungviculis & dum sacra initi fœderis cum eâ celebrarentur, Hermaphrodisias suspicione detentam à potiori membri genitalis efficaciori signo, evirati Caspari impositione fuisse indigitatam; succrescentibus verò annis cùm & pudenda muliebris signaculi longiorem rimam evidentius ostenderent, circa decimum ætatis annum, alterum, qvod in ipso S. Baptismatis fonte insimul Marthæ nomen acceperat, pro diluendo sexûs dubiô reassumere parentes anxiè laborârunt. Bavara hinc Dialecto hæc Marthel vocata, Monachiumqve deducta est, atqve censuræ & inspectioni prudentissimæ sagacioris experientiæ Gratiosi Ordinis Medici ibidem commissa fuit; horum svasu Marthæ nomen in hunc usqve diem retinuit, atqve virili exutô habitu, ob perpetuum Urinæ stillicidium, muliebrem, utpote laxiorem, vestitum induit. Deinde dictus Scultetus partes genitales, additâ figurâ, describit: Pendulos scilicet testes cum scrotô vidit, supra qvos brevior, ac natura in viris finxit, præputii ac penis effigies imminebat, siqvidem præputii involucrum medii glandis caput qvadantenus obvelabat, nec omninò obtegebat. Erat autem glans penis turbinata, ut in aliis viris, cujus basis reliqvo membri virilis corpori, abbreviato nimium, circuli instar

ſtar ſive in modum coronæ adhærebat, molli admodum acutie prædita: nec deerat χαλινὸν, κύων, ſive κυνόδεσμον, in glandis inferiore parte, qvod qvidam ex nervorum extremitatibus conflatum, pro contractione præputii factum, frenum eſſe autumant. Hoc ſuberat diſcriminis, qvòd eviratæ hujus penis in ſummæ glandis mediô apice non fuerat pro more perforatus, ac in maritali ſexu, ſed in ſupernâ membri parte rimam obtinuerat ſatis longam & profundam, qvæ ſe infra præputii partem pubi ſubſtratam ad dimidii pollicis tranſverſi longitudinem extendebat. Diductâ rimâ alæ pudendorum muliebrium conſpiciebantur, qvin & bini meatûs; horum prior & ſuperior ſtyli mediocris magnitudinem admittebat, perpetuô Urinæ ſtillicidiô ſqvalens, inferior & longè minor ſatis difficulter & cum dolore non ita exqviſitè perveſtigari potuit. Dicta rima, qvæ mentulæ huic non in apicis mediô, ſed potiùs in ſupernâ parte ſita conſpiciebatur, diductô altiùs præputiô, pollicis extimô articulô longior erat; tenellæ lanuginis veſtigia in pube pubertatis imminentis indicia dabant; Penis dehinc malè conformati ex brevitate nimiâ membri (qvia præter glandis ſolius corpuſculum tenellum nil de colis extenſâ parte reſiduum cernebatur, qvamvis aliàs pro membrorum proportione conformatum deprehendamus, & parvi ſtaturâ qvandoqve magnô eoqve pendulô membrô conſpiciantur) judicium, qvibus altè in mente hærebat, hi corporis proceritatem, macilentiam, vocem & vires viriles, prolixiores comas, mammas ad latera minutas, & pudenda, non tamen, ut in Viris promiſſa adeò, cum appenſis teſticulis ſcrotô obductis intuebantur, rimam elongatam cum binis ductibus altiùs evolutis parùm habentes; qvi verò altiùs rem ad rationis trutinam examinabant, ad Tribades cum Cœliô Aureliô & ad neqvitiùs attrectantes ſubigatrices comici referendam cenſebant, &c. Hæc Scultetus.

§. 21.

§. 21.

Alia exempla. Rarioribus exemplis annumerandum, qvod de Hermaphroditô qvodam refert Fridericus Ruyſchius, *Obſerv. anatom. Obſerv. 12. pag. m. 32.* Obſtupuit, inqviens, mecum Gvilielmus de Penyn, Amſtelodamenſi Noſocomio præfectus Medicus, & aliqvot celebres, qvi aderant, Chirurgi, dum puellam ſeptennem viſitabamus, qvæ annô ætatis ſuæ ſextô fluxionem menſtruam paſſa erat diuturnam & vehementem, atqve ubi ea deſierat, Pleuritide correpta fuerat; ac diu colluctata cum febribus, eam ordinariè comitantibus, & hîc diu etiam ſeqvacibus, tandem in regione pubis vehementiſſimos ſenſit dolores; parsqve ea paulatim intumeſcens, annô ætatis ſeptimô non puerum, ſed Penem produxit, qvi perfectus & perforatus erat: ita, ut urinam commodè per eum redderet, Teſticuli jam etiam ſui prodebant initia, nam in ſiniſtrô latere tangentibus occurrebat globulus, qvi manui cedebat, omnium, qvi aderant, judiciô extra omnem controverſiam, teſticuli latitantis adhuc, ſed ſe foràs prorumpere conantis argumentum. Qvanqvam autem parte recenter adnatâ urinam redderet, non tamen eandem minùs commodè, qvâ anteà ſolita erat, viâ emittebat: De aliô Hermaphroditô Relatio & Judicium ſeqvens Auguſtini Henrici Faſchii & Davidis Valtheri extat, *Ephemerid. Natur. Curioſ. Cent. III. & IV. Obſervat. 135. pag. 305. ſeqq.* Perſona ſcilicet qvædam, poſt partum ab Obſtetrice pro puella habita, Annæ nomine atqve veſtitu muliebri annum ætatis vigeſimum primum attigerat, circa hoc autem tempus dicta Anna Sexus falſitatem perſentiſcens, veſtes, mores atqve labores mutabat, unde à Sereniſſimô Principe, Chriſtianô Erneſtô, Marchio - Barutho - Brandenburgicô Medicis Dictis Hermaphroditi inſpectio demandabatur, qvorum verba, nonnullis de ejusdem ſtaturâ, tem-

pe-

peramentô atqve vigore præmissis, sic sonant: Anlangend dessen Leib, ist solcher wohl gestalt zu sehen, exceptis genitalibus: Facies satis læta; lanugo pilosa in labiis tenella & mollis adhuc; vox sonora, satis virilis, inter claram & raucam ambigens; Statura corporis mediocris & qvoad cætera sana. Mammæ, so vor drey oder vier Jahren zu wachßen angefangen, itzo aber nicht grösser wurden, rotundæ, mediocres, turgentes, invicem se sororiantes, papillis exiguis ornatæ. Nulli in pectore pili; Notabilis autem & verè in duplo crispulis luxurians cincinnulis in pube visitur ad umbilicum excurrens pilosa progenies, (so vor ohngefehr sechs oder sieben Jahr hervor zu kommen er angemercket,) sub qvâ ex ingvinali regione testiculi duo (utriusqve unus) turgidi & sat grandes prodiere, ovi gallinacei magnitudinem ferè æqvantes, qvorum uterqve peculiari Scrotô cutaceô, parum qvidem corrugatô, pilis tamen hinc inde ornatô, amictus protuberabat, ex qvô qvisqve iterum levi operâ in ingvina trudi permittebat. Vasa Spermatica processu Peritonæi ingvinali inclusa accuratè tangebantur, non alia, qvàm in viris naturaliter observantur; Medium inter hos ad pubis os occupavit penis prominens, crassitie digiti minoris, exiguus tamen & curtus, pollicis priorem articulum referens, cujus præputium aliqvantisper protensum, glandem non perforatam, ferè obtegit omnem. Curta qvidem hujus est suppellectilis prominentia, qvam Clitoridem aut tentiginem diceremus, nisi vasa spermatica & testiculi, ut in maribus, se haberent. Tendit autem hujus penis substantia nervosa ad digiti minoris crassitiem, usqve ad Ossa pubis radicis, ut integri longitudo ad digiti longitudinem accedere observata sit. Hic pruritu venereô, qvalem sæpe sentire constanter affirmabat, tentatus, erigitur, virilitatem mentiens, longè major. Sub glande frenulum præsens

in

in duas dividebatur alas, seu Nymphas; sub finem verò freնuli septem hiatûs, duo satis patentes, styliqve apicem excipientes, non autem transitum permittentes, & qvinqve exigui, similiter exiguum ostendentes hiatum, non sine admiratione observavimus; ex qvibus albicantem illam materiam, qvalem interdum, præcipuè post libidinis œstrum, animadvertit, Spermaticam fortè penetrasse conjecimus. Reclinatô ad latus testiculô utrôqve labia in conspectum venére Vulvæ, initium à præputii lateribus sumentis & desinentis, sub testiculis in scrotorum coalitum, ut illa à testiculis dictis abscondita deprehensa fuerint. Monticuli Veneris in hisce labiis vix observabiles; nulli in his pili; alæ exiles & productionum myrtiformium exiguæ portiones. Foramen rotundum sub corpore penis, non procul à radice hujus, conspicibile, ex qvô meatus, brevis qvidem ducebat urinarius; unde erectô corpore stans satis promptè, masculi ad instar protrudere urinam conatur. Os Uteri externum constrictum, nerveum, molles tamen satis hujus vicinæ partes; id tamen propter exqvisitum sensum digitô nec penetrare potuimus, nec voluimus. Stylum autem argenteum admisit ad digiti fere longitudinem præsentis vaginæ Uteri certum judicium; ex qvô tamen nunqvam stillâsse menses seriò testatur, &c.

§. 22.

Formâ insolitâ. De Hermaphrodito formæ admodum insolitæ seqventia communicat Medicus Tholosanus, nomine Veay, *Act. Erud. An. 1688. Mens. April. pag. 228. seq.* Allata est in Hospitale S. Jacobi ægrotans ancilla androgynos. Oriunda est Purdiaco, loco septem Tholosa milliaribus dissito; pro fœmella olim baptizata fuit, impositô ei Margaritæ nomine. Patrem habuit virum pauperem Purdiacensem, cui nomen Malause. Ipsa annum agit vigesimum primum aut secundum, satis qvidem

dem exterius speciem fœmineam exhibens; at reapse notas masculi valde potentis. Vultum habet muliebrem, nec ingratum, collum nitidum, mammasqve tales, ut vix pulchriores in puellâ desideres, nates & femora obesiora, ut in fœminis esse solent; partes naturales omninò muliebribus similes, nisi qvòd fissura profunditatem modò attingat duorum digitorum transversorum mediocrium, & medio hujus rimæ propendeat membrum virile mole sat notabili, qvodqve erectum ad octo usqve pollices semet exterius exserat. Membrum hoc bene formatum est, nisi qvòd præputiô careat, testiculisqve apparentibus destituatur. Urina & semen inde prodeunt, perinde ut apud viros; qvodqve hic speciale est, sangvis menstruus etiam per eundem virgæ canalem manat. Ægrè id ipse crederem, nisi præsens vidissem & exactissimè examinâssem eô tempore, qvô menses ei fluebant, qvod qvidem ipsi contingit per singulos ferè anni menses, dum raro bimestre spatium elabitur, qvin eosdem patiatur, at ferè semper gravibus cum doloribus, ac tensione in imô ventris regione, qvæ inflammationis speciem in hisce partibus innuat. Ostendi hoc pluribus è nostris Medicis, & postqvam hac de re consulimus dominos Vicarios Generales, fecimus, ut ipsa habitum virilem indueret, sub nomine Arnoldi Malause, jamqve in eô est, ut opificium, qvoddam addiscere debeat. Non erat, cur hac in parte hæsitaremus, dum noster Hermaphroditus viri qvidem munere egregiè, fœminæ verò neqvaqvam defungi potest.

§. 23.

Plura Hermaphroditorum exempla ex variis Autoribus collegit Johannes Schenckius, *Observ. med. Lib. 4. fol. m. 519. seq.* item Caspar. Bauhinus, *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 35. & 36.* *Exempla.*

35. & 36. pag. m. 357. seq. & 365. seq. Thom. Bartholin. *Cent. III. Hist. 5. p. 15. & Hist. 12. p. 30.*

§ 24.

Hermaphroditi perfecti. Varia eqvidem Hermaphroditorum, tum marium, tum fœminarum, tum etiam illorum, in qvibus nullus certus & perfectus sexus apparet, qvive prævaleat, dignosci neqvit, exempla hactenus recensuimus; restat tamen adhuc qvarta illorum species, qvi nimirum utroqve sexu perfectè sunt instructi, ita ut, sicuti priores tres species vel unico tantum, vel nullô sexu prævalent, atqve vel generare, vel concipere tantùm, vel neutrum possunt, hi econtra utroqve sexu potentes sint atqve tam agere, qvàm pati, seu fœminas implere, vel saltem easdem inire, & ab aliis viris impleri seu imprægnari, vel ad minimum iniri valeant; talesqve Hermaphroditi seu Androgyni veri, seu perfecti audire solent.

§. 25.

An dentur? An verò detur hæc ultima Hermaphroditorum species, atqve in unô eodemqve subjectô utriusqve sexûs Organa generationi inservientia, ad naturalia & connubialia munia obeunda, omnibus partibus ritè efformata inveniantur; ita, ut talis persona pro lubitu, nunc virum agere fœminamqve imprægnare, nunc mulieris vices gerere, virum ferre, atqve ab ipsô imprægnari, sicqve jam pater, jam mater fieri qveat, pleriqve Autores, & qvidem ex eô fundamento negant, qvia secundum *Negatur.* Aristotelem, *de Generat. animal. Lib. 4. cap. 4. fol. m. 582.* qvibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum redditur. Sic putat Constantinus Varolius impossibile esse, utrumqve sexum reverà in unô individuô reperiri; & si inveniantur mulieres, qvæ utrumqve sexum habere putentur, esse

esse nympham in eam molem auctam, ut membrum virile referat, esse tamen imperforatam. Si verò Genitalia interna spectentur, esse muliebria, & nihil monstrosum intus reperiri, id qvod sæpe annotârit. Si vero inventi sint, qvi muliebria etiam habere putati sint, fuisse tantùm aliqvam in pudendo fissuram, qvæ tamen non penetraverit, nec membrum virile admiserit. Id qvod exemplis ex Realdô Columbô & Hieronymô Fabriciô ab Aqvapendente probat. vid. Dan. Sennert. *Pract. medic. Lib. 3. Part. 9. Sect. 1. cap. 13. pag. m. 936. seq.* & Casp. à Reies, *Elys. jucund. Quæst. Camp. Qu. 48. §. 15. seq. pag. 599. seq.* ubi seqventia addit: Cùm mas & fœmina sint opposita, sicuti mater & pater; opposita verò simul adesse non possint, nec ipsa, nec ea, ex qvibus sunt; ergò cùm uterqve sexus ex horum sit numerô, simul adesse non poterunt: tandem si hoc daretur, seqveretur maximum inconveniens, qvod rectam naturæ dispositionem & ordinem interturbaret; nimirum qvod Hermaphroditus ambôrum genitalium perfectus, sine alterius accessu, intra se generare posset, qvia ibi masculinum semen, ibi vasorum & matricis conveniens locus, ibi ad fœtum producendum & alendum sufficiens materia; qvare nil deficeret, qvò minùs absqve alterius coitu impleretur, qvod magnoperè repugnat. Addunt alii, naturam in plurimis distractam ad nullum sufficere, non enim spiritus & facultas ambobus sufficere qveunt; qvia adeò fortis non est natura, ut gemino genitali & illius instrumentis influere possit; & humorem caloremqve duplici semini suppeditare; unde aut in ambobus plerumqve deficit, aut alterum irritum manet. Item juxta Alexandrum Benedictum, uti allegat Marcellus Donatus, *de medic. histor. mirabil. Lib. 6. cap. 2. pag. m. 604.* Utraqve natura non potest reperiri in eodem Corpore perfectè, & impossibile qvidem est, in unô

& eodem corpore copulari formam complexionalem propriam ſexui maſculino & fœminino: & impoſſibile eſt, reperiri in eodem Corpore duo excrementa ſimul perfecta, ſcilicet ſemen maris & fœminæ; neqve utraqve membra propria huic excremento, niſi imperfecta, in eodem ſubjectô reperiri qveunt, vel ſaltem alterum perfectum & alterum imperfectum. vid. etiam Chriſtoph. Neandr. *Hiſtor. Bacchanal. Membr. 3. Sect. 1. pag. m. 157.* Item Michael Bernhardus Valentini, *Novell. med. legal. Introduct. pag. m. 9.* ſcribit: Licet Hermaphroditorum exiſtentiam non negemus; certum tamen eſt, rarò vel nunqvam utriusqve ſexûs membra perfectè efformata illic conſpici, ſed plerumqve defectum aliqvem obſervari. Et Daniel Hartnaccius, *Admirand. phyſic. p. m. 663.* de muliebri & virili ſexu nullum Hermaphroditum æqvaliter & ſufficienter participare ſtatuit. Qvibus etiam annectere liceat verba Nicolai Venette, qvi *Tract. de la Generat. de l' Homme Part. 4. cap. 4. pag. 622. & 225.* ad qvæſtionem: Si un Hermaphrodite peut uſer de l'un ou de l'autre Sexe; & s'il peut engendrer? ita reſpondet: Cette qveſtion eſt aiſée à decider apres ce qve nous venons de dire: Car de s'imaginer, qv'un Hermaphrodite puiſſe uſer de l'un & de l'autre ſexe & qv'il puiſſe engendrer par les deux, c'eſt ce qve l'on ne pourroit perſvader, qv'a des Enfans. De deux differentes parties naturelles, qv'a un Hermaphrodite, il y en à toujours une, qvi eſt inutile, parce qv'elle eſt contre les loix de la Nature, & qve l'intelligence ne l'a faite, qve par force, ne trouvant pas aſſez de matiere, ou en trouvant trop pour former les parties, dont l'enfant auroit beſoin pour la generation. Car qvelle Confuſion ſeroit ce de trouver dans un ſeul corps des teſticules de l'homme & de femme, une matrice & un membre viril: en un mot, tout l'attirail des parties genitales d'un

homme

homme & d'une femme. Le temperament de l'un & de l'autre, est trop different pour être uni ensemble, & pour estre changé, qvandil faudroit se servir de l'une ou de l'âutre des ses parties naturelles.

§. 26.

His tamen rationibus pro sententiâ negativâ non obstantibus, alii Autores tam rationibus, qvam exemplis affirmativam amplectuntur. Posse enim reperiri Hermaphroditum aliqvem, qvi hæc duo membra æqvaliter perfecta habeat, arbitratur Avicenna. vid. Zacut. Lusit. *de Medic. pr. histor. Lib. 3. Qv. 16. Oper. Tom. 1. fol. m. 467.* Inqvit etiam Casparus à Reies *l. a.* §. 17. *pag. 601.* Possibilem esse hanc sexuum multiplicitatem & complicationem in unô eodemqve homine, omnibus suis partibus absolutam, & in utroqve sexu pollentem, & ad debitum vel maris, vel fœminæ usum omninò perfectam, apertè cum multis aliis fatemur. Nil enim impossibilitatis in hôc prodigiô contra naturæ majestatem apparere videtur, cùm potiùs hujusmodi ludibriis & majoribus ipsa gaudeat, & majora in orbis theatrum non rarò proferat ostenta & in hominum conspectum obtrudat. Si enim ex dissimilibus seminibus & speciebus totô genere differentibus aliqvando unicum Corpus efformat, ut ex homine & brutô millies visum est, qvid obstat, qvò minùs hominis (viri) & mulieris semina ex se varium sexum postulantia, possit aliqvando miscere, perficere, & unumqvodqve debitô sexu obsignare, cùm aliter ex repugnantiâ materiæ coacta facere non possit? videmus qvippe in fœtu humanô hanc aut illam partem â pedis aut manus ordinatâ configuratione dissentire, & similem membro alicujus bruti figuram referre: Si hoc in reliqvis partibus accidit, cur in verendis similia prodigia non eveniant? Minus enim implicat humanorum sexuum complica- *Affirmatur.*

tio, qvàm brutorum partes cum rationalibus adjungere, sive ex variis feminibus, sive aliunde accidat; Ergò, si hoc sæpius contingit, qvare illud impossibile erit? cùm præsertim sciamus, non casu aut rarenter, sed naturaliter aliqvibus gentibus hanc monstrositatem evenire, ut in Africâ supra Nosamonas confinesqve illis Machlyas, Androgynos esse utriusqve naturæ, inter se vicibus coëuntes refert Plinius, *Nat. Histor. Lib. 7. cap. 2. fol. m. 105.* Nec in Africa tantùm, sed apud Indos Nereos omnes Androgynos esse & Hermaphroditos, ex Herodotô scribit Ludovicus Cœlius Rhodiginus, *Lection. antiqv. Lib. 7. cap. 29. fol. m. 268.* Et in Virginiâ qvoqve alterâ Indiæ parte plurimos nasci Indis exosos, ex Nierembergio refert Reiesius, *l. a.* vid. etiam *pag. 602. seq.* ubi Androgynos utroqve sexu potentes reperiri & de facto multoties inventos fuisse docet. Johanni qvoqve Pierio, *Hieroglyph. Lib. 18. cap. 18. pag. m. 222.* minimè commentitium videtur, utriusqve naturæ homines inveniri, qvi partem inter se utramqve pervagant, cujusmodi sunt populi supra Nasamonas, confinesqve illis Maciyas, Calliphanis testimonio satis cogniti, ac in reliqvâ etiam Europâ deprehensi, ne apud solos Lunenses Hermaphroditum existimet Annalium Commentator Fenestella.

§. 27.

Distinctio. Alii Autores distingvunt inter possibilitatem perfectionis in utroqve sexu ad agendum & patiendum & celebrandum Coitum, qvam concedunt, & inter possibilitatem ad generandum ratione utriusqve sexûs, qvam negant. Inqvit enim Paulus Zacchias, *Qvæst. med. leg. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. §. 29. seq. fol. m. 599.* Pro veritate dubitationis dicendum videtur primò, non esse omninò impossibile, dari Hermaphroditum tantæ perfectionis in utroqve sexu, ut agere &

pati

pati possit; nihil enim videtur obstare, qvò minùs genitalia ita affabrè facta sint, ut ad hunc usum sufficiant: unde non videtur, historiis plerisqve id attestantibus, fidem denegandam esse: licet minus ad hanc rem probandam faciant, qvæ de nonnullis mulieribus vetuli, qvas Tribades, subagitatrices, fictrices, seu frictrices vel fricatrices vocantur, qvia hujusmodi fœminæ non sunt hermaphroditæ, &c. Secundò dicendum, impossibile esse dari Hermaphroditum, qvi utroqve sexu adeò perfectus existat, ut per utrumqve generare possit, in se nempe & in aliô: & ratio est, qvia unum idemqve semen non potest habere duos contrarios motus ad extra nimirum & intra. Sed qvid si dicatur contra hoc, duplicem sexum habentem habere etiam utrumqve semen, & unumqvodqve per se à suis vasis concoctum, conservatum, delatum & ejaculatum? Hoc Alexander Benedictus negat fieri posse, rationem in contrarium nullam, neqve ipse adducit, neqve ego habeo. Impossibile enim est, inqvit ille, reperiri in eodem corpore duo excrementa simul perfecta, nempe semen masculinum & fœmininum. At hoc in idem recidit, nam cur, inqvam, hoc est impossibile, cùm tam mas, qvàm fœmina utrumqve semen in se contineat, ex sententia Hippocratis? Et qvidsi ad allatam rationem, qvod impossibile sit, idem semen habere duos motûs contrarios, dicamus, hoc verum esse in uno eodemqve tempore, ad habere eos motûs vicissim & successivè, neqvaqvam esse imposssibile? Sed esto pro nunc impossibile, qvod possit unus idemqve homo, seu aliud qvodlibet animal in se ipsô & in aliô generare, qværamusqve ejus rei magis sufficientem rationem. Certè impossibile videtur, unum idemqve individuum sortiri posse duplicem naturam inter se dissidentem, respectu totius: nam hæc proprietas generandi vel in se, vel in alio, respicit universam Individui Naturam, & tempera- *Alia distinctio.*

ra-

ramentum: nam generare in alio ex vivido totius calore fit, generare autem in se, ex calore remissô, qvæ non videntur simul stare posse. Plures porrò rationes ex ipsa Anatomiâ partiumqve situ & collocatione desumptas, ad ejus rei impossibilitatem commonstrandam ab aliis Autoribus adduci, ibidem addit Zacchias.

§. 28.

Exempla. Attamen tam ab antiqvis, qvàm â nostri ævi Autoribus varia annotata reperimus exempla atqve historias hermaphroditorum perfectorum, seu taliter conformatorum, ut tam agere, qvàm pati, item generare & concipere potuisse dicantur. Novit enim Montuus Hermaphroditum, qvi seqvioris sexûs seu muliebris putabatur, viroqve nupserat; qvi filios aliqvot & filias peperit; nihilominus ancillulas comprimere & in his generare solebat. v. Johann. Wolfii *Lection. memorab. Tom. II. Centenar. 16. fol. m. 511.* & Joh. Schenck. *Observat. medic. Lib. 4. fol. m. 521.* ubi aliud exemplum ex Weinrichiô addit: Annô scilicet 1461. in Scotiæ urbe qvadam Androgynam ancillam herilem filiam in eodem lectô cubantem fecisse gravidam: accusatam facti apud Judices, & vivam sub terram defossam periisse. Anno 1601. die 26. Maji, Piadenæ in Italia, sub vexillo Burchardi Leinmans, Miles qvidam, Daniel Burckhammer nomine, Germanus, in Bücken ad anteriorem lacum natus, cùm vesperi ad somnum se composuisset uxori, qvam ante annos septem legitimô matrimonio sibi junxerat, conqvestus est de Ventris dolore vehementi, & qvòd in eô motum aliqvem persentiret: qvare de lectô surrexit & intra horæ spacium puellulam peperit. Cujus rei Magistratum uxor subitò admonuit: cujus mandatô illicò examen institutum & seriò de omnibus inqvisitum. Interrogatus Miles respondit, se utrumqve sexum habere, & supra septen-

septennium in Ungariâ & Belgiô militâsse, qvod testimoniis fide dignis comprobavit. Insuper narravit, se postqvam lucem hanc aspexisset, sacrô fonte pro puerô Lotum & Danielem nominatum; annis aliqvot post sartoris artificium didicisse: adultiorem redditum in militiam profectum, in qvâ ad hodiernum usqve diem vixerit. Verùm dum in Belgio militaret, Hispano semel tantùm accubuisse & rem habuisse, qvi imprægnârit: factum hactenus clam habuisse imò & uxorem celâsse: cui licet septem annis convixerit, nunqvam tamen cum eâ congredi potuisse. Qvæ cùm Capitaneus cognovisset, ea Magistratui Ecclesiastico exposuit, qvi re etiam per Notarios & testes comprobatâ, infantem baptizari jussere. Qvem Reutnerus à Weingarten, Vexillifer, locô Capitanei, tanqvam propater, unà cum aliqvot Matronis nobilibus è sacrô fonte, Elisabetham nominatam, suscepêre; adhibitis Ceremoniis in militia consvetis, tympanis, fistulis, tribusqve tubis, pluribus nobilibus tam viris, qvàm mulieribus & qvingentis militibus infantem ad baptismum comitantibus. Infans autem, licet cum parente rectè valeret & formæ esset elegantis, attamen dextram solùm mammillam sugere poterat, non verò sinistram, qvâ parte genitalia virilia erant, &c. vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 33. pag. m. 343.* Job. Ludolfi allgemeine Schaubühne der Welt, *Tom. 1. Lib. 1. cap. 15. fol. m. 52. seq.* Valentiæ 1640. Hermaphroditus, qvi habitu fœmineo inter famulas Don Petri de Valda educatus fuit, unam ex eis stupravit; posteaqve habitu virili electo Anno 1643. puellam peperit, uti ex Laurentio Matthiæ & Sanz refert Jacobus Mollerus, *de Hermaphrodit. cap. 6. p. m. 179.* de qvo exemplô infra plura. Sic Hermaphroditus Anna Wilde, cujus supra *ex Act. Anglican. pag. 511. seq.* mentionem fecimus, asserebat, se ad utrumqve sexum comparatum

 tum

tum esse, sed fœminis misceri præoptare. Ancilla utriusqve sexûs, licet de ambiguâ naturâ varii rumores spargerentur, nupsit tamen Viro plebejo, & tandem gravida amisit in pestilentiâ illâ magnâ 1654. maritum. Post computum decem & tres hebdomades effluxerant, anteqvam verum pariendi tempus affulgeret. Tandem puerum grandiusculum enixa est, sed in partu extinctum, &c. v. Thom. Bartholin. *Cent. 3. Histor. 12. pag. m. 30. seq.* In Ungariâ Miles qvidam, qvi se ante in Castris Martis & Veneris Virum ostenderat, in Castris Ungaricis evasit fœmina, & factus est puerpera, invitatô in susceptorem nati infantis Comite Mansfeldio, Generali, tum Duce exercitus Germanici, qvod publicis historiarum relationibus editum & à multis confirmatum est. vid. Barthol. Keckermann. *System. Physic. Lib. 5. cap. 3. p. m. 594.* De hoc milite ita scribit Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente *de Chirurg. Operat. fol. m. 277.* Fama est in Bellô Ungaricô proximè præteritô, militem peperisse, qvi ad intuitum mas, sed clam fœmina qvoqve erat perfecta, &c. Circa annum 1478. Ludovicô undecimô, Galliarum Rege, regnante, Monachus qvidam Uterô gestavit, cujus historiam Robertus Gagvinus, Ordinis S. Trinitatis, his verbis expressit: Per eos dies apud Avernos in Cœnobio Issoriensi, Monachus qvidam, cum Hermaphrodita esset, gravidus est effectus asservatusqve summâ diligentiâ, donec parturivit. v. C. Bauhin. *l. a. p. 345.* ubi etiam seqventia recenset: Meminit Goclenius senior Monachi cujusdam his verbis: Mas mulier, & mas fœmina est ἀνδρόγυνος, in qvo mistio sexûs: de qvo feci hunc versum παντόγραμμα in L. Monachum qvendam Hermaphroditum:

Mas Mulier, Monachus, Mundi mirabile monstrum.

Mu-

Mulier item qvædam nobilis, formâ decens, conditione libera, cuidam diviti matrimoniô copulata & puerpera qvandam aliam mulierem similibus dotibus insignitam imprægnavit, modô novô ac mirabili patrissando. Et ex eâ duos filios cùm progenerâsset, & tertiô infantulô eandem gravidam reddidisset, ipsa mater talis peccati novam detestans deformitatem, reatum utriusqve palàm protestata, aliam compulit ad plenam rei gestæ eminus confessionem. Qvæ culpam propriam turpiter palliando & se impudenter accusando, suam accusavit genitricem, affirmans, ipsam eodem vitiô laborasse. vid. Joh. Wolff. Lection. *memorabil. Tom. 1. Centenar. 14. fol. m. 600.* In exercitu Romanô, qvem T. Curtillius Mancius (vel juxta Bauhinum *l. a.* T. Cunilius Mancias,) duxit, Servus militis peperit, v. Casp. à Reies, *Qv. 48. §. 19. p. m. 601.* Notabilis etiam de tali Hermaphrodito exempli ex Novellis Germanicis de anno 1686. sub dato Graffenhage, meminit Jacobus Mollerus, *de Hermaphrodit. cap. 2. pag. m. 151.* qvod in Germanicô Idiomate sic se habuit: Zu Leyden hat sich verwichene Woche ein seltzamer und wunderlicher Casus zugetragen: Nehmlich eine Frau, die vor diesem einen Mann, und zwey oder drey Kinder darbey gehabt, und selbst mit ihren Brüsten auch gesäuget hat, nach der Hand ihr Mann nach Ost-Indien gefahren, ist diese Frau ins Wäisen-Hauß zu Leyden, als eine Zucht-Meisterin über die Wäisen-Mägdgens, bestellet, so hat sich zugetragen, daß von denen grösten und ältesten Wäisen-Mädgens, von 16. 17. biß 18. Jahren alt, einige Zeithero wohl drey, vier oder mehr seyn schwanger worden. Die Mägdgens, nach gehaltener Examination, haben alle einmüthig bekannt, daß diese Zucht-Meisterin der Vater davon sey. Die Frau, welche man examiniret und visitiret, hat man befunden, daß sie ein Hermaphrodit, oder

halb Mann und halb Frau ist; Welche auch bekannt, daß sie solches gethan, ist darauff ins Spinn-Haus zu Leyden gesetzt, und wird ehester Tages ihr der Procesſs gemacht werden. Seqventem Obſervationem de Hermaphroditô, liberos pariente, inſuperqve ancillam imprægnante, recenſet Stephanus Blancardus, *Collectan. med. phyſ. Cent. 3. Obſerv. 80. p. m. 461.* ſeqventibus verbis: Mir ist von O. B. und einem andern Frauen-Zimmer A. M. erzehlet worden, daß zu Löwarden ein Zwitter oder Hermaphrodit sey, welche bey denen Reformirten öffentlich mit einem Manne getrauet worden, und auch von denselben etliche Kinder gehabt hätte; Doch wäre sie nicht mit diesem zufrieden gewesen, sondern hätte sich zu ihrer Magd geleget, und dieselbe, wie ein Mann seine Frau, bedienet. Als die Magd darauff schwanger worden, hat sie vor dem Richter öffentlich bekennet: Daß sie niemand, als ihre Frau, geschwängert. Deniqve memorabilem de duobus Hermaphroditis in utroqve ſexu potentibus, qvi inter ſe invicem matrimonium contraxerunt, hiſtoriam refert Laurentius Mattheu & Sanz in Tractatu de Re criminali *Controverſ. 48.* his verbis: Publicè ferebatur per hanc regiam Urbem Anno 1663. qvod in unô ex Oppidis Regni duo Hermaphroditi nati fuere, qvorum unus educatus fuit ſub habitu & Specie Viri, alter verò ſub habitu & Specie fœminæ. Ii ſive ſcientes, ſive ignorantes alterius conditionem, matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerunt, minimè detectâ illâ qvalitate Parocho aut Prælato Diœceſano. Ex promiſcuô uſu veneris ambò eodem tempore in Uterô geſtantes inventi fuerunt. Qvi ſub ſpecie & habitu viri contraxerat, prudenter, ut ſcandalum atqve erubeſcentiam vitaret, ad hanc urbem ſe contulit, alibi ſumptô habitu fœmineô, puerpera factus fuit. v. Jac. Moller. *de Hermaphrod. cap. 2. p. m. 54.*

§. 28.

§. 29.

Non autem inter homines tantùm, ſed qvandoqve etiam inter bruta & piſces, Hermaphroditos ab Autoribus annotatos legimus. v. g. Eqvas hermaphroditas Neronis tempore viſas narrat Plinius, *Hiſtor. Nat. Lib. XI. cap. 49. fol. m. 211.* qvas in Treverico Galliæ agrô repertas dictus Imperator Carpento ſuo ſubjunctas oſtentabat. Eqvum Androgynum Antverpiæ ſe vidiſſe teſtatur Hieronymus Cardanus, *de Rer. variet. Lib. 1. cap.* 33. *p. m.* 343. ubi ſeqventia addit: Hic eqvus unum tantùm habebat teſtem locô propriô, cum mammis tumidis, ut eqvæ habent: Inde Vulvam propriô locô, & ex vulvâ penis emittebatur. Hinniebat ad eqvas, & formâ maſculinâ erat, promptus & erectus capite, craſſiore autem corpore, colore griſeô; Caput magnum, penis non major palmô, cùm illum exereret. Emptus aureis triginta ſex. Certum erat, cùm averſô eſſet pene, coire illum non poſſe. Imò in Urbe Senâ prope portam Romanam, magnô hominum numerô ſpectante, eqvum, qvi hermaphroditus erat, peperiſſe, ex Secundo Lancelotto de Perugia refert Caſp. à Reies, *Qvæſt. 48. §. 21. pag. m. 602.*

Hermaphroditi in brutis.

Eqvus.

§. 30.

In Uterô Cervi cornigeri, qvem Illuſtriſſimus Princeps Henricus Comes Palatinus prope Oelwangh ceperat, dum eviſceraretur, repertùm fuiſſe hinnulum, membranulis circumſeptum, refert Johannes Langius, *Lib. 1. Epiſt. 70. pag. 376.* Ex qvô, Cervum hunc Androgynum fuiſſe, concludit Caſpar à Reies, *l. a. §. 5. pag. 592.* Addit eqvidem Langius *l. a.* Cervos qvosdam naturam Sexûs variare, uti Cornua, virilia Cervorum arma atteſtentur, qvæ Cervas geſtare obſervatum ſit, qvalis olim captæ cornua Marchio qvidam Badenſis Regi Gal-

Cervus.

lorum dono miserat; qvæ Ambasi in regiô hortô prope januam interiorem parieti affixa, subscriptis in tabellâ testibus, qvi venationi interfuerant, cernuntur. Ad qvam tamen sententiam de sexûs Cervorum mutatione responderi potest, fortasse tales cervas cornutas uterumqve gerentes qvoqve androgynas fuisse.

§. 31.

Caper. Caprum utriusqve sexûs Brunsvigi in ædibus suis se habuisse scribit Johannes Dauth, *de Testament. fol* 353. De hircô androgynô seqventem Observationem annotavit Rosinus Lentilius: In Vico Tapfheim, qvem Illustrissimus Comes de Hamilton possidet, vivit hircus, an capra, an ἀνδρόγυνος, incertum qvid dixeris. Mulgetur enim qvotidie non tantùm, verum & hirci munia apud Capras perqvam strenuè ineundô illas exseqvitur: Qvum verò non pepererit unqvam, nec omninò sit certum, an ejus virtute, an aliûs capræ sint impraegnatæ, *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Observ. 230. pag. 555.* Anatomen hædi hermaphroditi cum figuris communicat Philippus Jacobus Hartmannus, *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obs.* 103. *pag.* 191. *seq.* Et Reinholdus Wagnerus Hædum hermaphroditum ex Islandiâ Curiositatis causâ Hafniam transmissum cultro anatomico subjecit, qvidqve in eodem ratione utriusqve sexûs observaverit, *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. An.* 1. *&* 2. *Observ.* 113. *pag.* 235. *seqq.* additis figuris descripsit. In Ægyptô capras reperiri duplici genitali, ideoqve capras hircinas appellatas, qvod simul genitale habent, & maris, & fœminæ, refert Aristoteles, *de Generat. Animal. Lib.* 4. *cap.* 4. *fol. m.* 580.

§. 32.

Asinus. De Asinô hermaphroditô seqventia habet Paulus Zacchias, *Quæst.*

Quæst. medic. legal. Lib. 7. Tit. 1. Quæst. 9. §. 15. *fol.* 603. Asinus hic, qvem Romæ vidi Anno 1621. utroqve sexu erat insignitus. Membrô dotabatur satis crassô, ut asinina natura fert, sed obtortô, qvale hypospadiæi habent: sed & vulvam sortitus erat, qvantum ab extra promittebat, optimè efformatam, ejus tamen orificium minimum digitum admittebat. Situs utriusqve genitalis, qvi aliis est familiaris; sub podice enim rima magna extabat, qvæ à superiori parte versus caudam per medios usqve testes ad membri dimidium protendebatur, sed consvetum spatium præter gressum superficialiter tantùm incedebat, ita, ut membri dimidium qvasi fissum in posticâ parte ab eadem rimâ appareret, & unicam rimam cum rimâ magnâ hæc fissura effingeret. Urinam non modò per Penem, sed etiam per vulvam emittebat, arrigebat & asinas calcabat, sed inire eas non poterat, ob prædictam membri tortuositatem. Hunc asinum circumferebat Imolensis qvidam Circulator, &c.

§. 33.

Mulam qvoqve utroqve genitali præditam ac verè hermaphroditam mulum peperisse, Xerxe exercitum in Græciam parante, ex Textoris Officinâ refert Caspar. à Reies *l. a.* §. 5. *pag.* 592. Pro Ostentô habetur, si mula parit, qvod hoc anno, cùm hæc scriberemus, Julio Pontifice secundô, in bellô contra Ferrarienses & Gallorum Regem Ludovicum, mulam peperisse Ferrariæ dicunt, scribit Alexander Benedictus, *de Re Medic. Lib.* 25. *cap.* 10. *fol. m.* 467. Plura etiam de Mulâ & Mulô vid. Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 2. *cap.* 17. *pag. m.* 566. item Joh. Georg. Schenck. *de Monstr. pag. m.* 130. Mula

§. 34.

Aries. De Arietis annicularis hermaphroditi Anatome seqventem Observationem *Miscellaneis Nat. Cur. Dec. I. An. 3. Obs. 167. p. 298. seq.* inseruit Johannes Jacobus Wepfferus: Cornutus erat, ac cætera se masculum ostentabat, at in hypogastriô prorsus famellam mentiebatur: nam Veretrum non ad umbilicum protendebatur, nec tactu ab Osse pubis ad Umbilicum inveniebatur: testiculi non includebantur Scroto, nec propendebant: uberibusqve amplis cum papillis insignibus præditus erat. Sub imô Uberum tangebantur utrinqve duo corpuscula globosa sub Cute mobilia, ac pubis ossi medio incumbebat corpus inæqvale, durum, sub cute occultatum. Sub osse pubis apparuit rima, eô locô, ubi aliàs sinus pudoris conspicitur, ex qvâ, supernè corpore inæqvali pressô, prodiit Caro in Conum formata, teres, albicans, imperforata, crassitie & longitudine ferè articuli digiti parvi dimidii, qvæ membranâ nerveâ ceu præputio tegebatur, eiqve ad latera infernè corpuscula alba rotunda, lororum instar gracilium, appensa erant, & subtus frænulum conspiciebatur: similis erat Clitoridi, at paulò crassior & longior. Sub hac carne, Clitoridem qvasi referente, aliud foramen apparuit, in ambitu rubicundum, parvum digitum admittens, qvod â superiori, in qvô Clitoris putatitia abscondebatur, membranâ rubicundâ, ceu sepimentô, distingvebatur. Remotâ pelle in Hypogastriô protinus testiculi musculi prodierunt, & Corpus inæqvale durum, in Orbem convòlutum à superfluis ipsumqve coërcentibus membranis & fibris liberatum, apparuit esse penem in has angustias redactum, mirèqve contortum & in orbem contractum, non secus ac ungves videntur se in globum qvasi volvere, ut se immunes contra ictus præstent. Penis in hunc acervum coarctatus fuit à vinculô qvodam membra-

neô

neô robuſtô nerveô & brevi, ab Oſſe pubis enatô; ipſe conſvetis locis duobus principiis admodum nerveis ex eodem Oſſe oriebatur: longus erat octo digitos, craſſitie parvi digiti; compoſitus ex membranâ valde nerveâ, & duobus corporibus fungoſis & nervoſis, & glande duos digitos longâ, ex qvâ ad latera pendebant corpuſcula alba teretia, & præputiô nerveô, præter velamen cutaneum, eoqve laxô tegebatur. Nullibi ipſa Urethra attendebatur, unde prorſus imperforatus ad extremum perſtitit: nam propter vinculum validum & nimis breve ſe ad umbilicum exporrigere neqviit, nec propterea Urethra imæ ejus parti ſe applicare valuit. His foris perluſtratis, abdomen aperui: intus ne veſtigium Uteri nec qvicqvam fœminini apparuit. Vaſa præparantia ritè verſus teſticulos deſcendebant, qvi erant maſculi, magnitudine & figurâ illis prorſus ſimiles, qvi in aliis arietibus hujus ætatis obſervantur, &c. Item Johannes Henricus Starckius Arietem hermaphroditum octo annos natum Cultro anatomico ſubjecit, atqve omnia in eodem obſervata communicavit *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſerv. 297. p. 669.*

§. 35.

De Anatome Vitulæ hermaphroditæ cum explicatis figuris, à Philippo Jacobo Hartmanno communicata, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 27. p 62. ſeq.* *Vitulæ;*

§. 36.

Sic inter Oves Adami à Lenzen, Nobilis Pomerani, hermaphroditum deprehendiſſe ſcribit Daniel Hartnaccius, *Admirand. phyſic. Lib. 9. cap. 3. pag. m. 663.* Et Agni hermaphroditi ex Julio Obſeqvente *de Prodig.* meminit Paulus Zacchias *l. a. fol. 603.* Aliud exemplum Agni Hermaphroditi ex communicatione Johannis Melchioris Verdries extat *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſerv. 252. p. 435.* *Ovis; Agni;*

Hh hh §. 37.

§. 37.

Sues. Sues apud Brasileenses reperiri hermaphroditos & Sexum mutantes, ex Patrum Jesuitarum relatione refert Aldrovandus, & ex hoc Caspar à Reies *l. a.* qvod etiam confirmat Simon Majolus *Dier. Canicular. Colloqv. 7. fol. m. 119.* Masculum, inqviens, & fœminam unum vidisse viventem in Brasilia novi Orbis memorat Joseph Jesuita, id describens Annô Domini 1560.

§. 38.

Canis, Canis etiam hermaphroditi eqvidem ex Cardanô, *de Rer. Variet. Lib. 7. cap. 33.* meminit tam idem Reiesius *l. all.* qvàm Christianus Franciscus Paullini, *Cynograph. curios. pag. m. 52.* dum ille eqvum & canem hermaphroditos, hic autem, inversô ordine, Canem & eqvam hermaphroditos Antverpiæ ipsum Cardanum vidisse scribunt. Cùm autem ipsius Cardani verba *l. c. pag. m. 343.* sic sonent: Eqvum vidi Androgynum Antverpiæ, & Canem, qvi intus testiculos habebat: ad venerem enim promptus erat, &c. Deinde cum allegatus Cardanus Eqvi formam Hermaphroditicam, non item Canis, prolixiùs describat insuperqve in Marginalibus tantummodo Eqvi hermaphroditi mentionem faciat; meâ qvidem sententiâ ex Cardani locô allegatô Canis eqvidem testiculos intus latitantes habentis, non autem simul hermaphroditici mentio elicienda erit.

§. 39.

Hyæna, Utrum Hyæna sexum utrumqve habeat vel eum solùm mutet, prolixe tractat Carolus Bauhinus, *de Hermaphrod. Lib. 2. cap. 3. pag. 416.* vid. etiam Petr. Castell. *de Hyæn. odorifer. cap. 3. p. m. 17. seqq.* Histor. Fœtus Mussipont. in Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. App. p. 47.*

§. 40.

§. 49.

Lepores omnes utrumqve sexum habere seu hermaphroditos esse, atqve sine mare, imo absqve fœmella gignere, ob eorum fœcunditatem nonnulli Autores crediderunt; Alii eqvidem inveniri leporem fœminam concedunt, sed nullum esse marem, qvi non simul sit fœmina, statuunt, qvorum Autorum verba recenset Caspar Bauhinus, *de Hermaphrod. Lib. 2. cap. 15. pag. 551. seq.* Cui tamen sententiæ capite seqventi *pag. 555. seq.* cum aliis Autoribus contradicit, concedendo nimirum, qvosdam eqvidem, non tamen omnes, lepores hermaphroditos esse; Et *pag.* 558. propriam adducit experientiam: qvid ego, inqviens, observaverim in leporum anatome, nunc subjicere lubet. Cùm de dubiô hôc certus esse vellem, nec Venatores interrogâti satisfacerent, aliis vulgatam opinionem asserentibus, qvam tamen nunqvam propositô lepore, probare mihi potuerunt, licet honorarium splendidum promisissem, si lepusculos in ventre masculi leporis ostenderent; aliis verò nugas esse asserentibus, idcircò aliqvot dissecui hoc pacto: Apertô leporis ventre, renes cum emulgentibus venis & arteriis, ureteribus, spermaticis venis ac arteriis, vesicâ, testiculis & pene, qvæ omnia supra chartam extendi pulchrô spectaculô ad imitationem figuræ partium renalium ac Spermaticarum, qvæ ab Anatomicis proponitur & in Theatro anatomico exhibetur; Vesicam verò inflari curavi: qvæ omnia aliqvot annis incorrupta servavi. Sic & fœmellas cum Uterô excuteravi: at Hermaphroditus, fateor, ad manus nondum pervenit. Qvod etiam confirmat Philippus Jacobus Sachs à Lewenheimb, adductô testimoniô ex Johanne Fabrô Lynceo, qvi ita scribit: Diu me torsit de Leporibus dubitatio, an persvasio, omnes ad unum hermaphroditos esse: Ideô cum Nobilissimô Juliô Sinibaldô Venationi-

Lepores.

bus deditissimô (qvi ultra centum lepores domi suæ, hoc est, in oppido Montis Leonis cœpit unô annô,) omnes lepores accuratâ sectione perqvisivimus, inter qvos centum vix qvatuor masculos invenit, reliqvi omnes fœminæ, & qvod mireris, pleræqve gravidæ fuerunt. In his omnibus distinctissimum sexum invenit & agnovit; & fœminea qvidem Vasa genitalia in fœminis, virilia in masculis, & in his nerveum penem & testiculos bene luculentos extraqve Corpus propendentes, qvemadmodum in canibus, *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Obs.* 125. *Schol. pag.* 283. *seq.* Qvod confirmat etiam Christianus Franciscus Paullini, *Lagograph. curios. Sect.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 85. Reperiuntur, inqviens, qvidem plures hermaphroditi in leporinô genere, non verò omnes tales sunt. Ita peritissimus qvidam Venatorum Præfectus pro certô retulit D. Wincklero, Consiliario & Archiatro Brandenburgico, qvod in mare viderit rimam seu vulvam, cum Uterô ad latus ad penem, sed unicô saltem pullô imprægnatum. Scribit etiam Johannes Jacobus Harderus ad Johannem Conradum Peyerum: Animum torsit jam sæpiùs, de leporum sexu qvid statuendum sit, cum hermaphroditis illis accenseant, haud pauci, sed fortè minus ad αὐτοψίαν; qvotqvot enim secui mares, pene gaudebant, & fœmellæ Uterô cornutô ad usqve Ovarium, qvod ovulis minutis erat donatum, instructæ erant. Naturæ hinc errorem dixerim, qvem observamus multoties, si unus alterve lepus utriusqve sexûs genitalibus præditus repertus fuit. Cui Hardero respondit Peyerus, se in leporibus fœmellæ Penem nunqvam observasse, nec in masculis Uterum, ut dubitet, an Cochlearum instar sint hermaphroditi. vid. Pæon. & Pythagor. *Exercit. anat. med. Exerc.* 26. & 27. *p. m.* 143. 146. *seq.* Qvid Casparus Bartholinus in Sectione Leporis observârit, communicat ipsius Parens, Thomas Bartholinus,

Act.

Act. Hafn. Vol. I. Observat. 130. *p. m. 278.* qvi de partibus ipsius genitalibus, *pag.* 281. §. 10. ita scribit: De sexu qvod qvidam fabulantur, qvàm vanum sit, nos abundè perspeximus. Philostratus qvidem & Plutarchus utramqve vim lepori traditam affirmant, qvos seqvitur Varro, *de R. R. Lib.* 3. *cap.* 12. Democritus, Ælianus & alii, naturaliter per annos sexum mutare volunt. Aristoteles autem negat. Qvanqvam sæpius in leporum genere, ut rectè monuit Waldungus, qvàm in ullis animalibus reperiantur Hermaphroditi, inde tamen concludere, vel utriusqve sexûs omnes esse, vel per vices naturam mutare, nimis absurdum foret. Nobis revera constat, distinctum esse sexum, qvippe duos hujus generis subjecimus cultro nostro, vidimusqve unum marem esse, alteram femellam, organis generationis prorsus distinctis. vid. etiam Wolffg. Waldung. *Lagograph. cap.* 25. *pag. m.* 41. ubi præter allegata verba dicit: Hinc Hebræi leporem fœmininô tantum usurpant genere, qvia putârunt, illum sexum præpollere. Sed hermaphroditæ non eâ fœcundidate, qvâ fœminæ. Mares autem, ut multi falsò putant, nunqvam uterum gestant. Ut enim per naturam fieri non potest, ut fœmina sine maris semine concipiat, ita mas nunqvam sine matrice. Per Anatomen etiam hunc vulgi & Venatorum errorem refutat Güntherus Christophorus Schelhammerus, *M. N. C. Dec. III. An.* 5. & 6. *Observat.* 225. *pag.* 522. jactari vulgò, inqviens, leporem esse Hermaphroditum, marisqve & fœminæ unum eundemqve subire partes. Qvod etsi fabulæ proximum, cuiqve, qui vel è limine Philosophiam salutavit, facilè videri posset: cùm tamen, qui venationibus delectantur, Nobilibus ac Satrapis etiam idem persvasum sit, placuit ejus rei certius experimentum capere. Itaqve cultrum admovimus anatomicum, & qvid subsit veri, exploravimus

facilè, qvidqve (circa genitalia, reliqva nos omittimus,) observatum nobis ſit, ſubjungere placet. Uterus in ſuô locô ſatis amplô orificiô erat & ex corpore ultra pollicis latitudinem propendebat, eratqve vagina ſua ad utrumqve latus à reliqva Cute ſeparata, vulvâ novâ vaginâ ſeu duplici valvulo incluſa erat. Ubi ex Corpore egrediebatur, binæ qvaſi nymphæ conſpiciebantur, longis pilis obſeſſæ, ſed vix calami ſcriptorii latitudinem æqvantes. Ante has nymphas ad latus Vaginæ introrſum verſus, glandulæ apparebant binæ, magnitudine phaſeoli, albicantes, in mediô autem apertæ, indeqve egrediebatur corpus nigrum, qvod facilè, cum extrahere tentavimus, rumpebatur, conſiſtentiâ ceræ. Hæ glandulæ ſubtus fundum habebant alterius Coloris, ſubcinerei puta, cui impoſita erat materia illa nigricans, qvæ velut Sardonychem gemmam æqvabat. Hæc inferior glandula ad extremum usqve Uteri orificium progrediebatur, ubi in externâ facie vulvæ corpuſcula albicantia eminebant; exiguæ albicantes glandulæ tres qvatuorve utrinqve. Sub his glandulis verſus anum erat Cavitas iisdem glandulis major & aperta, in qvâ materia erat flava, durior, gummoſa, illi ſimilis, qvam ſub Cervi oculis obſervamus. Uteri vagina palmi longitudine ſub veſica decurrens in duo cornua dividebatur, in ſiniſtrô fœtus duo reperiebantur, qvorum unus liber, alter adnatus erat, & è ſtatu priori expulſus videbatur: dextrum inane erat. Teſticuli in ſuô locô annexi, magni ſatis, prorſus albidi, in ſiniſtrô protuberantiæ binæ: una jam extra teſticulum eminens, altera adhuc ſub membranâ, utraqve facilè diſſectô teſticulô ſeparabantur; magnitudine erant piſi majoris; intus cavæ, manifeſtò ova dicta videbantur. Teſticuli ipſi ſubſtantiâ plane ſingulari, qvæ deſcribi vix poteſt, Cerebrum proximè referebat. In alterô teſticulô erat nihil. Tuba inflata ampli-

plitudine superabat lumbricum terrestrem maximum, ad testes ex Venâ cavâ & arteriâ magnâ prodibant spermatica vasa, è regione testiculorum proximè ad eos exeuntia, arteria qvidem exilis, vena verò decies major. Ramos dimittentes plurimos admodum spectabiles, qvorum infimus ad tubas qvoqve alios mittebat, reliqvi supra testiculum pampiniformia spectaculum pulcherrimum exhibebant. In inferiore parte vulvæ musculus apparebat exiguus, ad Os pubis terminatus, sub qvô aliqvid cartilaginosi, qvod Vulvæ parti inferiori inhærebat, hoc corpus Clitoridem putavit Blasius; fortassis aliis pro membrô virili imposuit, cum binis cruribus, utrumqve Ossi pubis inhærebat. Hoc in inferiori parte rotundum, in superiori parte crenatum erat: Officium manifestò, ut in Coitu vulvam erigeret, flaccidam aliàs, nec idoneam, qvæ, cum mas impetum facit, resisteret. Ex his patet, non modò falsum esse, qvod vulgò creditur, sed & Blasium circa Clitoridem suam egregiè deceptum esse, non minùs, qvàm venatores; is enim Clitoridem, hi penem esse arbitrati sunt, qvod neutrum ex his, sed planè aliud esse curatiùs inspicienti patescit. Hæc Schelhammerus. Causam hujus opinionis vulgaris, ac si omnes lepores essent hermaphroditi, porrò ex Leporum anatome detexit Georgius Segerus, *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obs. 93. pag. 151.* E regione penis, inqviens, in externâ parte Cutis pilosæ foramen conspiciebatur, vulvam æmulans, qvod adeò obtortô ductu, ut sine sectione stylô minimè investigari posset, in Prostatas tandem desinebat. Et qvandoqvidem in binis leporibus tale foramen deprehendi, meritò suspicor, in aliis qvoqve masculis simile apparere. Unde forsan vulgus ansam arripuit, ut lepores hermaphroditis annumeraret. Et juxta Melchior. Sebiz. *de Alimentor. Facultat. Lib. 3. cap. 4. pag. m. 618.* Causa erroris hujus fuit

fuit gemina: una, qvia uterqve Sexus eodem modô urinam reddit: altera, qvoniam in utroqve leporum ingvine tumor visitur, glandulam referens prominentem, è qvô liqvor exsudat. Hos tumores cum in omnibus leporibus vulgus observârit & testes esse crediderit, conclusit, lepores omnes mares simul & fœminas esse. Verum testes non sunt: qvemadmodum nec illi, qvos Fiber sive Castor in Ingvine utroqve gerit. Insunt enim utriqve sexui. Testes siti sunt intus, neqve à tumoribus illis ingvinalibus meatus patet ad mentulam. Et est discrimen evidens inter leporem marem ac fœminam. Nam caput fœminæ est oblongius, corpus crassius, dorsum pilô leucophæô ad nigredinem vergente insignitum. Maris Caput pervius est atqve obtusius: pili barbæ & palpebrarum longiores, aures breviores & latiores: pili cernuntur prolixiores. Nobilis etiam H. F. V. G. in Tractatu: *Notabilia Venatoris*, oder: Jagd- und Weidwercks-Anmerckungen, dicto *fol.* 37. ad Qvæstionem: Verwandelt sich der Rammler, nach der gemeinen Sage, in eine Hääsin, oder nicht? ita respondet: Es ist nicht ohne, daß viele, ja so gar etliche Jäger in diesen Gedancken stehen: es verwandele sich der Rammler ein Jahr um das andere, in das Weibliche Geschlechte, weil nicht allein dieses Haasen-Geschlechte vor andern sich sonderlich geschwinde vermehre, sondern auch, weil der Rammler, außer der Setz-Zeit, als da er sein kurtzes Wildpreth, Testiculos, in den Leib ziehet, der Hääsin eben nicht ungleich siehet. Weil aber diese Verwandelung so gar sehr wider die gesunde Vernunfft läuffet, welche sich durchaus nicht will bereden lassen, daß GOtt sein Geschöpff, wie er es einmahl gemachet, wiederum ändern solte, so bleibet diese Meinung allerdings verworffen. Dieses aber ist gewiß, daß es unter keinem Thier-Geschlecht mehr Hermaphroditen oder Zwitter giebet, als un-

ter

unter denen Haasen. vid. etiam Honorat. Fabri *Tract. de Generat. animal. Lib. 5. Proposit. 63. pag. m. 171.* Interim tamen negandum non est, qvandoqve etiam Lepores hermaphroditos reperiri, qvale exemplum refert Benjamin Scharffius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 88. p. 174.* de Lepore, qvi in venatione, qvam par forcè dicunt, captus, egregiè mammatus conspiciebatur, cujusqve mammæ ad Uncias qvatuor lactis probè elaborati & albissimi præbebant. Deinde hic dissectus omnia membra virilia ad generationem necessaria exhibebat; ut hinc allegatus Scharfius concludat, duplices & Hermaphroditos permultos esse lepores.

§ 41.

Ichnevmoni, exiguo animali amphibio, Crocodilum interficienti, utriusqve Sexus participi à Natura tributum est, ut & suô semine graviditatem & partum aliis afferat, & ipse qvoqve Ventrem ferat, & ex se pariat, scribit Claudius Ælianus *de Animal. Lib. 10. cap. 47. fol. m. 226.* *Ichnevmon.*

§. 42.

Murem majorem seu Rattum, qvi hermaphroditus erat, *Mus major,* & prægnans, novemqve masculos Utero conclusos gessit non majores, qvàm aliqva magna formica, vivos omnes & in qvibus Cor pulsare visum est, exenteravit Theophilus Molitor. Erant huic Ratto omnia fœminam constituentia genitalia, & semen præparantia, conficientia testes ac deferentia Vasa cum matrice: alterâ ex parte aderant omnia Vasa semen facientia & jaculantia masculina cum ipsô Veretrô, testibus, Vesiculis, Semine densô & optimè concoctô onustis, uti ex Johanne Fabrô refert Philippus Jacobus Sachs à Lewenheim, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Observ. 203. Schol. p. 305.*

§. 43.

Cochleæ. Cochleas domi portas pro hermaphroditis habere videtur Johannes Conradus Peierus, *Exercit. anat. med. 27. p. m. 147.* qvi tamen *Exercit. 32. pag. 170.* De ipsarum sexu adhuc anceps hæret, nec certò se scire dicit, utrum omnes sint hermaphroditæ, an terrestres duntaxat. Interim ita pergit: In monte Pessulanô Septembri Mense observavi singularis speciei Cochleas terrestres binas, utrinqve exertó Corpore illô Cylindriacô, in qvô ossiculum angulatum ac instar teli mucronatum delitescit, invicem ita coaluisse, ut una eademqve Cochlea alteram exciperet & vicissim exciperetur ab alterâ, qvasi ea foret articulationis species, qvam Græci Ginglymum appellavere. Sed corporis cylindriaci superficies his minimè levis & glabra erat. Rigebat enim eminentibus undiqve apicibus perinde atqve viperini penes, & præterea nigricabat. De Cochlearum ceu androgynarum generatione varia du Verney singularia & curiosa observavit, *vid. Act. Erudit. Lips. An. 1710. Mens. Jun. pag. 248.*

Conchæ. Conchas etiam fluviatiles hermaphroditas esse, ovaria & vesiculas Seminales habentes, speciemqve suam per seipsas multiplicantes, in Histor. Academ. Reg. Scient. An. 1710. annotavit Dominus Mery. *v. Act. Eruditor. Lips. An. 1714. Mens. Maj. p. 196.*

§. 44.

Aselli. De Asello hermaphroditicô & Crocodilis seqventem Observationem, *M. N. C. Dec. I. An. I. Observat. 125. pag. 283.* communicat Thomas Bartholinus: Doctor Wilhelmus Worm, Collega, ex Norwegiâ nuper accepit Asellum hermaphroditicum, cui & ova & lactes insunt. Insoliti qvoqve his terris Crocodili ex Africâ in Daniam bini advecti venerunt, utriusqve sexus, sed vivi littora nostra attingere non potuerunt.

§. 45.

§. 45.

Cyprini Hermaphroditi cum notis utriusqve sexûs genituræ & ovorum ex Gesnerô & Weinrichiô meminit Johannes Georgins Schenckius, *de Monstr. p.m. 128.* Carpionem hermaphroditum Dresdæ præsentibus multis bonis viris in prandiô se habuisse scribit Johannes Daut, *de Testament. fol. 353.* Ejusmodi Carpiones, lactes & ova simul habentes, tanqvam meliores, Dresdæ non adeo rari sunt atqve pro melioribus haberi solent. Et Trochum inter pisces se ipsum inire, refert Ludovicus Cœlius Rhodig. *Lection. antiqvar. Lib. 19. cap. 12. fol. m. 742.* Regiomonti Anno 1700. Melanurus observatus fuit, mensæ Rectoris Scholæ Lœbnicensis, inter alios suæ gentis socios majusculos illatus, qvi ab altero latere lactium, ab altero Ovorum Speciem ostendebat. Lactes autem masculinum, ova fœmininum sexum denotare notum est. *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obs. 109. pag. 190.* Pisces Cyprinus. Carpio. Trochus.

§. 46.

Araneæ & omnia Insecta à nonnullis pro hermaphroditis habentur, siqvidem Stephanus Blancardus ad Johannem Ludovicum Hannemannum perscripsit, se habere araneam, qvæ qvatuor annos pepererit ova, ex qvibus iterum araneæ sint productæ; atqve se hoc posse affirmare, qvòd nullus masculus adfuerit & semper procreatæ araneæ. Itaqve, num sint hermaphroditæ, Hannemanni expetit judicium: qvi ipsi, esse hermaphroditas & utriusqve sexûs omnia insecta, respondit. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 55. pag. 65.* Aliud Insectorum exemplum refert etiam Johannes Petrus Albrechtus *l. a. An. 9. & 10. Obs. II. pag. 26. seq.* Ante tres, inqviens, circiter Annos, sub finem Junii, dum in hortô meô intra mænia Urbis sito, obambulo, forte fortuna Chrysalidum (uti ita erucas Insecta. Aranea. Papiliones.

 pri-

primâ vice in ovale utplurimum vel similis figuræ corpus transformatus appellare solent) qvædam species è foliis Ribesiorum propendens, meo sese offerebat conspectui, colore fusca, ac qvoad magnitudinem haudqvaqvam inter minores referenda. Ego, ut viderem, qvale aliqvando exinde proveniret animalculum, eandem sub vitrô in ædibus ejusdem horti abscondidi. Circa finem Julii ejusdem anni prodiit Papilio formosus ex albô flavescens, hirsutus qvodammodò & satis magnus, similis fermè illi, qvem curiosus ille qvondam Mediburgensium Pictor, Johannes Gœdartus, *Histor. Nat. Insect. Part. I. Experim.* 33. delineat, nisi, qvod noster illum magnitudine longè superaret. Accuratè cum sub eodem servavi vitrô, ita, ut nullius animalculi consortiô frui posset. Præteritis aliqvot diebus copiosissimè edidit ova, qvô factô paulatim tabidus factus vitâqve exutus est. Cùm masculum huic Papilioni haud adfuisse certus essem, & propterea ejus Ova subventanea ac sterilia esse judicarem, vix ampliùs eorum habui rationem; relictis interim iisdem oscitantius & sine omni curâ sub dictô vitrô per totum tempus hyemale. Ast præter opinionem rem aliter cecidisse ultimi fermè Aprilis inseqventis anni comprobavêre dies, qvô tempore forsan post varios labores Ægrotorum ergò exantlatos, ad aliqvalem in hortô tum animi, tum Corporis, qværendam qvietem jucunda veris me invitaverat aura. Properans igitur ad ædium conclave, in qvô ova sub vitrô antecedenti observaveram annô, hoc in eôdem adhuc situ deprehendi; Ad ipsa verò Ova oculorum vertens aciem, non qvidem illa, sed eorum locô minutissimas erucas intensâ conspicuas nigredine huc illucve repentes observavi, qvæ postea Microscopiô lustratæ, hirsutæ & qvoad omnes partes satis perfectæ conspiciebantur. Frustra eqvidem iis alimentum qvæsivi, cùm, qvodqvod etiam ex diversis plantis,

tis, fruticibus vel arboribus apponerem, nullum tamen ad eorum videretur esse palatum; Unde qvoqve decenti suô carentes pabulò brevi exspirârunt, hoc saltem attestantes, Insectorum Ova sine masculi cum fœmellâ edita conjunctione non semper existere sterilia. vid. insuper Joh. Lang. Epist. medicin. *Lib. 2. Epist. 8. p. 530. seqq.* Georg. Horn. *Histor. natur. Lib. 2. cap. 20. pag. m. 143. Lib. 4. cap. 4. pag. 290.*

§. 47.

Qvoad Causas Hermaphroditorum dissentiunt Autores, siqvidem Astrologi tunc præsertim Androgynos generari volunt, qvando Synodus Veneris & Mercurii in signis bicorporeis celebratur. Inqvit enim Johannes Jovianus Pontanus *de Reb. cœlest. Lib. 10. cap. 5. pag. m. 291.* Qvod ad Hermaphroditos atqve Androgynos pertinet, qvando Mercurii stella versatilis, ac, pene dixerim, promiscua est, sive qvòd Veneri copulata vires ejus augeat ad progignendam fœminam, sive qvod in illarum favorem proclinet stellarum, qvæ masculam sobolem meditantur, de Conjunctione profecto ac commixtione radiorum ejus, qvod Semini ac materiæ genitali uberiorem valentioremqve vim adjungat, hæc naturæ duplicitas manat, ut dum utriqve favet æqvô studiô, non tamen ut geminos valeat gignere, aut alteri, ne omninò succumbat, fert suppetias, fœtûs hæc sexusqve sive incertitudo, sive communitas proveniat. Et *pag. 290.* inqvit: Saturnus in Culmine positus ac Mercurio partiliter conjunctus, si dominus genituræ aut vitæ dator adversabitur, malaqve Martis irradiatio accesserit, præterqvam qvod paralyticos; gibberos atqve incurvos facit, facit aliqvando etiam hermaphroditos. vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 31. p. 331. seq.*

Causa Hermaphroditorum, à Constellatione.

§. 48.

à Menstruatione.

Ex Physicis nonnulli talem Causam & qvidem in certis à Menstruatione diebus qværunt, statuentes scilicet, à primô, pôst Mensium fluxum, congressus die ad qvintum usqve masculos procreari, deinde ad octavum fœminas, postmodum ad duodecimum rursus Mares; post hunc verò dierum numerum hermaphroditos. vid. Levin. Lemn. *de occult. Natur. miracul. Lib. I. cap. 9. pag. m. 44. seq.* Alii Hermaphroditos oriri statuunt, qvando Congressus tempore Menstruationis & fluentibus adhuc mensibus celebratur. Alii eosdem à falsâ Uteri in Cellulas divisione derivant, siqvidem Veterum nonnulli Matricis Cavitatem in tres Cellulas (alii in septem) dividebant, atqve si Semen in dextram incideret, mares, si in sinistram, fœminas oriri, si verò in mediam cellulam semen virile injiceretur, hermaphroditos seu androgynos nasci, sibi persvadebant. vid. Aristot. *Problem. E. 6.*

§. 49.

à facultate formatrice.

Secundum alios Androgynorum generatio nihil est diversa à Monstrorum productione. Cum enim secundum illos fœtûs efformatio ad facultatem formatricem Uteri pertineat, ex cujus errore innumera monstrorum genera fieri dicunt, hoc qvoqve ab illâ dependere existimant ac probabile esse putant. Item, si facultas masculum ex materiâ proportionatâ formare intendat, si tunc fortè aliqvid objiciatur, qvod imaginationi genitalis fœminei speciem fortiùs imprimat, tunc facultatem in opere suô qvasi turbari, & masculinum sexum nonnihil obliterari, fœtuiqve tunc aliqvid, qvod membrum referat fœmineum, addi: econtra verò, si fœminam intendenti virilis membri occurrat impressio. Vel, juxta alios, qvotiescunqve incipiunt masculina membra delineari, ex

à Semine.

defectu autem Seminis, vel ex malô materiæ apparatu & matri-

tricis dispositione perfici masculus neqvit, additur fœminei Sexûs complementum, ex qvô Androgynus compilatur. Item, ad fœtus generationem Viri mulierisqve Semina conveniunt, & unumqvodqve sui sexus naturam & effigiem imprimere intendit, adeò, ut, si virile semen præpollet, Vir effingatur, si muliebre, mulier; qvodsi verò contingat, unum alteri non prævalere, sed ambo in eodem Virtutis pondere reperiri, utraqve conantur efficere, virile qvidem virum, muliebre mulierem: qvoniam verò nec viri Semen per se independenter à muliebri potest fœtum perfectô modô producere: multòqve minus semen muliebre absqve virili operari valet, fit, ut vir secundum medietatem suam, & mulier secundum aliam sibi prope Sexum eum assimilent, licet ambo imperfectè, adeò, ut nec Vir propriô nomine, nec mulier dici possit, sed promiscua natura. Vel si inchoato jam conceptu fœmineô ipsoqve rudi & imperfectô existente, virilis Seminis nova accedat effusio & irroratio, tunc à facultate formatrice utriusqve Sexûs figuram elici atqve exprimi, nonnulli statuunt. Vel ex præposterâ libidine & vitiosô atqve indecorô Coitu, cum præter communem coëundi usum Vir supinus, mulier verò prona decumbunt. Has & plures alias causas apud Autores reperies. vid. Casp. à Reies *Qvæst. med.* 48. *pag. m.* 593. *seq.* Dan. Sennert. *Pract. med. Lib.* 3. *Part.* 9. *Sect.* 1. *cap.* 13. *&. Lib.* 4. *Part.* 2. *cap.* 7. Joh. B. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tit.* 1. *cap.* 3. *pag. m.* 103. Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib.* 4. *fol. m.* 520. Nic. Venett. *de la Generat. Part.* 4. *cap.* 4. *p.* 612. *seq* Casp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib.* 1. *cap.* 3. Christ. Neandr. *Histor. Bacchanal. p.* 53. Roder. a Caster. *de Nat. Mul. Lib.* 3. *cap.* 12. *pag. m.* 145. A. Par. *Lib.* 24. *cap.* 4. *fol. m.* 550. Jacob. Moller. *de Hermaphrodit. cap.* 4. *p. m.* 158. *seqq.*

§. 50.

§. 50.

Causa refutantur.

Sicuti autem prima, Astrologorum scilicet, sententia à plerisqve hactenus citatis Autoribus, tanqvam somnia ac nugæ, rejicitur, ita qvoqve reliqvæ adductæ Hermaphroditorum causæ recentioribus Physicis pariter suspectæ sunt; cum pleræqve falsâ hypothesi, utriusqve scilicet Seminis, Virilis atqve muliebris, commiscelâ, nitantur; qvæ tamen, secundum superius allegata, plurimis rationibus à recentioribus refutatur, siqvidem secundum horum fundamenta Semen virile in Coitu raro Uteri cavitatem ingreditur, & nunqvam vel rarissimè ad ipsum Ovarium fœmineum materialiter penetrat. Deinde Semen muliebre non in liqvore istô, qvi in congressu qvandoqve à fœminis excerni solet, nec in ejusdem cum Semine virili commiscelâ, sed tantùm in Ovariis earum Ovulis reperiri, recentiores Autores docent; ex qvibus seqvitur, materiam hermaphroditorum æqve ac reliqvorum naturaliter constitutorum fœtuum non in Seminibus commixtis, sed unicè in Ovulô muliebri qværendam esse. Unde circa talem satis obscuram Hermaphroditorum originem suspicari mihi liceat, in ejusmodi Ovulô muliebri statim à primâ formatione dispositionem qvandam erroneam & fortasse prò gemellis aptam, casu tamen aliqvô turbatam, reperiri, ex qvô postmodum fœtus duobus genitalibus, vel unius ejusdemqve vel utriusqve Sexûs formetur, pariter uti in Monstris, ubi natura fortasse gemellos intentavit, qvandoqve bina capita, vel qvatuor bracchia, reliqvas autem partes tantummodò simplices & naturaliter formatas observare licet. Qvanqvam etiam circa talem vitiosam partium genitalium conformationem Phantasiæ seu imaginationi maternæ non omnem vim derogare velimus, cum eandem interdum fœtibus Utero materno inclusis, non modò circa prin-

principium formationis, sed qvandoqve etiam jamtum perfectis varias mutilationes & deformationes, ut & abundantias & defectûs partium affingere posse, testentur Autores. Qvale exemplum duplicis Uvulæ Excellentissimus Bohnius se observasse dicebat: Scilicet fœmina qvædam honesta Lipsiensis gravida, cùm speculum ore apertô aliqvando adiisset, ut uvulam sibi luxatam conspiceret, puellam postmodum edebat, duplici uvulâ præditam. Simile exemplum qvoqve mihi à matris imaginatione videre licuit, in puerô duodecim annorum in Orphanotrophæô Dresdensi, cui nomen Fœrsteri, huic scilicet duplex qvoqve erat uvula, & ita qvidem formata, ut statim circa radicem duplex videretur, atqve in extremitate seu apice longè satis à se invicem discederet. Ut alias ejusmodi à matrum phantasiâ depravatas conformationes silentiô prætereamus.

§. 51.

Hermaphroditos olim pro Monstris habitos ideoqve tanqvam prodigii atqve sinistri ominis aliqvid significantes, necatos, vel aqvis submersos, seu in flumina dejectos fuisse, multis Observationibus testatur Johannes Schenckius, *Observ. medicin. Lib. 4. fol. m. 519.* item Caspar. Bauhinus, *de Hermaphrodit. Lib. I. cap. 35. pag. m. 357. seqq.* Ott. Philipp. Zaunschliffer. *Oper. Jurid. Tr. de Jur. Monstror. pag. 150.* Jul. Obseqv. *de Prodig. p. m. 86. 88. seq. 103.* Jacobus Mollerus, *de Hermaphrod. cap. 5. p. m. 164. seq. & cap. 6. pag. 180.* ubi hujus acerbitatis originem refert ad Legem 18. Romuli, cujus verba sunt: Monstrosos partûs sine fraude cedunto: hinc istius legis Aruspices executores severissimi Hermaphroditos in mare abjici curabant. Constantinus Imperator etiam lege latâ hoc tertium genus hominum vitâ tolli & auferri constituit, uti ex Eusebiô Pamphilo, *Lib. 4. de Vit. Constantin.* refert

Hermaphorditi an monstra?

Kk kk Eber-

Eberhardus Speckhan. *Quæst. Jur. Cent. 1. Quæst. 77. Oper. fol. 87.* Id qvod tunc temporis variis ceremoniis fieri solebat; Siqvando enim Romæ nascerentur Hermaphroditi, exportatus fœtus in mare vel flumen dejiciebatur, Civitas expiabatur Virginibus ternovenis carmen per urbem canentibus, Junoniqve donum offerebatur, uti ex Alexandrô ab Alexandro recenset Caspar. à Reies, *Quæst. 48. §. 1. pag. 590.* Jul. Obseqv. *de Prodig. pag. m. 89.* vid. etiam C. Bauhin. *l. a. cap. 37. pag. 377. seqq.* Talem etiam Hermaphroditos recens natos ex viâ & vitâ tollendi consvetudinem adhuc hodiernô die in Provinciâ Africanâ, Fetu dictâ, in usu esse, refert Wilhelmus Johannes Müllerus in ejusdem descriptione, *Part. 4. pag. m. 184.* **In Fetu, inqviens, hat eine Mohrinne gewohnet, welche zu fünff unterschiedenen mahlen einen Hermaphroditen zur Welt getragen, selbe sind aber alsobald aus dem Wege gethan. Gleicher Gestalt wird auch das zehende Kind, welches eine Mutter gebieret, unschuldiger Weise getödtet.**

§. 52.

Non sunt monstra. Qvamvis autem talis Hermaphroditos, tanqvam monstra, necandi mos apud dictos Ethnicos nostris adhuc temporibus consvetus sit, nihilominus tamen jam Plinii temporibus ferina hæc Atheniensium & Romanorum lex atqve crudelis consvetudo non solum abrogata erat, sed Hermaphroditi etiam dicti Plinii tempore pro deliciis haberi cœperunt. v. ejusd. *Histor. Nat. Lib. 7. cap. 3. fol. m. 107.* & qvidem, qvòd, juxta Simon. Majol. *Colloqv. post canicular. juvenil. Colloqv. 1. pag. m. 77.* utroqve sexu luxuriâ nefariorum simul potiri viderentur. Hinc etiam nostrô tempore minimè monstris adscribuntur, siqvidem juxta Eberhard. Speckhan. *l. a.* Androgyni, qvamvis olim aliqvando inter prodigia fuerint relati,

cum

cùm formam habeant humanam apud JCtos inter homines annumerantur; & solùm formâ humanâ destituti partûs ab ordine hominum expugnantur. *l. non sunt liberi* 14. *de stat. hom. l. qvod certatum est* 3. *in fin. C. de posthum. hæred. instit.* Sic juxta Jacob. Moller. *de Hermaphroditis cap.* 5. *p. m.* 165. vel potiùs juxta Paul. Zacch. *Quæst. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qv.* 8. §. 11. *fol. m.* 504. Hermaphroditos monstra non esse, nec pro monstris à legibus nostris haberi, sed in virorum vel mulierum censu reputari, clarum est ex *l. qværitur ff. de stat. hom. l. repetundarum* §. *Hermaphroditus ff. de test. l. sed est qvæsitum in fin. ff. de liber. & posthum. cap. si testis.* 2. *Hermaphroditus* 20. *qv.* 3. Et Johannes Daut, *de Testament. fol.* 350. Hermaphroditi, inqvit, pro monstris certè ab initiô habiti & occisi sunt; hodie res aliter se habet. Voluit etiam Licetus, non omnes Hermaphroditos indifferenter pro Monstris habendos esse, sed illos tantum, qvibus neuter sexus ob exilitatem perfectus est, aut qvibus alter longè à suô naturali locô est transpositus: juxta qvam opinionem videtur dicendum, Hermaphroditos illos, qvi saltem alterum sexum ratum & rectè conformatum habent, non magis monstrosos esse, qvàm eos, qvibus aliqvis digitis manus vel pedis superflueret, vel qvibus pes aut manus esset distorta, aut qvi simile qvid vitii haberent: hi enim monstra dici non possunt, cùm in monstri Constitutione reqviratur insignis & enormis læsio, juxta Paul. Zacch. *l. a.* ubi ita pergit: Itaqve non solùm in hoc sensu monstra non sunt Hermaphroditi, qvi in utroqve sexu, vel in alterutrô tantùm prævalent, sed ad rem nostram, nempe ut pro viris vel fœminis habeantur, & inter eos, vel eas, locum obtineant, neqve ii monstra dici debent, qvi in neutrô sexu potentes existunt, aut alterum etiam transpositum habent: si qvæ enim turpitudo ac monstrositas inde-

nascitur, parum qvid facere videtur ad humanæ figuræ vel cujuscunqve detrimentum: apud leges autem hi tantùm partûs, qvi scilicet formâ humanâ destituuntur, pro Monstris reputantur, ita, ut in numerum filiorum non veniant. Prolixè etiam Caspar. Bauhinus, *de Hermaphrod. Lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* | *m.* 44. *seqq.* qvæstionem tractat, an Ostenta, an Monstra, an Portenta, an Prodigia sint? & qvid sit Ostentum, Monstrum, Portentum & Prodigium? qvi locus citandus mihi videtur, cùm alii Autores Ostentum & monstrum idem significare, alii autem â se differre atqve Hermaphroditos eqvidem Ostenta, non verò monstra esse statuant. vid. Jacob. Moller. *l. a. pag.* 166. it. Paul. Zacch. *l. a Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qvæst.* 1. §. 17. *seqq. fol.* 369. Otton. Phil. Zaunschliffer. *Oper. Jurid. Tr.* 10. *de Jur. monstr.* §. 3. *pag.* 143. *seqq.*

§. 53.

An aliqvid mali portendant?

Interdum tamen per ejusmodi Ostenta, portenta & monstra aliqvid mali portendi, varii statuunt Autores, qvale unicum exemplum ex Casparô Bauhinô, *l. a. cap.* 35. *pag.* 360. recensere libet: Polycritus qvidam Ætolus, à populô Gentis Ætolæ Præfectus, qvem Ætolarcham vocant, est designatus per triennium, Civibus eum ad hoc munus deposcentibus, ob virtutem à majoribus ad ipsum propagatam. Eum gerens magistratum Polycritus uxorem duxit Locridem, cum qvâ, ut tres dormivit noctes, qvarta extremum vitæ diem morte confecit: Mulier domi vidua mansit, & cùm partûs tempus appetiisset, infantem peperit binis pudendis, masculô ac fœmininô, mirificè omninò monstrosum: qvæ supra pudenda erant partes, solidæ erant & masculæ: qvæ circum femora, fœmineæ & teneræ. Perterriti hôc casu propinqvi, fœtum in forum protulerunt, advocatâqve Concione & coactis sacrificulis atqve monstrorum inspectoribus, de eô deliberarunt. Horum

rum aliqvi pronunciârunt, dissidium aliqvod Æteolorum & Locrensium portendi; fœtum enim divisum esse, matris Locridis & patris Ætoli. Alii censuerunt, matrem cum fœtu extra fines Ætoliæ deportari ac cremari debere. Dum hæc consultant, subitò Polycritus, pridem mortuus, in Concione existit prope infantem, atrâ amictus veste. Is perterritos Cives eô spectrô affatus est & sibi infantem suum precibus primò, mox etiam minis intermixtis, restitui petiit. Negantibus aliis, aliis Consultationem differentibus, irâ exardens Polycritus arripuit infantem, & plerosqve ferociùs abigens, discerpsit eum ac voravit. Clamorem multitudo sustulit lapidibusqve in eum conjectis arcere aggressa est: Verùm ille nullis saxorum obnoxius ictibus totum infantis corpus, demptô capite, absumsit, subitòqve evanuit. Qvod factum cùm Ætoli ægrè ferrent, & in anxietatem haud mediocrem venirent, Delphosqve mittere vellent, Caput Infantis in solô jacens loqvi cœpit & longâ oratione ingentem cladem Civibus impendere prædixit. Auditô Ætoli oraculô, uxores, infantes & seniô provectos exposuerunt, qvò qvisqve potuit: ipsi manserunt domi, &, qvid futurum esset, expectarunt. Contigit autem, ut annô proximô inter Ætolos & Acarnanes bellum existeret, & utrinqve magna fieret Clades. Sit fides penes Autorem.

§. 54.

Cùm proinde secundum hactenus dicta Hermaphroditi, seu fœtûs humanam formam habentes, non ampliùs pro monstris judicandi, neqve Oceano submergendi, aliôve modô è vitâ tollendi sint, illi potiùs, ut alii homines rationales atqve Christiani, fonte salutari seu Baptismô abluendi & nomine propriô donandi erunt; circa cujus impositionem varia notanda veniunt. Cùm scilicet Hermaphrodito vel masculi- *Baptismus Hermaphrod.*

num, vel fœmininum nomen imponendum ſit, ante omnia fœtus, anteqvam baptizetur, probè inſpiciendus, utrius ſexûs genitalia, an maſculina, an fœminina, magis efformata ſint atqve conſpectui ſe offerant, proqve illorum ſexûs qvalitate ac conditione, ſi v. g. maſculinus ſexus magis ſit efformatus, vel ad minimum prævalere videatur, viri, ſin fœmineus, fœminæ nomen imponendum erit. Qvod confirmat Caſparus Bauhinus, *l. a. cap. 40. pag. 393.* ad Qvæſtionem: num Hermaphrodito, cum baptizatur, maſculinum an fœmininum nomen imponendum ſit? Reſpondens, nomen maſculinum imponendum eſſe, ſi in ſexu maſculinô magis incaleat, aliàs fœmininum. *Bald. in leg. qvotus in fine. Ang. in l. de qvib. de leg. Bertranchin. reper. par. 2. tit. Hermaphrod.* Sic Kembergæ, vivente adhuc Philippô Melanchthone, Hermaphrodito in Baptismô fœmininum nomen inditum eſſe, cùm ſexus fœmininus magis in infante conſpicuus fuerit, qvàm maſculinus, meminit Johannes Dauth, *de Teſtament. fol. 353.* Id qvod etiam ſemper obſervatur. In dubiô verò incaleſcentis ſexûs, prout placet imponenti, conferendum nomen eſſe, ex Baldô *l. a.* ſcribit Bauhinus; Zaſius verò *in parat. de ſtatu homin. no. 17.* ſtatuit, in dubiô prò maribus hermaphroditos haberi. v. Chriſt. Neandr. *Hiſtor. Bacchanal. Membr. 3. Sect. 1. de Sex. pag. m. 58.* Cui ſententiæ etiam ſubſcribit Jacobus Mollerus de Hermaphrodit. *cap. 5. pag. m. 168.* Qvidſi, inqviens, in Infante recens natô uterqve Sexus, tam maſculinus, qvàm fœmineus, ratione genitalium perfectè effigiatus & conformatus ſit, ratione teneritudinis autem obſervari non poſſit, in qvonam Sexu increſcente ætate incaleſcet & potior fiet, qvodnam in hac re dubiâ nomen tali Hermaphrodito imponendum ſit? Et Reſp. Qvòd eo caſu Viri nomen imponendum ſit, & qvidem hoc ex eâ ratione, qvia con-

constat & qvoqve secundum naturalium rerum indagatores solertissimos, Aristot. *de Histor. animal. Lib. 8. cap. 2. &. Lib. 2. de Generat. cap. 3. &. 4.* Galen. *de utilitat. Part. Lib. 14. cap. 6. & Lib. 2. de semin.* Plin. *Natur. Histor. Lib. 7. cap. 4.* expeditum est, Naturam omnium veluti rerum parentem atqve altricem semper ad meliora perfectioraqve niti. Idcircò in generatione hominis, qvandocunqve natura suos conatus perfectè & plenè asseqvitur, gignentibus scilicet sufficientes ad tam perfectum opus producendum facultates suppeditantibus, tum marem progignit hominem in suô genere, scilicet hominis, perfectum. Unde è contrariô, ubi fœmina nascitur, ibi natura, deficientibus scilicet gignentium facultatibus, manca atqve minus vegeta, optimum perfectumqve fœtum, marem scilicet, producere non potuit, qvem haud dubiè potuisset, si perfecta ea atqve integra fuisset; fœminam ergo tum, hominem minus perfectum, seu marem mutilatum & occasionatum, ut eum vocat Aristoteles, produci longè indigniorem, intelligitur. Et hanc perpetuam naturæ inclinationem in generatione animalis, ad generandum præcipuè masculum fœtum, tanqvam digniorem probatum facit id, qvod contingit interdum, fœminas in mares mutari, nunqvam verò in fœminas mutentur mares, repugnante scilicet naturâ, qvæ semper expetit dignius & indigniori resistit. Sic etiam pari ratione Hermaphroditus recens natus, in qvô utriusqve Sexus genitalia ritè & exactè efformata videntur, in dubiô pro masculô reputatur, ipsiqve in S. Baptismate nomen Viri imponendum est, cùm ejus adulta ætas non expectanda sit, ut ex eâ cognosci qveat, uter Sexus magis incalescat, nec propterea S. Baptisma differendum. Hactenus Mollerus.

§. 55.

§. 55.

Mollerus refutatur.

Qvamvis autem in dubio Hermaphroditorum Sexu nomen masculinum pro fœmininô illis imponendum esse, libentissimè concedam; Cur tamen secundum allegati Molleri verba solus mas, non item fœmina, perfectus homo sit? & an sic dicta Natura semper marem, tanqvam perfectum opus producere nitatur, & qvânam ratione id meditetur, item, an deficientibus tantummodo gignentium facultatibus & casu qvasi fœminæ producantur, sanè penetrare neqveo; cum præsertim juxta ipsius Molleri *l. a. cap. 4. p. 162.* verba, & alios recentiores Autores, fœtûs formatio ex Ovarii muliebris Ovulô (qvod absqve dubiô, à primâ statim formatione, fœtus, sive maris, sive fœminæ, stamina, & qvidem à sic dictâ Naturâ immutabilia in se continet,) ortum sumat, ut ita neqve à qvantitate, neqve à qvalitate Seminis virilis, Sexus tam masculus, qvàm fœmineus dependeat, cum præterea à nonnullis robustis satisqve valentibus parentibus non nisi puellas, à debilioribus econtra non nisi puellos procreari observemus?

§. 56.

An fœmina imperfecta.

Porrò Mulieres in suâ specie æqvè perfectæ sunt, ac Mares; Et qvamvis hi partes suas genitales externè habeant, illæ econtra eosdem internè latitantes gerunt, prætereaqve externè mammis superbiunt. Qvantum deniqve ultimum Molleri argumentum, nimirum fœminas qvandoqve in mares, nunqvam vero mares in fœminas mutari, attinet, illud sanè nullius est ponderis, cùm in ejusmodi exemplis nulla sexûs mutatio, sed tantùm sexus masculini hactenus latitantis proruptio seu manifestatio fuerit observata. Præterea etiam Ausonius Beneventi puerum qvempiam repente virginem factum, his verbis, refert:

Nec

Nec satis antiqvum, qvod Campano in Benevento,
Unus Ephebortum virgo repente fuit.

v. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. fol. m. 522.* de qvâ materiâ paulò infrà paucis agendum restat. Interim tamen talem Hermaphroditum, (in qvô recens natô nullum certum alterius sexûs signum apparet, vel etiam in qvô utriusqve sexûs genitalia ritè & exactè efformata sunt, ita, ut neuter sexus alteri prævalere videatur,) pro Masculô reputandum, ipsiqve non tam ratione perfectioris, & à naturâ intentati, qvam per se nobilioris & dignioris sexûs masculini, statim in Baptismate virile nomen imponendum esse fateor.

§. 57.

Qvodsi verò in ejusmodi sexu dubiô Hermaphroditus recens natus secundum adductas rationes in Baptismô Virili nomine insignitus, hincqve pro Mare habitus virili vestitu per aliqvot annos fuerit usus, postmodum verò, increscente ætate & judiciô, vel ex consvetudine, seu Conversatione cum aliis pueris & adolescentibus, vel etiam ex superveniente pruritu venereô erga sexum virilem atqve viro nubendi desideriô, se non marem, sed fœminam esse, agnoscat atqve sentiat, prætereaqve à Medicis vel Chirurgis pro tali judicetur, tunc qvæstio oritur: An tale post nativitatem statim celebratum Baptisma pro legitimô & ratô habendum, an verò cum novâ Nominis impositione reiterandum sit? Ad hanc qvæstionem respondet Jacobus Mollerus, *l. a. pag. 169. seq.* Irritum videri posse hoc Baptisma, svadere videntur seqventes rationes: 1.) ex *l. si qvis in fundi 4. ff. de legat. 1.* ubi dicitur: errorem nominis vitiare dispositionem. 2.) ex *l. alioqvin. 11. §. 1. de contrah. empt.* ubi in errore sexus emptio venditio nulla est. 3.) ex *l. cum in liberis. 14. C. de hæred.*

An post sexûs cognitionem baptismus reiterandus?

Affirmatur.

 in-

instit. ubi error nominis totum vitiat testamentum. 4.) *ex cap. significante. 34. & Rudolphus 35. de Rescript.* 5.) Qvia nomina sunt rebus consonantia, *§. est & aliud vers. sed nos plenissime Inst. de donat.* & ubi nomina sunt diversa, res etiam diversæ censentur, *arg. l. si idem 7. C. de Codic.* 6.) Qvia communis est canonistarum Opinio, qvòd baptizans masculum, cùm tamen sit fœmella nihil agat. Ita etiam Jason *ad l. si in nomine. 4. n. 2. C. de testam.* ait: qvintò limita in Baptismo, nam si baptizans intendit baptizare masculum, & ei imponit nomen Petrus, cùm sit puella, non est baptizata ipsa puella, qvando baptizare intendebat masculum, & non fœminam baptizare: Ratio, qvia oportet, qvod intentio baptizantis fundetur super verô. Hæc Jason. Ita & Sichardus *ad d. l. si in nomine 4. n. 15.* Tertius casus est, inqvit, circa Baptismum, ut, si Sacerdos animô & intentione baptizandi masculum, det ei nomen virile, cùm tamen reverà sit fœmella, tunc certè ille actus, secundum communem Canonistarum opinionem, propter errorem nominis, vitiatur. Idem reperimus etiam apud Paul. Zacchiam, *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. n. 9. fol. m. 593.* qvinam hermaphroditorum pro maribus, qvi verò pro fœminis habendi, qvoad Baptismum multum refert, qvia si baptizans fœminam, putans se baptizare masculum, masculinum nomen ei imponit, aut vice versa, non dicitur fœmella illa, aut puerulus baptizatus.

§. 58.

Negatur. His tamen non obstantibus contrariam opinionem, videlicet tale Baptisma, ob nominis errorem, vitiosum non esse, pro veriore agnoscit idem Jacobus Mollerus *l. a. pag. 170. sq.* & qvidem 1.) qvia ubicunqve substantialia Baptismi observata sunt, ibi verus & legitimus baptismus est administratus: siqvidem ad plenam & integram cujusqve rei essentiam partes ejus-

ejusdem essentiales sufficiunt; at verò in baptisatione talis Hermaphroditi substantialia Baptismi fuerunt observata, adfuit namqve aqva cum verbô, adfuit invocatio S. S. Trinitatis; aqva in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti effusa & aspersa fuit; Ergo verus & legitimus Baptismus celebratus fuit. *arg. Can. si qvis apud 23. de consecrat. distinct.* 4. ibi ne Sanctæ Trinitatis invocatio annulletur. Gerhardus *Locor. Theolog. Tom. 4. de S. Baptismo Sect. 3. c. 3. n. 26. vers. qvos si qvi hæretici.* 2.) Qvia & aliàs error in Nomine veritati non nocet, modò Corpus nomine denotatum certum sit. *arg. siqvidem in nomine 29. Instit. de legat. l. his verbis* 48. §. *3. ff. de hæred. instit. l. Demonstratio 17. ff. de condit. & demonstrat. l. si in nomine* 4. *C. de testament.* Cardinal. Mantica *de Conject. ult. vol. l. 4. tit. 5. n. 1.* Hinc & Imperator ait: Nihil nominis commemorationem ambiguitatis parere; *l. hac consultissima 8. in princ. C. qvi testam. fac. poss.*

§. 59.

Deinde etiam dictus Mollerus *l. a. pag.* 171. argumenta suprà in contrarium adducta, hoc modo diluit: Ad 1.) distingvendum est inter Nomina propria & appellativa. Error Nominis proprii non vitiat, *d. §. siqvidem in nomine 29. Instit. de legat. l. si in nom.* 4. *C. de testament.* Error verò nominis appellativi, seu, ut Interpretes loqvuntur, speciei, vitiat dispositionem; ut, si qvis vult legare vestem, & leget libros, item, si pro vaccâ asinum, ille error vitiat dispositionem, *l. si qvis* 4. *ff. de legat.* 1. Sichardus *ad d. l. si in nomine* 4. *n.* 10. *C. de testam.* Ratio est, qvia nomina specierum sunt introducta à Jure Gentium & ob id sunt immutabilia, ut ait Ulpianus *in d. l. si qvis* 4. *in fin. princ.* Imò mutatio nominis appellatur, i. e. speciei, mutat essentiam rei, & sic totam immutat formam. Sichardus *d. l. n.* 10.

Ad 2.) Resp. Magna est ratio diversitatis, nam *in d. l. alioqvin.* 11. §. 1. Sexus est instar materiæ & substantiæ contractus, cujus error vitiat emptionem, *in l. venditionibus 9. §. inde quæritur 2. in fin. ff. de contrah. empt. Connanus Comm. Jur. Civil. l. 7. cap. 6. §. 8. circa fin.* In casu verô nostro, ubi utriusqve sexûs genitalia perfectè efformata & perfectiori ac digniori sexui, nimirum masculino, nomen inditum, & sic circa incalescentiam ac majorem potententiam sexûs error commissus est, talis error actum Sacrosanctum Baptismi in baptisato neqvaqvam vitiat, cùm & homo baptisatus sit, & omnia ritè in illo actu aliàs fuerint celebrata.

Ad 3.) Error Nominis *in d. l. final. C. de hæred. instit.* versatur circa ipsum testatorem: Si igitur ipse testator circa nomen suum proprium erret, ut si diceret, hoc est testamentum mei Johannis, cùm vocetur Paulus, certe error ille nominis proprii totum vitiat testamentum: ratio est in ipsa *d. l. fin.* qvia nemo tam supinus est, ut in nomine suô erret, unde si erret, præsumitur stultus propter ignorantiam facti vel nominis proprii, *arg. l. nec supina 6. & l. regula est 9. §. fin. vers. qvod si ideò ff. de jur. & fact. ignor.*

Ad 4.) Jura Canonica agunt de Rescriptis, qvæ sunt stricti juris, ideò non debent extendi ad homines alterius Dioecesios; nec ibi constabat de voluntate rescribentis, qvi si fortè compertum habuisset, illum esse alterius Dioecesis, absqve dubiô rescriptum non dedisset, vel alios judices in locô propinqviore designasset. Panormitanus *ad l. cap. significante 34. num. 4.*

Ad 5.) Diversa nomina res qvidem arguunt diversas, sed ita, si qvis duabus rebus nomina imponat diversa: puta nominantur Codicilli, nominantur & Testamenta, tum constat, alios

alios esse Codicillos à testamentis, & ita Codicillos esse inventos, ut diversi essent à Testamentis. Alia est ratio, si de personâ vel corpore, vel re constat, tum enim error nominis proprii nihil præjudicat veritati, *d. l. 4. C. de testament.*

Ad 6.) Canonistarum communis opinio in hoc Casu non est attendenda; est enim communis Pontificiorum Scriptorum error. Impositio siqvidem nominis pertinet tantum ad Ceremonias Baptismi: Est enim nomen memoriale tantum Baptismi suscepti, nec attingit ejus reqvisita substantialia. Hic qvando rectè ritè plenèqve in ipso Baptismi actu adhibita sunt, non opus est Baptismô ulteriore, nec de validitate actûs dubitandum. Gerhard. *Loc. theolog. Tom. 4. de Baptism. cap. 8. Sect. 3. de Ceremon. Baptism. n. 260.* Hæc Mollerus.

§. 60.

Hanc sententiam, scilicet circa novi & alterius sexûs nominis impositionem vel assumptionem, Baptismum non esse reiterandum, confirmant etiam exempla illorum, qvi absqve hujus actûs reiteratione, modò masculorum, modò fœminarum nomen spontè assumserunt, vel ab aliis acceperunt, qvale exemplum jam supra ex Casp. Bauhin. *de Hermaphr. Lib. 1. cap. 33. p. m. 346.* adduximus de ancillâ qvadam rusticâ, Annæ nomine, viginti trium circiter annorum, qvæ, cùm in majori apud rustici uxorem, qvam ipse vir, gratiâ esset, à Medicis, Magistratus reqvisitione, examinata, se magis virum qvàm fœminam esse pronunciabat, talis à Medicis deprehensa Magistratus jussu post pœnam inflictam Capillis, qvos fœminarum more alebat, resectis, absqve repetito Baptismô habitum & nomen mutavit. Sic Hermaphroditus Anglus, cujus mentio-

Exempla pro negativa.

tionem facit Isbr. de Diemerbroc. *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 154.* Veſtitum muliebrem, qvô ad annum usqve vigeſimum tertium uſus erat, propter barbæ incrementum, rejecit, atqve virilem Veſtitum aſſumſit. Juxta Paul. Zacch. *Qvæſt. medic. leg. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 9. §. 9. fol. 602.* Puer qvidam hermaphroditus decimo qvintô ætatis annô menſtruari incipiens, ob id fœmineâ veſte induebatur. Obſervationem de Hermaphroditô primò pro puellâ hinc pro maſculô habitô refert Vitus Riedlinus, *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 99. pag. m. 205.* ſcilicet Infanti, ab Obſtetrice pro puellâ agnito, in S. Baptiſmô Nomen Catharinæ Felicitatis impoſitum erat; poſtqvam autem paulò poſt â Medicô & Chirurgô pro maſculô judicaretur, de S. Baptiſmi Veritate & efficaciâ nemo qvidem dubitabat, aliud tamen nomen, nimirum Reinhardi Felicis, ipſi impoſitum eſt. Item Anna, è Præfecturâ Wunſiedel, cujus ſupra *ex Ephemerid. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obſervat. 135. pag. 305.* mentionem fecimus, errore Obſtetricis pro puellâ habita, poſtmodum ſexûs falſitatem perſentiſcens, veſtes, mores, labores atqve nomen Annæ mutabat, poſteaqve Andreas audiebat. Rarius adhuc eſt exemplum à Georgiô Hannæô ad Olaum Borrichium præſcriptum, v. Act. Haſn. *Vol. IV. Obſerv. 79. pag. 183. ſeq.* Scilicet Anno 1675. die 12. Julii, comparuit Puella qvædam ruſtica, non imberbis in Conſiſtoriô Othinienſi, cui nihil in votis erat prius qvàm, ut, nunciô & ſexui ſeqviori & ejusdem ſexûs habitui, miſſô, ſibi integrum eſſet, à Gynæceis ad maſculum & ſexum & cultum tranſire. Erat autem Androgynus hicce natus in pago Fionenſi, Eſpr, cùm ſalutari Regenerationis tingeretur lavacrô, dictus eſt Petrus, teſte ipsô loci iſtius Paſtore; poſteà autem, cùm errorem Naturæ obſervâſſent Parentes, ſalutabatur Petronella, ultra annos unum & viginti, tum autem captus

vel

vel tædiô, vel odiô ſui generis, ſpretâ nobilitate fœminei ſexûs & præcellentiâ, ad Caſtra virorum redire optabat. Caſum hunc & cauſam ad forum Medicum mox devolvebant Aſſesſores, ideoqve remittebatur ad certos Medicos; qvorum obſervata ibidem videantur, &c.. Tempore qvippe nativitatis & primis ſtatim annis, favit natura potiſſimum Membris genitalibus virilibus; progreſſu temporis videbatur ad alteram inclinare partem, qvaſi organo muliebri dedititia futura. Verum ubi pubeſcere cœpiſſet, rediit ad priorem locum, unde digreſſus fuerat, ſvetus Naturæ Vigor, qvaſi eandem remenſurus fabulam. His omnibus ritè penſitatis, ductum Naturæ ſeqvuti Medici Virorum numero hunc adſcripſerunt, jubentes, ut, qvi hactenus ſub muliebri pallâ Mas delituerat larvatus, jam, complicato ſipariô, in ſcenam ſine fucô prodiret, veſteqve fœmineâ cum virili mutatâ maſculaſceret & faciendo opere ruſtico, jam tum Vir futurus, digno Viro, lacertos poſthac exerceret ſuos. Deniqve Andriæ ſeu hermaphroditæ fœminæ, qvæ in ipsô Baptiſmate duplex nomen, maſculinum & fœmininum ſimul acceperat, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſerv. 253. pag. 375. ſeqq.* meminit Johannes Scultetus: Scilicet, uti jam ſupra diximus, Martha Lechna, paupercula unâ cum fratre ſuô, Jacob Lechna, faſſa eſt, ſe à primis ungviculis & dum ſacra initi fœderis cum eâ celebrarentur, Hermaphrodiſias ſuſpicione detentam à potiori membri genitalis efficaciori ſigno, evirati Caſpari impoſitione fuiſſe indigitatam: Succreſcentibus verò annis, cùm & pudenda muliebris ſignaculi longiorem rimam evidentiùs oſtenderent, circa decimum ætatis annum, alterum, qvod in ipſo S. Baptiſmatis fonte inſimul Marthæ nomen acceperat, pro diluendô ſexûs dubiô reaſſumere Parentes anxiè laborarunt, &c.

§. 61.

§. 61.

Admonitio.

Hoc tamen locô minimè negligenda mihi videtur Circumſtantia à Jacobô Mollerô *l. all. cap. 3. pag. m. 172.* commendata: ſcilicet poterit talis hermaphroditus, cui nomen maſculinum in S. Baptiſmo impoſitum eſt, ſi ſentit, in ſe fœmineum Sexum prævalere, ſeqve huic Sexui addicere velit, Parochum ſui loci adire, huicqve hoc revelare, & ab ipſo petere, ut poſt factam mutationem veſtium virilium in fœmineas, ſecum templum intret, & coram Baptiſterio, in Præſentia Patrinorum Hermaphroditi, vel ſi illi non amplius ſint in vivis, aliorum, præhabitâ commemoratione, qvod in nominis impoſitione in S. Baptiſmô, circa incaleſcentiam Sexûs erratum fuerit, & jam mutatô nomine maſculô, nomen fœmineum, præſenti Hermaphrodito imponendum ſit; atqve hoc factô, nomen fœminæ illi imponat.

§. 62.

Obſtetrices de ſexu non poſſunt teſtari.

Cum autem falſa talis Nominum in Baptiſmate impoſitio eorumqve poſterô tempore neceſſaria mutatio utplurimum ab errore, vel negligentiâ, vel etiam ignorantiâ Obſteſtricum dependeat, non immeritò in ejusmodi Caſu, ubi in Infantibus recens natis duplex membrum genitale, vel aliud vitium ſeu Monſtroſitas ab Obſtetrice vel Parentibus obſervatur, qvamprimùm tales infantes editi ſunt, & ante Baptiſmum hæc res ad cujuſcunqve loci Magiſtratum ordinarium deferri, hujusqve reqviſitione à Medicô vel Chirurgô peritô poſt fœtûs inſpectionem de ejusdem prævalente Sexu, ſive maſculinô, ſive fœmineô, deqve imponendo nomine relatio exhiberi deberet. Minimè verò ejusmodi inſpectio ſolis Obſtetricibus committenda, earumve relationi ac judicio, contra qvorundam Autorum ſententiam, hac in re fidendum erit,

ſi-

siqvidem in discernendo Sexu sæpissimè hallucinantur; & qvamvis hæc inculpatio paradoxa forsan, si non injusta videatur, eandem tamen non modò hactenus recensita exempla confirmant, sed etiam Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 3. pag. m. 569.* aliô evidente satis exemplô comprobat, unde, qvid solidi in dijudicandis Androgynis ab illis expectari possit, innotescit. Inqvit autem dictus Autor: Octennium, ni fallor, est elapsum, cum præsens mihi sisteretur persona viginti trium annorum, nata Oschazii Misnensium, patre Christophoro Bertram, in & à nativitate suâ fœmineâ sexus credita ac pronunciata, hinc in sacro Baptismô Magdalenæ nomine signata, qvæ nunc verò Christophorum se vocat & vocari mavult, vestitu etiam virili incedit, eam, qvòd mixti Sexûs videretur, ut inspicerem. Qvod tum faciebam, præsentibus aliis, nullam planè in hujus hominis genitalibus ullove ejus membrô fœminæ deprehendi notam, contrà virilem conformationem qvàm conspicuam; sub imperfectione nihilominus ejusmodi, qvâ se virum in matrimoniô præstare posset, meritò ambigebam. Video, qvantum valeant Vetularum harum in hoc deponendi casu oculi, qvantum Cerebrum, qvarum nihilominus Relationis steterint masculi illius mutili parentes, Baptista & tantum non omnes hucusqve, qvi eum noverant?

§. 63.

Videmus itaqve, ad Hermaphroditorum inspectionem, deqve illorum sexu reddendam rationem ineptas esse Obstetrices, siqvidem pro hôc scopô varia signa Hermaphroditum marem ab Hermaphroditô fœmina distingventia, ex Medico-Anatomicorum Scholis petenda reqviruntur; & qvidem non modò ad Nominis in Baptismate impositionem & Matrimonii promissionem, sed etiam ad alios Casus seu Actus Juris, ne- *Ad inspectionem signa necessaria.*

cessaria; in qvibus omnibus, qvinam Sexus, an masculinus, an fœmininus, prævaleat, item, an neuter, an uterqve Sexus ratus & perfectus existat, Medicorum atqve Chirurgorum Judicium tam Theologi, qvàm Juris-Consulti expetunt. Pro formandô autem ejusmodi judiciô, prævalentis Sexûs signa primariò à partibus genitalibus sunt desumenda; qvorum tamen in adultis & pubertatem supergressis plura, qvam in recens natis occurrunt; & qvamvis de sexûs differentiâ æqvè partes genitales internæ, qvàm externæ testentur, ab internis tamen ante mortem corporisqve sectionem nihil certi statui potest, ideòqve à solâ partium externarum inspectione judicium ferendum erit.

§. 64.

Signa infantium. Proinde in Infantibus recens natis, Hermaphrodisiæ suspectis, statim ante Baptismum Nominisqve impositionem membra genitalia, tam marium, Penis scilicet, Scrotum & In masculo. testiculi, qvàm fœmellarum, vulva nimirum, eorumqve structura, bene inspicienda atqve examinanda sunt; siqve in tali infante dictæ partes viriles seu marem à fœminâ distingventes, ritè & secundum naturam deprehenduntur, simul tamen in Perinæô vel proximè sub Scrotô, vel etiam supra Penem, etiam rima qvædam vel vulvæ seu membri muliebris figura apparet, signum eqvidem fœtûs hermaphroditici adest; qvodsi verò talis rima non penetrat, nec perforata, vel etiam nimis parva est, item, nec labia, nec debitam conformationem internam habet, neqve etiam infans per dictam rimam, sed tantùm per Penem, urinam mittit, tunc ejusmodi hermaphroditus pro mare habendus, ipsiqve nomen masculinum in Baptismô impertiendum erit.

§. 65

§. 65.

Ratione Penis hoc loco attendendum est, ejus perforationem eqvidem ordinariè in glande, qvandoqve verò etiam sub eâdem, circa frenulum, qvandoqve etiam in mediâ penis parte, vel circa radicem reperiri, qvapropter hæ circumstantiæ negligendæ non erunt; Præterea adhuc videndum, an perforatio sit ita perfecta, ut Urina per hunc canalem egrediatur; an verò tantùm superficiaria, ut Nota solummodò Urethræ appareat, manuqve seu Operatione Chirurgicâ necesse habeat; qvò in Casu Urethræ, ab Urinâ, exitum qværente, facta expansio manu tangi potest; ideoqve Urethræ apertura maturanda, ne fœtus Urinæ suppressione, uti sæpe in infantibus non hermaphroditis evenire solet, vivere desinat. Deniqve etiam penis hermaphroditul, secundum proportionem, debitæ sit magnitudinis. *Ratione penis.*

§. 66.

Qvoad Scrotum & Testiculos etiam monendum, illud interdum duplex esse, atqve testiculos non in unô, sed in duobus qvasi Scrotis latitare, ita, ut inter divisum Scrotum separatosqve Testes rima seu vulva, vel aperta, vel occulta reperiatur, qvale bifidi & in dextram sinistramqve partem exactè divisi Scroti exemplum suprà ex Act. Haffniens. *Vol. IV. Observ. 79. pag. 184.* de Hermaphroditô adultô adduximus. Qvandoqve etiam Scrotum planè deesse videtur, cùm testiculi in utrôqve ingvine protuberent atqve solùm sub cute latitent, vel etiam visum & tactum penitus fugiant. v. Heinr. Rovabuys. *Observ. 16. pag. m. 64.* In aliis infantibus interdum Scrotum in locô naturali, planè tamen vacuum offenditur, testiculis in ingvinibus vel in ipsô abdomine latitantibus. His autem circumstantiis non obstantibus, dummodò in tali Herma- *Ratione scroti & testium.*

maphroditô perforatus adſit Penis & econtra nullum perfe-ctum membrum muliebre appareat, talis fœtus pro mare judicandus erit: Qvandocunqve autem Teſtes extrà apparent & ad ſenſum conſpicui ſunt, dummodo eorum exilitas non id operetur, ut, tanqvam ſi abeſſent, pro nihilò ducantur, tunc ſecundum Paul. Zacch. *Quæſtion. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. §. 19. fol. m. 595.* Hermaphroditus pro virô reputandus eſt: qvod verum erit, non ſolùm ſi ambo Teſtes apparent, ſed etiam, ſi unus tantùm: atqve inſuper non ſolùm verum eſt, cum etiam virile genitale apparet, ſed etiam, ſi non appareat, qvalis fuit puer apud Rueff. *Lib. 5. de Concept. hum. cap. 3.* & alter apud Schenck. ex Cneulino *Lib. 4. Obſ.* modò revera, dictô modô, lateat. Adde etiam, qvòd in tantum operentur teſtes ad oſtendendam virilitatem, cum extra prominent, ut hæc Concluſio habeat locum, etiamſi inſignis muliebris ſexûs conſtitutio adeſſet: & in priori Caſu habemus Rueffii Teſtimonium, nam ſuum illum puerum pro mare baptizatum fuiſſe narrat. Hæc Zacchias. Qvæ tamen Obſervatio potius ad dubium ſexum pertinet, ſiqvidem Rueffio talis offerebatur infans, de qvô non ſatis conſtabat, cujusnam ſexûs eſſet. Prominebant qvidem teſticuli, membrum præterea nullum. Infra teſticulos ruptura erat, unde urina effluerer. Sed qvia propter Virgæ prominentis defectum (nec enim tota aberat, ſed intrò converſa ad modò dictam rupturam deflectebat,) hanc natura urinæ viam dediſſet, non pro fœmellâ, nec androgynô, ſed pro maſculô hunc haberi & baptizari placuit; uti jam ſupra ex Schenck. *l. a. fol. m. 520.* adduximus.

§. 67.

Signa fœmellæ. Deinde pro fœmellâ, in Baptiſmô nominisqve impoſitione, habendus eſt Hermaphroditus, qvi vulvam eqvidem,

ſeu

ſeu muliebre membrum genitale, in locô ſolitô atqve naturaliter, tam externè, qvàm internè conformatum, ſimul tamen vel ſuper dictô pudendô membrum adhuc virile, imperforatum tamen, vel ſubſtantiam qvandam carneam, vel cutaneam, Scrotô & Teſticulis carentem, in ſummâ vel infimâ Vulvæ parte prominentem habet; vel cui Clitoris nimium & extra labia procreſcit, vel ſubſtantia qvædam peniformis circa alterum vaginæ latus, vel ex internô Uteri oſculô procedit; qvalia exempla ſupra ex Autoribus allegavimus. Teſticulorum etiam defectus Sexûs fœminei ſignum habetur, teſte Paulo Zacchiâ, qvi *l. 4. §. 19. f. 595.* inqvit: Teſtes nulli nullumqve alicubi eorum veſtigium ſe prodens, muliebris certè ſexûs ſufficientia Indicia ſunt. Ubi tamen ſemper indagandum, an teſticuli in Ingvine vel alibi lateant, vel etiam Penis perfectus & perforatus non reperiatur.

§. 68.

In dubiô Sexu, ſeu qvando Hermaphroditis, ſeu Androgynis ſexûs ſunt minùs diſtincti, ut vel ad neutrum, vel ad utrumqve commodè ſatis referri qveant, & inſpectorem circa nominis, an maſculini, an fœminei, impoſitionem, dubium dimittant, tales infantes potiùs maribus, qvàm fœminis annumerandos, illorumqve ſeu maſculinô nomine in Baptiſmô donandos eſſe, jam ſuprà diximus; Pro meliori tamen ſexûs prævalentis dignotione, nonnulli Autores ſcribunt, prævalentem ſexum ſemper naturalem ac ſibi debitum ſitum ſervare, imperfectum neqvaqvam, maximè reſpectivè ad perfectiorem: unde fiat, qvòd ratus ſexus ſemper à dextris ſit, irritus à ſiniſtris, in his, qvi eos lateraliter conſtitutos habent: qvin & in his, qvi unum habent ſub aliô, ſuperior ratus, inferior irritus licet contrarium, ſed perraro, aliqvando eveniat. vid. Paul. Zacch. *l. a. §. 16. fol. 595.* Sic in fœminâ qvadam, bene men- **Sexus dubii.**

tulatâ, duorum virorum uxore, demortuâ, Sexus muliebris in dextris, virilis in ſiniſtris deprehendebatur, uti paulò ſuprà è Thom. Bartholin. *Cent.* 2. *Hiſt.*57. *pag. m.* 238. meminimus. In ejusmodi Caſu etiam perforatio glandis, vel circa frenulum Penis, qværenda, cùm ille ſexus, qvi ad mictionem conveniens eſt, utplurimùm prævaleat. Item ratione latitudinis & anguſtiæ, ſeu aperturæ & occluſionis partium naturalium, apertæ, ſeu patentes ac penetrantes præ occluſis ac imperviis ſemper certius de fœtûs recens nati ſexu ſignum exhibent, ſi v. g. ambo ſexûs in fœtu hermaphroditicô imperfecti ſint, unus tamen reſpectu alterius latitudine ſeu aperturâ & penetratione ſe manifeſtum faciat, tunc ille ſexus, cujus partes patentes ſunt circa nominis impoſitionem alteri eſt præferendus. Qvodſi deniqve in Infante uterqve ſexus ritùs & perfectus reperiatur, ſecundum hactenus adducta, ſemper virilis tanqvam dignior muliebri præferendus, talisqve Hermaphroditus ſacrô Baptiſmatis fonte lavandus, maſculinô nomine inſigniendus erit.

§. 69.

Signa ſexus in adultis. Præter hæc circa Baptiſmum nominisqve impoſitionem annotata ſigna, ab infantibus deſumta, alia adhuc mares à fœminis diſtingventia ſigna circa matrimonium aliosqve Juris actûs in adultis hermaphroditis obſervanda veniunt, qvorum eqvidem plura apud Autores reperiuntur, qvæ tamen omnia ſecundum Paul. Zacch. *l. a.* §. 16. *fol.* 594. *ſeq.* ad alterutrius ſexûs proprietates reduci poſſunt; Nam is, qvi majores, efficaciores, patentiores & numerô plures habet ſexûs, prævalere dicitur. Deſumuntur verò hujusmodi proprietates ex mole vaſorum, ex eorundem conformatione, ex naturali ſitu, ex viarum latitudine & anguſtiâ, ex adnaſcentibus pilis, ex incaleſcentiâ majori aut minori, in unô, qvàm in alio.

Sexus

Sexus enim, qvi prævalet, mole semper est magis conspicuus, qvi irritus est, minùs. Sic etiam Sexus, qvi prævalet, in conformatione ad naturalem formam semper magis accedit, & perfectior est, contra fit in alterò Sexu. Eâdem ratione prævalens sexus semper naturalem situm obtinet, non item imperfectus: porrò ratus sexus semper, uti jam diximus, à dextris est, irritus à sinistris, si sexûs juxta se vel lateraliter positi sunt; si verò unus sub aliô, superior ratus, inferior irritus habetur. Pili in perfectô sexu conspicui sunt, copiâ & qvantitate, in imperfectô vel nulli, vel copiæ & qvantitatis nullius momenti. In ratô Sexu vel potentiori viæ perviæ & patentes ac penetrantes, in irritô & impotenti imperviæ, angustæ & minimè penetrantes. Qvodsi ambo sexûs imperfecti sunt, unus tamen respectu alterius latitudine earundem viarum & penetratione se manifestum facit: ac deniqve incalescentia semper fit, in Sexu, qvi prævalet, aut semper promptior, & citior. Et qvamvis in utroqve sexu incalescat aliqvando Hermaphroditus, secundum perfectiorem tamen facillimè, secundum imperfectiorem difficilius id illi contingit: aut si juxta utrumqve frigidus homo sit, is, qvi prævalet sexus, magis naturalem calorem servat, & venas magis conspicuas habet: qvi imperfectus est, qvasi mortuus langvere videtur & mole etiam considerabili præ perfectô est.

§. 70.

In specie autem ratione sexûs utriusqve alia signa refert Paulus Zacchias *l. a.* Habitus, inqviens, Corporis virilis, vox gravis ac sonora, animus ad virilia pronus, impiger, & pathematis virô dignis excitatus, pili in Mento, in Perinæô seu taurô & anô, mammæ exiles, pectusve excarne, capitis capilli hirti, breves & duriusculi, Urinæ per Penem excretio, & multò magis Seminis, Testes propendentes & non prorsus *In maribus.*

sper-

ſpernendæ magnitudinis, aut ſaltem ingvinibus adhærentes, virilem Sexum demonſtrant & maximè teſtes extrà apparentes. Contrà habitus Corporis muliebris, mollis & delicatus, vox exilis, animus demiſſus & paſſionibus muliere dignis implicitus, pili in mentô, perinæô, in ano nulli, mammæ turgidulæ & pectus carnoſum, capilli capitis prómiſſi, tenues, molles, longi, urinæ per conſvetas muliebres vias excretio, per easdemqve menſtruorum ſuô tempore facta expurgatio, vel apparens etiam ſangvinea evacuatio; Teſtes nulli nullumqve alicubi eorum veſtigium ſe prodens muliebris certè ſexûs ſufficientia indicia ſunt. Juxta Ambroſium Paræum, *Lib. 24. cap. 4. fol. m. 550.* hæc ſigna in genitalibus præſertim & facie apparent. Nam ſi vulva ſic ad amuſſim omnibus ſuis dimenſionibus exacta & pervia ſit, ut virile membrum admittere poſſit, ſi menſes illac profluant, ſi promiſſi ſint, & tenues ac molles capilli, ſi deniqve ad illam totius corporis effœminati mollitiem, animi qvoqve fracti & timidi parem conditionem additam habeant, fœminei ſexûs potentiores & planè fœminæ judicantur. At ſi pilis obſitum perinæum & anum habent, qvæ ferè loca mulieribus glabra ſunt, ſi Penem convenienti magnitudine compoſitum habent, ſi validè & alacriter arrigentem, ſi ſemine manantem, virilis ſexûs potentiores & planè viri pronunciantur. Si par ſit utriusqve genitalis in figurâ mole & efficaciâ conformatio, utriusqve ſexûs patens, hermaphroditus cenſetur, maſculus & fœmina nominatur; Neuter verò, qvi nec unius, nec alterius Sexûs capax eſt.

In fœminis

§. 71.

Uti in infantibus,

Hôc locô etiam repetendum eſt, qvod paulò ante de Infantium hermaphroditorum partibus genitalibus indeqve ſumendâ ſexûs dignotione diximus; ſcilicet in Maribus adul-

in maribus,

tis

tis interdum ſupra penis, ordinariô locô poſiti, radicem, vel in ingvine, vel à ſiniſtra Colis parte, vel in Perinæo, vel etiam in mediô Scrotô extare hirſutioram vulvam, ſeu rimam, modò ſuperficiariam tantùm, modò etiam paululum perforatam, ita tamen, ut nihil, neqve urinarii, neqve menſtrualis liqvoris inde prodeat; qvô in caſu, dummodo Scrotum cum teſticulis debitæ magnitudinis, Penisqve perforatus apparent, talis Hermaphroditus pro Mare, ad matrimonium non ineptô, judicandus eſt; licet etiam Scrotum bifidum & Penis aliqvatenus brevior exiſtat, ſiqvidem hunc in Inſpectionibus publicis, in viſcera mille operta rugis confugiendo brevitatem mentiri obſervamus, juxta exemplum Hannæi, *Act. Hafn. Vol. IV. Obſ. 69. pag. 184.* Item, ex Teſticulorum duorum, vel etiam unius, ſat grandium, horumqve vaſorum ſpermaticorum præſentiâ Sexus maſculinus ſufficiensqve ad matrimonium ſalacitas concluditur, juxta Hannæum *l. a. & Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obſ. 131. p. 309.* Qvamvis autem puer ille apud Rueffium, cujus modò ex Schenckio meminimus, ex ſolis propendentibus Teſticulis, nullâ prominente, ſed intrò in rupturam qvandam converſâ virgâ, pro Mare judicaretur, atqve virili nomine inſigniretur, minimè tamen ad matrimonium admittendus erit; cùm econtra illi, qvi externè nec Scrotum, nec Teſticulum, nihilominus tamen Mentulam decentis magnitudinis habent, pro Maribus atqve ad Venerem aptis judicandi ſint, cum Teſticuli qvandoqve in Ingvine, vel in ipsô abdomine latere ſoleant; hinc etiam famula illa ruſtica, Jacobi Burge filia & Anna baptiſata, licet Scrotô & Teſtibus propendentibus careret, atqve ſub Pene in Perinæo rimam oblongam mediumqve circiter digiti articulum profundam haberet, ob corpus ſatis procerum, vocem virilem, mentum lanugine obſitum,

(pilos enim prodeuntes volsellâ evellere solebat,) Mammarum defectum, Pubem pilosam, Penem longum, Præputium denudatum & benè attritum, à Felice Platerô & Caspare Bauhinô magis pro Virô, qvàm Fœminâ agnoscebatur. Interrogatus enim de Venereis actibus, confessus est, se cum pluribus meretricibus rem habuisse & cum voluptate, & cum Seminis profusione; insuper qvando vel rem haberet, vel solùm incalesceret Penisve erigeretur, in ingvine dextrô Testiculum protuberare affirmavit, uti jam supra ex Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 23. p. m. 346.* allegavimus. Porrô, qvod suprà de perforatione Penis Infantum circa Sexûs electionem nominisqve impositionem, monuimus, illud etiam in adultis erit observandum; qvamvis enim Penis neqve nimis longus, neqve crassus sit, modò sive in glande, sive sub eâdem circa frenulum sit perforatus, ad Seminis excretionem atqve matrimonii celebrationem non ineptus erit. Qvod exemplô Hermaphroditi cujusdam, ab Obstetrice pro puellâ agniti, atqve Annæ nomine insigniti, confirmat Augustinus Henricus Faschius & David Valtherus, qvibus dicti Androgyni Penis, qvamvis curtus & imperforatus in glande, non pro tentigine simpliciter habendus videtur, siqvidem sub frenuli finem observata hiantia corpuscula locô perforationis esse possunt ad Seminis emissionem, qvalem post libidinem factam iste Hermaphroditus [illegible]ferat. vid *Ephemerid. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. Obs. 135. pag. 309.* Qvodsi tamen Penis nullatenus perforatus reperiatur, potiùs ad Sexum seqviorem Hermaphroditus referendus erit. vid. Isbrand. Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 26. fol. m. 154.* Capillos etiam reliqvosqve Corporis pilos Sexûs differentiam in Hermaphroditis indigitare hactenus dicta eqvidem docent, v. g. Capilli crispi, hirti, breves, duriusculi, item pili in Mentô, pectore, femo-

mo-

more, ac in Perinæô seu Taurô, & imprimis in Anô, ut & inter Umbilicum & Pubem vulgò Virilitatis signum præbent; econtrà verò capilli promissi, tenues, molles, longi, pilorumqve in dictis locis defectus, utplurimum Sexum fœmineum denotant. Cui tamen soli signô à pilis desumpto absolutè fidendum non est, cum etiam fœminæ Hermaphroditæ non modò barbam, sed interdum etiam pectus & femora nonnihil hirsuta habeant, qvale exemplum Isbrandus de Diemerbroc *l. a.* annotavit. Sexum masculinum etiam denotat omnimodus Mensium defectus; item pruritus, amor & desiderium erga Sexum seqviorem, ac Seminis in libidine per Penem facta emissio. Plura adhuc Sexûs masculini signa partim in recensitis exemplis vidimus; vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. I. cap. 4. fol. 32. seq. 42.* ubi Hermaphroditos ratione partium genitalium dupliciter, tum situ, tum viribus differre dicit.

§. 72.

Varia etiam fœminei Sexûs in Hermaphroditis observanda signa tum suprà circa eorum differentias & nominis impositionem, tum etiam in modò dictis circa Sexum masculinum adduximus, imprimis verò ad hunc seqviorem Sexum reqviritur Membrum genitale muliebre, omnibus numeris absolutum, atqve tàm externè, qvam internè naturaliter constitutum, cui insuper accedit vel in pectine, supra pudendum genitale virile cutaneum Scrotô & Testibus carens, vel cui sub vulvâ in Perinæo, vel etiam in Ingvinibus Penis profertur interdum cum Testiculis, in plerisqve tamen, pro Hermaphroditis habitis, fœminis, in interiore Vulvæ parte circa Clitoridem substantia qvædam carnea vel cutanea, & qvidem peniformis prominet, qvæ utplurimum ipsa Clitoris in extraordinariam longitudinem extensa esse observatur. Qvare *In feminis.*

non omnis ejusmodi excrescentia peniformis statim pro verô Pene judicanda, sed accuratè inspicienda erit, an Præputium & glans, veraqve perforatio in illâ reperiatur, ita, ut per illud foramen Urina & Semen, vel alterum tantùm excernatur, & annon potiùs tam Urina, qvàm menstruum per uterum & vulvam solùm profluant. Siqvidem nisi ejusmodi, penis perforatus est, hermaphroditus talis ad sexum tantummodò muliebrem pertinet; Imô si ex solâ Clitoridis longitudine talis conformatio vitiosa dependet, ad hermaphroditos ejusmodi fœminæ propriè referendæ mihi non videntur, qvod etiam statuit Vopiscus Fortunatus Plempius, *Fundament. Medicin. Lib. 2. cap. 9. pag. m. 139.* Clitoris, inqviens, ad tantam magnitudinem qvandoqve excrescit, ut penis officium præstare possit: eæqve, qvibus id contingit, hermaphroditi ab imperitis male judicantur. Penis enim verè non est, qvia meatum non habet, per qvem semen vel semini similè effundatur. Qvamvis etiam Isbrandus Diemerbrock in primâ editione *Anatom. Corp. human. Lib. 1. cap. 25. pag. m. 151.* pro certô statuat, mulieres in Coitu Semen etiam per Clitoridem excernere, atqve hinc Clitoridi necessariò inesse urethram semen eò deferentem. Qvod ipsum, (uti ibidem pergit) per avtopsiam clariùs patet in illis mulieribus, qvibus Clitoris in longitudinem insolitam excrevit & urethram manifestè conspiciendam exhibet. Ipse tamen Diemerbrock in novâ editione, *Lib. 1. cap. 26. fol. m. 154.* sententiam suam mutavit, atqve nec verè Urethram aut aliud qvid simile in Clitoride adesse, nec etiam per ejus rimam ullum Semen transire posse defendit. Si proinde in Hermaphrodito qvôdam qvocunqve in locô apparens penis neqve in glande, neqve circa frenulum, neqve in medio, nec circa radicem, perforatus est, sicqve nullus liqvor per eundem excerni potest, præ-

præsente econtrà Vulvâ apertâ, penetrante & ad Urinæ menſiumqve profluxum naturaliter conſtitutâ, tunc ſanè pro fœminâ habendus eſt: Multòqve magis etiam è Virorum numero excludendi ſunt illi Hermaphroditi, (ſeu potiùs fœminæ,) qvibus ſolummodò longior Clitoris extra Vulvæ labia prominet, qvalia exempla jam ſupra allegavimus, qvamvis etiam talis muliebris Clitoris vel alia excreſcentia in nonnullis, unà cum vicinis alis, haud ſecus ac penis viri, ſi vel laſcivè manibus attrectetur, vel aliàs ad Venerem cieatur, fœmina arrigatur, ut etiam tales mulieres cum aliis laſcivire poſſint; ſicuti refert Vopiſcus Fortunatus Plempius *l. 4.* de Helenâ qvadam Antverpiæ, qvæ illâ ſuâ parte tum in lupanaribus multas exercebat meretrices, tum alicubi non paucas virgines vitiabat. Imò hæc eò inſaniæ venit, ut Paſtori ſe ſiſteret, petens contrahere cum certâ filiâ matrimonium. Qvamobrem Paſtor accuſavit eam apud Epiſcopum & Magiſtratum, qvòd virum tegeret habitu muliebri. In carcerem ergò compingitur & juſſu Magiſtratûs viſitur, atqve inſpicitur à Medicis & Chirurgis, ſed virile nihil comperiunt. Ita nempe hæc particula non ſtimulante libidine ſe contrahit. Sic Virginis Illuſtriſſimæ ac honeſtiſſimæ meminit Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. admir. Lib. 2. Obſervat. 91. Oper. Tom. III. fol. m. 63.* qvæ ſolô veſtium contactu qvidpiam in ore Uteri, mentulæ inſtar, inflari, turgere atqve erigi ſentiebat & laceſſita venereisqve imaginationibus illaqveata ad venerem irritari cogebatur. Tantô malô obſita, qvô animam vel ſepties in die, cum libidinis conceptu, Deum graviſſimè offendebat, & metu perculſa, ne in graviora damna laberetur, pro hoc fœdô vitiô propulſandô Medici opem obnixè poſtulabat, qvi cum duobus Chirurgis vocatis Carunculam corrugatam inveniebant, ex Pubis oſſis regione prognatam & per pudendi ri-

mam digiti dimidii indicis longitudine & aliqvali circa basin crassitie erumpentem, in cujus extremô qvidpiam aderat glandi simile, præputii instar, tenuissimâ Cute contectum rugosum, flaccidum & laxum, sine meatu ullô, qvi in viris excernendo Semini est dicatus. Hanc carunculam, cùm ipsa erat veneris stimulis agitata, ita extuberare fassa est, ut extra rimam penis instar penderet. Qvandoqve etiam fœminis Nymphæ ad duos vel tres digitos excrescunt, ita, ut aliis fœminis cohabitare possint; Qvod confirmat Hieronymus Fabricius ab Aqvapendente, *de Chirurg. Operat. fol. m. 277.* In mulieribus, inqviens, observavi Nympham productam fuisse nunc ad duos, nunc ad tres digitos, qvæ tamen erat flaccida, neqve erigebatur; audivi tamen & Perusiæ & hîc, Patavii, mulierem fuisse hermaphroditum, qvæ concubitum cum aliis mulieribus habebat, hac parte erectâ. Interdum etiam fœminæ procidentiâ Uteri laborantes pro Hermaphroditis habentur, qvæ tamen cum sexu virili neqvicqvam commune habent, qvale qvid de Annâ Timmermanniâ, à Maritô in punctô ambigui sexûs & inhabilitatis conjugalis in Consistoriô accusatâ, refert Baldassar Timæus à Güldenklee, *Respons. 37. pag. m. 1068. seq.* ex inspectione scilicet oculari nec solius maris, nec maris & fœminæ, sive utriusqve sexus, sed tantummodò fœminæ genitalia in accusatâ occurrebant. Error autem ex prolapsu sive procidentiâ Uteri, quam maritus simplex ac plebejus homo pro virilibus habuit, oborta fuerat. Similem Casum in rusticâ, ob procidentiam & inversionem Vaginæ Uterinæ pro Hermaphroditâ habita Anno 1716. observare mihi licuit, de quô alibi pluribus.

§. 73.

In utroqve Sexu. Qvamvis autem illis hermaphroditis infantibus, in quibus dubius, vel nullus, vel etiam uterque perfectus Sexus ap-

apparet, in S. Baptiſmô Nomen maſculinum, tanquam Sexûs dignioris, imponendum, atque veſtitum virilem induendum eſſe ſtatuerimus, minimè tamen taliter conſtituti imprimis, qui nullum vel dubium Sexum monſtrant, adultiores facti pro viris ad matrimonium aptis judicandi ſunt; interim hôc locô repeti poteſt, qvod ſuprà de ſignis infantum hermaphroditorum, & hactenus tam ratione marium, qvàm fœminarum, de partium genitalium aperturâ & perforatione, de ſitu, liqvorum excretione, de pilis aliisqve circumſtantiis diximus. vid. etiam Paul. Zacch. *Qvæſt. med. leg. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. §. 16. ſeq. fol. m. 594. ſeq.* Imò pleriqve Hermaphroditi ita ſunt conformati, ut ad Matrimonium neqve activè, neqve paſſivè qvicqvam valeant; Et qvamvis nonnulli utriusque Sexûs imaginem expreſſam habeant, utrumqve tamen ad generationem Seminisqve profuſionem, ſimulque ad conceptionem planè inefficacem experiuntur, alterô membrô tantùm ad mictionem conveniente, qualem ſe noviſſe refert Caſp. Bauhinus, *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 4. p. 34.*

Cùm proinde ſecundum hactenus allegata exempla non modò Hermaphroditi, ſed etiam fœminæ ob Clitoridem longiorem pro hermaphroditis habitæ, juxta exemplum ex Vopiſcô Fortunatô Plempiô adductum, interdum matrimonium appetant, oritur

QVÆSTIO:

An Hermaphroditis Matrimonium contrahere liceat?

§. 1.

AD hanc qvæſtionem reſpondet Jacobus Mollerus, *Tr. de Hermaphrod. cap. 6. pag. 174. ſeq.* Ad obtinendum *Requiſita matrimonii.*

finem

finem matrimonii primarium, videlicet sobolis procreationem, crimenqve libidinis vitandum, sedulo videndum est, ut is, qvi matrimonium inire velit, personam generationi aptam sibi deligat & copulet, unde cum Spadonibus & Evnuchis matrimonium non est contrahendum; licet enim qvidam eorum, qvi castrati sunt, congredi cum uxore possint, coitus tamen ille est inanis, nullamqve spem sobolis habet, sed libidinem saltem extingvit, & pruritum in fœminâ potiùs accendit. Simili ratione improbantur qvoqve Conjugia cum Hermaphroditis, periculosumqve est, ejusmodi hominibus nuptias permittere, ex qvibus altera pars facilè decipi & in peccatum adulterii prolabi potest, si nempe potior non sit sexus ille, qvem contrahens cum Hermaphroditô qværit & desiderat, ideòqve magis dissolvendum ejusmodi conjugium, qvàm permittendum, nisi Hermaphroditus instanter urgeat desiderium, illeqve prævaleat in illô Sexu, qvem pro ratione Conjugis nuptiæ reqvirunt, nempe, ut fiat maris & fœminæ consociatio.

§. 2.

Sexus æqvalis. Alii distingvunt inter Hermaphroditos, qvibus uterqve Sexus est æqvalis, & inter illos, in qvibus alter prævalet, siqvidem juxta Theologi cujusdam Chilonensis verba apud Mich. Bernh. Valenti *Novell. med legal. Cas. 10. pag. m. 243.* in qvibuscunqve Hermaphroditis Sexus uterqve, virilis scilicet & muliebris, æqvales sunt, nec alter alteri prævalet, illis à Doctoribus omni jure nullum matrimonium indulgetur. Talis enim copula Legi & ordinationi divinæ è diametrô contraria est, vi cujus unus vir & una fœmina conjungi & in unam carnem uniri debent. Hoc autem ab eô effectui dari non potest, qvi nec vir, nec mulier est. A tali etiam Hermaphroditô finis matrimonii, sc. propagatio sobolis & debita cohabi-

tatio

tatio obtineri neqvit, unde meritò pro invalidô habetur. Aliter autem res sese habet cum illis Androgynis, in qvibus alter Sexus alteri prævalet, sive jam virilis sit, sive muliebris.

§. 3.

Nonnulli etiam omnes Hermaphroditos pro irregularibus habent, iisqve omnem agendi & patiendi seu generandi & concipiendi potentiam denegant, vid. Paul. Zacch. *l. a. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. §. 35. & 36. fol. m. 600.* Qvibus tamen alii contradicunt. Scribit enim Nicolaus Venette, *de la Generation de l'Homme Part. 4. cap. 6. pag. m. 629. seq.* Bienqve le Jurisconsulte Majolanus fasse tous les Hermaphrodites irreguliers & incapables du sacrement de Mariage, cependant il me semble, qve cette decision est trop generale & qu'elle choqve mesmes les Loix, puise il qv'il ya des Hermaphrodites si vigeureux à embrasser les femmes, & d'autres si disposez à souffrir agreablement un homme, qv'il auroit de l'injustice à deffendre le mariage aux uns & aux autres. Car si les premiers ont les parties naturelles du sexe masculin bien faites, & bien proportionnées, comme il s'en trouve qvelqves-uns, une petite fente de nulle consideration, n'empêchera pas l'action amoureuse de ces hommes hermaphrodites: non plus qv'un Clitoris un peu allongé ne s'opposera pas aux caresses, qve pourra faire un homme aux femmes hermaphrodites. Ainsi si les uns ont leurs parties capables de divertir une femme, & qve les autres soient disposez à recevoir les caresses d'un homme, je ne doute pas qv'un Prestre ne puisse conferer le sacrement de mariage à l'un & à l'autre. Esse autem tam Hermaphroditos mares, qvàm Hermaphroditas fœminas, vel etiam in utroqve Sexu regulares & perfectos, non modò ad Coitum & matrimonium, sed etiam

An omnes hermaphroditi irregulares?

ad generandos liberos sufficienter aptos, suprà allegata & recensita exempla probant.

§. 4.

Ante Matrimonium inspectio necessaria.

Minimè tamen Hermaphroditis promiscuè, sed secundum certum Sexum Matrimonium conceditur, & ante omnia ipsorum inspectio jussu Magistratûs à Medicis & Chirurgis institui deqve ipsorum Sexu prævalente Judicium ferri solet. Hinc etiam Nicolaus Venette *l. a.* pergit: Qve le Prestre cela ne se fasse (qv'il ne confere le Sacrement de Mariage) qve par l'autorité du Juge, qvi doit estre auparavant dument informé par des personnes savantes & par le serment del' Hermaphrodite de l' estat, où il se trouve & de la partie qvi domine en luy. En effet, comme les Juges ignorent souvent les marqves, dont on se sert ordinairement pour connoître la force & la capacite d' engendrer de l'un & del' autre Sexe, ils ne doivent jamais decider là dessus sur la seule fay des Hermaphrodites, sans le rapport de qveqvel savant Medecin. Sine ejusmodi inspectione & Attestatô Medicô vel saltem Chirurgicô de prævalentia Sexûs, Hermaphroditis Matrimonium non conceditur, juxta Rescripta Consistorii supremi Dresdensis ex Carpzov. *Jurisprud. Consist. L. 2. tit. 1. Defin. 16.* qvorum alterum de Anno 1610. d. 18. Maji sic sonat: Wir haben Euren des *Superintendenten* eingeschickten Bericht, in Sachen Christoph R. zu H. welcher als ein Mägdlein getaufft, und mit eines Häußlers Tochter daselbst sich verlobet, auch um die *Proclamation* und *Copulation* angesucht, verlesen hören. Begehren derowegen an statt Unsers gnädigsten Herrn, Ihr wollet beyden Theilen, und ihren Eltern, vor Euch zu erscheinen aufferlegen lassen, ihnen ihre Gebrechen und grosse Gefahr absonderlich vorhalten, und Fleiß anwenden, ob sie von ihrem Vorhaben in Guten abzustehen sich er-

klä-

klären möchten; im Gegentheil aber klagendes Theil durch einen *Medicum* und zweene Barbierer oder Bader, auch da es nöthig, eine Weh-Mutter, nochmahls besichtigen lassen, und Uns, wie es hierum bewand, eigentlich berichten. Alterius verò de 26. August. Anno 1635. Verba ita habent: Wir haben aus Eurem, des *Superintendenten*, Bericht und dessen Beylagen vernommen, was Maßen Thomas H. zu M. ein Spielmann und beruffener Zwitter oder Hermaphrodit, mit Annen, George F. nachgelassener Tochter daselbsten, in ein öffentlich Ehe-Gelöbniß sich eingelassen, und beyde Theile darbey verharren wollen, und Ihr, der Rath, habt solches aus dem Beschlusse mit mehrern zu ersehen. Wenn denn die Nachlassung und Vergünstigung solcher Ehe darauff beruhet, *Uter Sexus* bey gedachtem Zwitter *prævaliret*, und ob die Männliche oder Weibliche Natur stärcker, und der andern vorzuziehen. Als ist an statt Ihrer Churfürstl. Durchl. Unser Begehren, Ihr, der Rath, wollet einem oder mehr *Chirurgis* bey Euch aufftragen, sich dißfalls durch Besichtigung zu erkundigen, insonderheit ob es, seines Brudern Aussage gemäß, an dem Zwitter sich befinde, oder wie es sonsten sich allenthalben verhalte; Hernach Uns Ihr zugleich den erlangten Schein, mit Zurücksendung der Beylagen, zu fernerer Verordnung unverzöglich zu erkennen geben, rc. Et juxta Andr. Beyeri Addition. ad Bened. Carpz. Criminal. *Lib. 2. defin. 16. fol. m. 98.* hoc assertum, qvod præcedere debeat Inspectio, priusqvam facultas detur Hermaphroditis conjugium inire, ac nuptias contrahere, confirmatum est in Consistorio supremo Anno 1658. in causa Barbar und C. Pf. (Verba Rescripti:) Uns ist Euer, des *Superintendentens* Bericht, welcher Gestalt Barbar K. sich mit C. Pf. zu verehlichen gemeynet, gebührend vorgetragen worden, wann nun beyde Perso-

nen auff Vollziehung der Ehe beharren, und voneinander nicht freywillig lassen, auch in der Besichtigung, die ihr, der Schösser, auff solchen Fall mit Pf. durch gewisse Personen förderlich anzuordnen und vorgehen zu lassen wissen werdet, sich befinden wird, daß bey ihm das *Genus masculinum* (*Sexus masc.*) *prævali*re, und er zur ehelichen Beywohnung nicht gantz untüchtig sey; so wollet ihr, der *Superintendens*/ die Verfügung thun, daß sie miteinander gewöhnlich *proclami*ret, und sodann ehrlich *copuli*ret werden mögen. Et Potentissimus Rex Poloniæ Consistorio Lipsiensi, d. 7. Aug. 1699. (Verba Rescripti:) Was an unser Ober-*Consistorium* der *Superintendens* zu G. C. C. G. B. wegen einer Person, welche *dubii Sexûs* gewesen, und, weil sie dem *Sexui fæminino* näher zu kommen geschienen, vor ein Mägdlein gehalten, und vor 26. Jahren in der Tauffe Magdalena genennet worden; nach der Zeit aber, und da sich *post annos pubertatis* gegen das 20. Jahr *signa Virilitatis* hervor gethan, jedoch, daß, nach des *Medici Attestato*, hierbey *aliqvid imperfectionis* und *ad matrimonium incapacitatis* anzumercken gewesen, seinen Habit und Tauff-Nahmen geändert, und sich Christoph genennet, auch vor ungefehr einem halben Jahre sich mit einer geschwächten Weibs-Person verbündlich eingelassen habe, und sie zu ehelichen Vorhabens wäre, unterm 2. dieses berichtet, und wie er deßhalber um Bescheid gebethen, das weiset der Inschluß: Nachdem nun diese Sache ohne dem vor euch gehörig, als ist hiermit unser Begehren, ihr wollet hierüber ferner Erkundigung einziehen, erwehnte Personen durch gewisse *Medicos* und erfahrne *Chirurgos* besichtigen lassen, und uns davon, mit Anfügung euers Gutachtens, Bericht erstatten. Qvodsi verò Hermaphroditus talem à Magistratu ordinatam Inspectionem Medico-Chirurgicam fieri recusaret vel detrectaret, tunc ad contrahen-

dum

dum Matrimonium neqvaqvam admittendus erit, ſicuti hanc in rem Reſcriptum Conſiſtorii Miſnenſis refert Dedekennus, *Conſil. Theolog. Vol. 3. l. 2. Sect. 1. n. 7. fol. 75.* his verbis: Nachdem in Sachen des Hermaphroditen N. N. ſo viel befunden, daß er, ohne vorgehende *Inſpection* und Erkundigung, wie es ſeines Leibes halben beſchaffen, zum Eheſtande nicht kan zugelaſſen werden, welches wir ihme auch vermeldet, er aber darein ſich zu begeben Bedencken gehabt, und von ſeinem Vornehmen abzuſtehen ſich erkläret; Desgleichen auch N. N. von ihrer Ehe-Klage auff Unſere Ermahnung abgeſtanden. Als iſt an Euch Unſer Begehren, Ihr wollet gute Achtung auff ſie beyderſeits haben, daß ſie ſich ferner nicht zuſammen halten, der *Hermaphroditus* auch anderer Weibes-Perſonen müßig gehe, damit ferner Aergerniß abgeſchafft und verhütet werde. Da er aber nachmahls zu der *Inſpection* auff ſeine Unkoſten ſich anerbieten würde, ſo wollet Uns ſolches anhero wiederum berichten ꝛc.

§. 5.

Si proinde in Inſpectione ſecundum ſupra recenſita & alia ſigna alter Sexus, ſive maſculinus, ſive fœmineus, in Hermaphroditô prævalere annotetur, tunc eundem Theologi, Juris-Conſulti ac Medici minimè pro irregulari & impotente agnoſcunt, ſed ipſi potius ſecundum Sexum prævalentem & magis incaleſcentem Matrimonium concedunt. Inqvit enim Theologus qvidam Chilonenſis: Licet Hermaphroditi, in qvô alter Sexus alteri prævalet, ſive virilis ſit, ſive muliebris, conjugium primô intuitu periculoſum videri poſſet, attamen tum facilè & abſolutè pro invalido haberi neqvit, ſed haud rarò ſubſiſtit, ſi ſcilicet ſeqventes conditiones ſint conjunctæ, 1.) ut copula matrimonialis intuitu Sexus prævalentis & ita fiat, ut vir mulieri cohabitare poſſit. 2.) Ut talis Her- *Matrimonium ſecundum Sexum prævalentem conceditur*

maphroditus, ope Sexûs prævalentis, debitum conjugale persolvere, & maritus habilis uxorqve similis dici possint: huc tendit B. D. Scherzerus, *in Systém. Theol. loc. 27. §. 7. pag. 783.* ἀνδρόγυνος, inqviens, Sexûs dubii ineptus est ad matrimonium, aptus tamen ex potiori Sexu æstimatus, &c. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Cas. 10. pag. m. 244.* Et Otto Phil. Zaunschlifferus, *Oper. Jurid. Tr. 10. §. 10. pag. 150.* inqvit: Qvod si uterqve Sexus æqve potens, tunc electio ei permittitur, utrum Sexum eligere velit. Qvodsi itaqve Sexus virilis aut prævaleat, aut electus fuerit, tum potest Hermaphroditus omne id, qvod aliàs est virilis officii, v. g. uxorem ducere. Carpz. *Consistor. Lib. 2. Def. 16.* Item Johannes Georgius Simon. *Præsid. Academ. Tom. I. Dissert. II. de Impotent. Conjugal. cap. 4. Th. 2. §. 8. p. 829. seq.* ad Qvæstionem, an scilicet Hermaphroditi potentes, an verò impotentes judicandi sint? respondet: Nos omninò potentes eos pronunciamus, ratione Membri prævalentis. Struv. *Syntagm. Jur. Civil. Ex. 3. Th. 2.* non observatô alterô, secundum qvod minùs validi sunt, utpote accidentariò. Et Jacobus Mollerus *de Hermaphrodit. Cap. 6. pag. m. 177.* factâ, inqvit, inspectione Hermaphroditus, in qvô alter Sexus prævalet, potest matrimonium inire juxta Sexum prævalentem, atqve ita, si fœmineus prævaleat, viro nubere potest; sin autem virilis, fœminam ducere valet, *per l. qværitur 13. ff. de Stat. hom.* Irritum autem econtrà est Matrimonium juxta alium Sexum contractum & hoc ipsô jure naturæ; ut si prævalente Sexu virili copuletur matrimonium Viri, instar fœminæ; vel si prævalente Sexu fœmineô, fœminæ, instar viri: qvia inter personas ejusdem Sexûs initum est; prævalente enim fœmineô reputatur fœmina, & tamen fœminam ducit, ac si vir esset; & si prævalet virilis, reputatur vir, & tamen instar fœminæ

nu-

nubit marito. Thomas Sanchez *in Tract. de Matrim. Lib. 7. Diſp. 106. n. 4. & 5.* Sic Caſpar Bauhinus *l. a. cap. 40. pag. 394.* ad Qvæſtionem: an Hermaphroditi Matrimonium contrahere poſſint? reſpondet: Qvantum ad Matrimonium contrahendum, *ſecundum Gloſſ. in c. 3. q. 3.* Sexus magis incaleſcens, vel validior debet attendi & ſic judicari, &c. Et Chriſtophorus Neander *Hiſtor. Bacchanal. pag. m. 59.* ad dictam qvæſtionem: an Hermaphroditus nuptias contrahere poſſit? ita dicit: Si in eô Sexus virilis prævaluerit, maritum fieri; ſin verò muliebris, nubere poſſe ſtatuo cum Paulô Cypræô *in Tr. de Sponſal. cap. 9. §. 13. n. 46.* ubi plura. Nam apud Poëtas veteres etiam nupſiſſe Hermaphroditos, Auſonius teſtatur *Epigr. 68.* cum ait:

Vidit fæmineum fons Salmacis Hermaphroditum:
Vidit nubentem Plinius Androgynon.

Et Martial. *Lib. 6. Epigr. 68.*

An Dea fæmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri ſollicitata Viri?

§. 6.

Interdum tamen ex ſolâ externarum partium genitalium & totius Corporis inſpectione, imprimis in illâ Hermaphroditorum ſpecie, qvi utroqve ſexu æqvaliter gaudere videntur, nullum certum prævalentis Sexus ſignum apparet, ut ita ad certum Sexum à Medicis ac Chirurgis infallibiliter referri neqveant; dum ambo genitalia in figurâ, mole & operationum efficaciâ æqvalia inveniuntur, ut amborum ſexuum actionibus inſervire poſſint & utriusqve potentes judicentur. Qvo in Caſu Theologus qvidam Chilonienſis matrimonium penitus prohibet; in qvibuscunqve, inqviens, Hermaphroditis Sexus uterqve, virilis ſcilicet & muliebris, æqvales ſunt, nec alter

In Sexû dubio an Hermaphrodito ſelectus relinqvendus.

alter alteri prævalet, illis à Doctoribus omni jure nullum omninò matrimonium indulgetur. Talis enim copula legi & ordinationi divinæ è Diametro contraria est, vi cujus unus vir & una fœmina conjungi, & in unam carnem uniri debent. Hoc autem ab eo effectui dari non potest, qvi nec vir, nec mulier est. A tali etiam Hermaphrodito finis matrimonii, scilicet propagatio sobolis & debita cohabitatio, obtineri neqvit, unde merito pro invalido habetur. v. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. leg. Cas. 10. pag. 243. seq.* Econtra si ejusmodi Hermaphroditus utriusqve vel dubii Sexûs matrimonium instanter efflagitet, in defectu certiorum signorum pleriqve Autores (qvamvis etiam alii contradicere videantur. vid. Paul. Zacch. *Qvæst. med. leg. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. n. 15. fol. m. 594.*) totam rem Hermaphroditi Conscientiæ relinqvunt, uti secundum Jac. Moller. *l. a. pag. 178.* tradit Albericus *in l. qvaritur num. 4. ff. de stat. homin.* qvem seqvitur Josephus de Rusticis *in l. cum avus l. 3. cap. 8. num. 45. de condit. & demonstrat.* Turre cremata, *cap. si testes §. Hermaphroditus num. 14. Qv. 3.* & Sanchez, *de matrimonio lib. 7. de impedimentis Disp. 16. num. 2.* Scilicet ante omnia secundum Conscientiam examinandus talis Hermaphroditus, qvonam Sexu, an agente, an patiente magis incalescat, vel ad matrimonialem actum stimuletur, item, an semper erga unum eundemqve sexum, sive virilem, sive muliebrem, an verò etiam qvandoqve erga alterum, atqve ita indifferenter, modò erga masculum, modò fœmineum Sexum Veneris œstrum sentiat? Qvodsi itaqve semper & unicè unius ejusdemqve Sexûs amore flagret, tunc alter, seu contrarius Sexus, mihi eligendus videtur. In alterô autem Casu, ubi Hermaphroditus modò erga virilem, modò muliebrem Sexum œstrô venereô stimuletur, simulqve ad agendum

&

& patiendum aptus ſeu habilis ſit, & utroqve Sexu pro lubitu uti poſſit, optio illi alterutrum Sexum pro majori aut minori ſtimulô, eligendi concedenda, vel etiam ad hunc aut illum Sexum eligendum Androgynus cogendus erit, ſecundum qvem poſtea in matrimoniô judicetur; ſiqvidem poſt unius tanqvam minùs validi, vel ultrò rejecti abnegationem & alterius ſpontaneam electionem vel aſſumptionem illô ampliùs uti, ſeu potiùs abuti Hermaphroditis non licet; ſed ſi illô abutuntur, ſecundum Dominos Juris-Conſultos graviter peccare, atqve Sodomiæ peccatum committere dicuntur; Ideoqve etiam ſe illô Sexu irritô abuti nolle, juramentô obſtringuntur; & ſi contra hoc juramentum fecerint, propter juramenti violationem gravius puniuntur; Id qvod Autores confirmant. Inqvit enim Paulus Zacchias *Qvæſt. Med. leg. Lib. I. Tit. 1. Qvæſt. 8. n. 31. ſeq. fol. m. 600.* Jubent Leges Hermaphroditos Sexum, qvem libuerit, eligere, qvaſi utrumqve perfectum obtineant, ut in voluntate eorum ſit poſitum, ſeligere, qvô uti velint, pœnas imponendo, ſi qvando propriæ electioni non ſteterint ac contra fecerint, alterô Sexu abutentes, dicendum id ſibi voluiſſe, qvod Sexum, in qvô potentiores ſunt, eligant, & eô utentes ab alterô abſtineant, arbitrioqve eorum id remiſerunt, qvia certum eſt, unumqvemqve Sexum electurum, in qvô ſe potentiorem experitur; & cujus uſum Natura magis inſinuat, ſtimulisqve urget acutioribus: Nam ſi irritô utantur, graviter peccant, Sodomiæ peccatum vel huic ſaltem non diſſimile committentes, qvia Naturâ abutuntur, cum non poſſibile ſit, illos per irritum Sexum generare; nihil enim aliud fortè eſt Sodomiæ peccatum, qvam Coitus cum compari Sexu, vel non in Vaſe naturali, ex qvô impoſſibile ſit generationem ſeqvi: neqve enim ſolùm Maris cum Mare carnalis conjunctio Sodomiæ

 pec-

catum eſt, ſed etiam fœminæ cum fœminâ. Franciſcus Tarreblanca, *de Mag. Lib. 2. cap. 17. §. 8. pag. m. 212.* inqvit: Etſi compertum ſit, Hermaphroditos ad nuptias poſſe tranſire, illud fit eligendo Sexum, qvô poſtea non poſſunt abuti & utroqve incumbere & proſterni, ſed unô electô in eô permanere. Juxta Rodericum à Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap. 12. pag. m. 145.* Hermaphroditis, qvi utraqve genitalia notatu digna poſſident, leges Sexûs, in qvô manere ac vivere debent, optionem faciunt, pœnâ tamen capitali impoſitâ, ſi ab electô ſemel Sexu diſceſſiſſe deprehendantur, ne promiſcuè utroqve abutantur. Et ſecundum Paul. Ammann. *Irenic. pag. m. 164.* Peractâ viſitatione debent Hermaphroditi, poſtqvam Medici pro Sexu maſculinô vel fœmininô pronunciârunt, iſtum Sexum eligere, in qvô maneant, & tranſigant dies Vitæ, capitali pœnâ adjectâ, ſi ab electô vel imperatô Sexu diſceſſiſſe videantur; qvidam enim utrôqve Sexu turpiter abuſi creduntur, impromiſcuè cum viris & fœminis commiſti. Sic Ambroſius Paræus, *Lib. 24. cap. 4. fol. m. 550.* ubi de qvartâ ſpecie Hermaphroditorum loqvitur, qvi ſcilicet utroqve Sexu valent, marisqve & fœminæ munera potenter obeunt, qvòd utriusqve genitalia omnibus numeris ad generationem neceſſariis completa & perfecta habent, ita pergit: Hos leges Sexum, qvô uti & in qvô manere ac vivere velint, eligere jubent, capitali pœnâ additâ, ſi ab electô ſemel Sexu diſceſſiſſe deprehendantur, qvidam enim utrôqve abuſi creduntur, & promiſcuè cum Viris & fœminis voluptuati. Nicolaus Venette, *de la Generation de l'Homme Part. 4. cap. 4. pag. m. 626.* inqvit: Les Loix civiles, qvi n'eſtiment point les Hermaphrodites pour des Monſtres, veulent, qv'ils choiſiſſent l'un ou l'autre Sexe, pour avoir lieu dans l'une de ces deux qvalités, ou d'homme ou de femme, de ſe joindre amoureu-

Et pœna capitali,

reusement à une femme, ou à un homme. Et, si l'Hermaphrodite n'execute pas exactement la loy, cette mesme loix veut, qv'il soit puny en Sodomite, puisqv'il à abusé d'une partie contre les loix dela Nature. Ce fut pour cette raison, qve la servante Ecossoise, qvi avoit choisy la qvalité defille, & puis, qvi engrôssa la fille d'un bourgeois, fut enterrée toute vive par sentence du Juge, si nous en voulons croire Weinrich, & qve Françoise de l'Estage, dont parle Papon, laqvelle avoit badiné avec Catherine de la Maniere, fut avec elle appliqvée à la qvestion par le Senechal de Landes, & elles auroient esté toutes deux condamnées à mort, si les témoins eussent esté suffisants, vid. etiam Joh. Georg. Simon. *Præsid. Academ, Part. I. Diss. 14. de Impotent. conjugal. cap. 4. Th. 2. n. 9. pag. 830.* Jacob. Moller. *de Hermaphrod. cap. 6. pag. 177. seq. item pag. 182.*

§. 7.

Qvodsi verò in Sexus à Magistratu ordinatâ electione Juramenti exactio omissa fuerit, non ita graviter puniendum esse tradit Laurentius Matthæu & Sanz, *de Re criminali Controvers.* 48. *num. 17.* ibiqve notabile exemplum refert, qvod sic habet: Novi Valentiæ, Anno, ni fallor, 1640. Hermaphroditum, qvi habitu fœmineô educatus inter famulas Don Petri de Valda, Ordinis Eqvestris Divi Jacobi, atqve Cursoris majoris illius Regni, receptus unam ex illis stupravit. De ejus qverelâ captus fuit & â peritis judicialiter inspectus. Ab unô ex eis, qvi cognominabatur Castro, peritissimô Chirurgô audivi, habere vulvam fœmineam, modô naturali formatam, à qvâ, qvoties venereis stimulis urebatur, emittebat membrum virile, mediocris magnitudinis, alacriter erectum atqve idoneum ad stuprum committendum. Famula stuprata causam accusationis deseruit, & cùm periti pronunciassent in

Absqve juramento pœna non habet locum.

in utroqve Sexu potentem, electio ei concessa fuit, sed per inscitiam vel oblivionem absqve jurejurandô, neqve aliqvâ injunctione de non utendô aliô Sexu, carcere liberatus. Elegit virilem, & eô habitu assumptô, officioqve Sartoris applicatus per duos annos in eâ urbe vixit. Sed Anno 1643. dum in diversorio cubaret, de ventris dolore vehementissimô conqvestus, dum uxor Cauponis linteaminibus calefactis ventrem fovebat, puellam peperit; & ex hac causâ postea carceratus ex negligentiâ deferendi juramentum vel injungendi pœnam ob abusum alterius sexus, impunitus evasit, tantummodo exilii pœnâ mulctatus. Sed sartoribus rixarum causam fœcundam reliqvit; qvia dum in causâ probaretur, qvòd Autor partûs cerdo fuerat, in proverbium abiit: Sartores à cerdonibus imprægnari: Qvod discordiis non modicis ansam præbuit, ex qvibus vulnera & neces dimanârunt. v. Jac. Moller. *l. a. pag.* 179.

§. 8.

An pœna Capitalis locum habeat.

An verò Hermaphroditus, qvi in Sexûs electione ante matrimonium, se alterô Sexu non esse abusurum, juramentô obstrinxerit, posterô tamen tempore contra hoc peccâsse deprehensus fuerit, capitali suppliciô ideò puniendus sit, Dominis Juris Consultis decidendum committimus; Qvos nihilominùs inter se discrepantes reperimus, vid. Jacob. Moller. *l. a. pag.* 182. ubi ad hanc Qvæstionem ita respondet: Pierius Valerianus, *lib.* 18. *Hieroglyphic. vers. at etiam*, capitalem pœnam illi infligendam esse statuit, & qvidem tunc maximè, qvando se juramento adstrinxit, se alterô Sexu uti nolle, qvem seqvitur Libaultius, *lib.* 11. *Origin. cap.* 3. Alderovandus, *tract. de monstris cap.* 1. *pag.* 41. Basilius Bonce, *de matrimon. Lib.* 7. *cap.* 65. *n.* 8. Martinus Perez, *de matrimonio Disp.* 37. *Sect.* 13. *n.* 2. Torreblanca, *de Magia c.* 17. *n.* 8.

Affirmatur.

&

& de jure spirit. lib. 5. cap. 9. n. 13. Alphonsus Caranzo, *Tract. de partu cap.* 17. *n. 68.* (Circa qvæ allegata pace Autoris monendum mihi venit, & qvidem qvoad locum ex Pierio allegatum, dictum Autorem ibidem legem de dictô suppliciô infligendô non æqve approbare, qvàm potius improbare, dum eam legem admodum severam appellat. Verba ipsius autem hæc sunt: Severâ admodum lege cautum, ad qvem malunt, Sexum eligant, alterô si abutantur, capitali suppliciô puniendi. Item Franciscus Torreblanca, *de Magia Operatric. Lib. 2. cap.* 17. *n. 8. p. m.* 212. ejusmodi pœnæ vel supplicii capitalis ne verbulô qvidem meminit, sed ipsius verba, jam supra à me allegata, sic sonant: Etsi compertum sit, Hermaphroditos ad nuptias posse transire; illud fit eligendo Sexum, qvô postea non possint abuti & utroqve incumbere & prosterni, sed unô electô in eô permanere. Reliqvos Autores evolvere mihi non licuit.)

§. 9.

Verum Laurentius Mattheu & Sanz. *in Tract. de Recriminal. Controvers.* 48. *n.* 40. capitalem pœnam hîc infligi posse non vult, sed tantùm pœnâ perjurii talem Hermaphroditum teneri, qvæ de Jure Civili capitalis non est, sed mitior, *text. in l. duo Patroni* 13. §. *si qvis juraverit, l. in duobus 28. §. fin. ff. de Jurejur. l. 22. ff. de dolo.* Imò de Jure Codicis soli Deo ultio relinqvebatur, *l. 2. C. de reb. credit.* Jul. Clarus *in §. perjurium n.* 11. Tiberius Decianus, *Tract. Criminal. l. 6. c. 7. n.* 1. Carpzovius, *in Prax. Crimin. part.* 1. *qv.* 46. Covarruv. *in cap. qvamvis pactum part.* 1. *cap.* 7. *in princip.* Don Joan Vela, *de Delictis part.* 1. *cap. 28. n. 33. & seqq.* vid. Jac. Moller. *l. a.* Mitiorem sententiam de allegatô suppliciô capitali fovet etiam Johannes Georgius Simon. *Præsid. Acad. Part.* 1. *Disp.* 14. *cap.* 4. *Th. 2. n.* 18. *pag.* 832. *Negatur.*

 Pro-

Pro temporis, inqviens, circumstantiâ respondemus, utroqve Sexu Hermaphroditum naturaliter in actu conjugali uti posse, propterea qvòd hoc legibus interdictum nullibi inveniamus. Nec remoram faciunt contrariæ opinionis asseclæ statuendo, eum debere vel maris, vel fœminæ personam eligere, adhibitâ insuper cautione juratoriâ, se aliô, qvàm electô, genere uti non velle, vid. Basil. Ponc. *de Matrimon. l. 7. cap. 65. num. 8. pag. 384.* & Ambrosf. Paræi, *Chir. Lib. 24. cap. 4.* qvi hoc sub pœnâ capitis, propter absurdissimum peccantium factum, rectè introductum putat: At hæc protulerunt, partim Jure Naturæ, partim textibus Juris Civilis destituti, sine qvibus loqvi erubescimus. *Novell. 18. cap. 1. & 5. add. l. illam.* 19. *de Collation. Hieron. Schurff. Cent.* 1. *Consf.* 32. *num.* 2. Qvod enim attinet cap. 5, 10. de Cleric. Conjug. longè alium & diversum casum illud continet, qvoniam agit de Clericô conjugatô, beneficiis Ecclesiasticis privandô, ex eâ ratione, qvia is magis cogitàt, qvomodo placere possit uxori, & ideò minùs, qvæ Dei sunt, cogitare valet: ab hoc verò argumentari non licet: Ergò Hermaphroditus utriusqve Sexus officium æqvaliter præstare valens, necessariò ad unum tantùm, ut se adstringat, cogendus est. Porrò non refragatur nobis *L. si plures 9. ff. de Pact.* ubi dicitur, difficile esse, ut unus homo duorum vicem sustineat, *add. l. qvisqvis. 6. pr. C. de Postuland. l. nemo. pr. C. de Assessor. l. ille.* 13. §. *tempestivum*, 4. *add. C. Trebellion.* qvoniam hæ omnes sunt intelligendæ particulariter; idqve ob Casûs qvamplurimos, in qvibus unus multorum vicem subire potest, vid. *l. emancipatum.* 7. §. *si qvis* 2. *de Senator. arg. l. si Consul.* 3. *de Adopt. l. generaliter.* 24. §. *fin. de Fidei commiss. Libert.* Præterea infirma est allegatæ legis applicatio, præsentem nostrum Casum si consideramus, ubi Hermaphrodito, jam præsupposito, minimè

nimè difficile aut moleſtum eſt, duorum repræſentare perſonam. Verum deniqve non eſt, modò unô, modò alterô Sexu uti, indecens eſſe in eò, qvem Natura adeò validè ditavit, ut duplicis Sexûs functionibus, qvod hîc ſubintelligitur, ſatisfacere qveat. Aliud eſt, ſi alterum membrorum ſit accidentarium, ita, ut tantùm incitamentum libidinis, non verò adjumentum & receptaculum veræ generationis ſecum ferat. Hæc Simon.

§. 10.

Plura de hac materiâ adhuc reſtant apud allegatum Mollerum, *pag.* 179. & 182. *ſeq.* ubi varias adhuc Qvæſtiones proponit, ſcilicet, an Hermaphroditus, qvi in utroqve Sexu potens eſt, poſſit & uxorem ducere & ſimul etiam viro nubere? Item: Si duo Hermaphroditi in utroqve Sexu potentes, unus ſub habitu & nomine viri, alter ſub habitu & nomine fœminæ à teneris usqve educatus, ignorantes alterutrius conditionem, matrimonium in facie Eccleſiæ invicem contraxerunt, minimè detectâ illâ qvalitate Parocho, & poſtea ex promiſcuô uſu veneris ambo gravidi facti partumqve ediderunt, (qvale exemplum ſuprà recenſuimus) num hoc caſu capitali ſuppliciô afficiendi ſint? An Matrimonium jam contractum inter duos Hermaphroditos in utroqve Sexu potentes conſiſtere poſſit, eô modô, ut reciprocus uſus corporum ex utroqve Sexu licitus ſit? *pag.* 187. *ſeq.* An inſcius vel inſcia Hermaphroditum in matrimonium ducens poſſit agere ad diſſolvendum matrimonium? *pag.* 193. Circa cujus Qvæſtionis reſponſionem primariò ocularem partium genitalium inſpectionem Medicorum vel Chirurgorum peritorum non immeritò reqvirit, qvippe, qvæ ad aliorum qvoqve Conjugum, non Hermaphroditorum, ſeparationem ſemper neceſſaria eſt. Si proinde factâ inſpectione conſtat, qvod Hermaphroditus il- *Aliæ Qvæſtiones.*

illum Sexum, qvem Natura ratione initi matrimonii reqvirit, non ritè constitutum aut conformatum, sed imperfectum habeat, ita, ut neqve agere, neqve pati atqve debitô suô conjugali fungi non possit, tunc omninò matrimonium dissolvendum erit, licet etiam hermaphroditus ratione alterius Sexus magis habilis ad cohabitationem conjugalem reperiatur. Signa autem talismodi inhabilitatis & impotentiæ tam ratione Sexûs masculini, qvàm fœminei, ex supra adductis & aliunde repetantur. Talismodi Divortii exemplum recenset Gabriel Clauderus, *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Observat.* 75. *p.* 169. *seq.* de Cive qvodam, in cujus uxore nuper ductâ Chirurgus observavit pudendum muliebri duos saltim digitos transversos amplùm, atqve intra hoc superiore in parte membrum apparere virile, primô intuitu duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactûs in æqvalem magnitudinem adhuc excrescere, durius insimul redditum; cùm itaqve dicti viri mentula conatu violentiore intrusa hoc membrum, interiùs contrà audentius ire audens, atqve ita introitum summè dubium reddens sentiret, atqve de desideratâ Castelli hujus expugnatione desperaret, rem gestam Magistratui Ecclesiastico denuncians, divortium petebat atqve obtinebat.

§. II.

An hermaphroditus Viduus possit nubere viro ut fæmina.

Aliam adhuc Qvæstionem movet Paulus Mollerus *l. a. pag.* 181. Num Hermaphroditus viduus possit nubere viro, ut fœmina? Circa qvam duo mihi consideranda videntur, scilicet habilitas utriusqve Sexûs ad matrimonium, & Juramentum de non utendô alterô Sexu ante primas nuptias præstitum. Cum autem ante omnia ad Hermaphroditorum Matrimonium Inspectio Medico-Chirurgica reqviratur, imprimis etiam tali in Casu eadem necessaria erit. Qvamvis enim talis

talis Hermaphroditus per inspectionem partium genitalium ante primas nuptias tanqvam Mas ad matrimonium habilis fuerit judicatus; cùm verò rarissimè in unô eodemqve subjectô uterqve Sexus perfectus, sed utplurimum alter ratus, alter verò irritus observetur; facillimè interim accidere potest, ut talis hermaphroditus mas, seu qvoad Sexum masculinum perfectò constitutus, in Perinæô vel sub Scrotô eqvidem rimam seu vulvam ostendat, qvæ tamen vel est planè imperforata, vel nimis angusta, multò minus qvoad internas partes ritè conformata, neqve Urinâ, neqve menstruô fluxu manans; ut adeò iste Hermaphroditus minimè simul pro fœminâ habendus sit. Et licet externè perfectus Hermaphroditus videatur, plura tamen signa Sexûs distingventia, tam externa, qvam interna, ex superius allegatis circa inspectionem indaganda essent. In priori casu, seu Sexu fœmineô existente imperfectô, omninò à tali Matrimoniô arcendus erit; an autem in posteriori casu, tanqvam ad utrumqve paratus, ob antea præstitum Juramentum ad secundas nuptias progredi, viroqve, tanqvam fœmina, nubere possit, Dominis Jurisconsultis decidendum relinqvo. Horum autem nonnulli, juxta allegatum Mollerum, existimant, hoc posse facere Hermaphroditum; & licet Hermaphroditus juramentô elegisset Sexum, & promisisset, aliô uti non velle, qvanqvam peccatum committat juramentum transgrediendô, attamen validè contrahat, qvia natura concessit illi facultatem contrahendi sub utraqve specie, qvam non amisit per electionem unius Sexûs: Neqve à Jure Naturæ, neqve à Jure Canonicô tale matrimonium irritatur, cùm non adsit impedimentum dirimens hujusmodi Contractum: Et hanc sententiam tuetur Thomas Sanchez, *de Matrimonio lib. 7. Disp. 106. num. 8.* qvem seqvitur Bonacina, *de Matrimonio qu. 3. punct. 13. num. 29.* Trullenchus, *Tract.*

de Sacramentis Lib. 7. cap. 9. dub. 16. num. 37. Ildephonsus Perez de Lara verò *in Compendio Vitæ hominis cap. 11. num. 49.* contrarium tenet, qvòd licet in jure non videatur prohibitum, satis tamen hoc prohibere statum matrimonii præcedentis, & sufficere firmari in justitiâ publicæ honestatis, *arg. l. scire 15. §. conseqvens ff. de excusat. tutor.* Si autem Sexus, qvô prius contraxit, finitô matrimonio frigescat, altero autem incaluerit, & se continere neqveat, tunc consulendum dicit Romanum Pontificem, qvi poterit ei licentiam indulgere; cùm non mirum sit, qvòd fiat mutatio caloris de uno Sexu in alium; siqvidem & Sexûs mutationem fieri & sæpe contigisse pluribus comprobat Torreblanca de Magia Lib. 2. cap 17. Deinde etiam neminem adeò stultum ac dementem fore credit Mollerus, ut, cùm in primô matrimonio viri officio functus fuerit, imperiumqve maritale exercuerit, deinceps in secundô matrimoniô seqviorem Sexum eligat, imperioqve alterius se subjiciat, cùm id planè absurdum esset. Imò ipse Blasius Ponce, qvi antea Hermaphrodito, post juramentum alterô Sexu abutenti, capitale supplicium infligendum esse statuebat, *l. c.* sibi non constans asserit, qvòd, si Hermaphroditus viduus factus utatur aliô Sexu & nubat, ut fœmina, qvi prius nupsit, (duxit potius uxorem) ut vir, peccet qvidem; at conjugium valeat, cùm sit corpus aptum, & nullum sit Jus Ecclesiasticum, qvô reddatur inhabilis. vid. Joh. Georg. Simon. *l. a. n. 21. pag.* 833. Qvod tamen hæc vel consvetudine, vel aliâ lege positivâ indecentia fieri possint, ambabus largitur manibus.

§. 12.

Præter has qvæstiones de Hermaphroditorum Matrimoniô aliæ adhuc ad Jus tum Canonicum, tum Civile pertinentes occurrunt, qvas tamen, cùm tantummodo ratione Inspectio-

ctionis & Attestati Medico-chirurgici de Sexu prævalente, de qvô ejusqve signis distinctivis hactenus sufficienter egimus, ad Medicinam spectent, Dominis Jurisconsultis relinqvimus; tales v. g. sunt.

§. 13.

An Hermaphroditus Religionem vel Monasterium ingredi possit? De qvâ vid. Jac. Moller. *de Hermaphrodit. cap. 7. pag. m. 198.* Nicol. Venette *de la Generation de l' Homme Part. 4. cap. 4. p. m. 632.*

§. 14.

An & qvoties Hermaphroditus confiteri debeat? vid. Caspar. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 40. pag. m. 393.*

§. 15.

An Hermaphroditus ad ordines Ecclesiasticos admittendus? v. Jacob. Moller. *l. a.* Caspar. Bauhin. *l. a. pag. 395.* qvi etiam *l. a. cap. 35. pag. 364.* seqventem Historiam recenset: Albertus, Dux Brunsvicensis, Archiepiscopus Bremensis, â Johanne, Diaconô suæ Ecclesiæ, traductus erat, qvòd esset Hermaphroditus & in utramqve Venerem æqvè promptus. Archiepiscopus inspiciendum se præbuit in balneis, multis militaribus, consularibus & Civibus Bremæ: Nec tamen qvievit ortus semel rumor. Convocatis suffraganeis suis atqve Ecclesiarum Prælatis Hamburgum, plusqvam qvingentis personis iterum visendum se præbuit, ternis ferculis tricies multiplicatis Prælatos omnes & nobiles excepit: militaribus autem divisis locis bina toties fercula apposuit: reliqvos Cives singulis per vicenas vices honoravit. Cæterum cùm ad eam, qvæ Hamburgi facta est, ostensionem, nec dum infamia videretur purgatus, contendentibus aliis, corruptos fuisse judices,

qvi inſpiciendi operam deſumſerant rogati: in ultimis finibus ſuæ provinciæ, in Civitate Sudenſi, iterum ſe viſendum exhibuit qvamplurimis gravibus viris.

§. 16.

An Hermaphroditus poſſit eſſe Rector Univerſitatis? vid. Caſp. Bauhin. *l. a. pag.* 396. Jacob. Moller. *l. a. p.* 200.

§. 17.

An Hermaphroditus poſſit eſſe Imperator, Conſul, Judex & alius Magiſtratus? vid. Jacob. Moller. *l. a. pag.* 202. Caſp. Bauhin. *l. a. pag.* 396. Ott. Philip. Zaunſchliffer. Oper. jurid. *Tr.* 10. §. 10. *p.* 151.

§. 18.

An poſſit Hermaphroditus eſſe Advocatus? vid. Caſp. Bauhin. *l. a. p.* 397.

§. 19.

An poſſit ſtare in judiciô locô Viri vel Mulieris? v. Paul. Zacch. *Qvæſt. med. leg. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qv.* 8. *Annot.* Georg. Franc. *fol. m.* 595.

§. 20.

An Hermaphroditus poſſit eſſe arbitrator? v. Caſp. Bauhin. *l. a. p.* 397.

§ 21.

An Hermaphroditus comprehendatur in ſtatu reqvirente Conſenſum propinqvorum in contractibus Mulierum? vid. Jacob. Moller. *l. a. pag.* 205. Caſpar. Bauhin. *l. a. pag.* 394.

§. 22.

An Hermaphroditus poſſit eſſe teſtis? v. Chriſtoph. Neandr.

Hi-

Histor. Bacchanal. pag. m. 59. seq. Casp. Bauhin. *l. a. pag.* 395. Jacob. Moller. *l. a. p.* 205.

§. 23.

An Hermaphroditus aliqvid singulare habeat ratione irrogationis pœnarum? vid. Jacob. Moller. *l. a. pag.* 209. Caspar. Bauhin. *p.* 397.

§. 24.

An succedat in feudum? v. Joh. Dauth. *de Testament. fol.* 350. 353. Christoph. Neandr. *Bacchanal. pag.* 59. Joh. Georg. Simon. *Præsid. Acad. Part.* 1. *Disp.* 14. *cap.* 4. *Thes.* 2. *p.* 831. Casp. Bauhin. *l. a. p.* 398. Eberhard. Speckh. *Qv. Jurid. Cent. I. Qv.* 76. *fol.* 86. Ott. Philip. Zaunschliffer, *Oper. Jurid. Tr.* 10. *Th.* 10. *p.* 150. *seq.*

§. 25.

An Hermaphrodita possit prætendere ignorantiam Constitutionis? v. Casp. Bauhin. *l. a. p.* 398.

§. 26.

An Hermaphroditi sint liberi, an servi? v. Jac. Moller. *l. a. cap.* 7. *pag.* 203.

§. 27.

Hermaphrodita qvaliter debeat servire, v. Casp. Bauhin. *l. a. p.* 399.

§. 28.

An Hermaphrodita in parte suâ possit eligere unum ex fratribus. v. Casp. Bauhin. *l. a. p.* 400.

§. 29.

An Hermaphroditus arrogari possit? vid. Jac. Moller. *de Hermaph. c.* 7. *p.* 204.

§. 30.

An adoptare posſit? v. Moller. *l. a.*

§. 31.

An poſthumum hæredem inſtituere poſſit? v. Joh. Dauth. *de Teſtament. f.* 353. Chriſtoph. Neandr. *Hiſt. Bacchanal. p. m. 60.* Jac. Moller. *l. a. p. 206. ſeq.*

§. 32.

Conceptio hermaphroditica. Deniqve adhuc alia Qvæſtio de Conceptione Hermaphroditicâ apud Autores occurrit: An ſcilicet Hermaphroditi perfecti, ſeu qvibus natura utriusqve Sexûs perfecta membra genitalia tam externa, qvàm præſertim interna, concesſit, intra & per ſe ipſos absqve alterius viri vel fœminæ cohabitatione maritali concipere & generare posſint? Qvod qvidem nonnulli variis rationibus & exemplis affirmare nitantur, alii econtra negant.

§. 33.

An posſibilis? affirmatur. Pro posſibilitate talis Conceptionis ab Autoribus adducitur, qvia in tali Hermaphroditô perfectô reperiatur, utrumqve Semen, maſculinum ſcilicet ac fœmininum, vaſorum & matricis conveniens locus, ad fœtum producendum & alendum ſufficiens materia; qvare nihil deficeret, qvô minùs absqve alterius Coitu impleretur, vel Conceptio & Imprægnatio fieret. Qvamvis etiam alii contra hanc Opinionem excipiant, qvòd ſine Congreſſu (in qvô oriatur incaleſcentia) & ſine Seminis in Uteri Cavitatem injectione, generatio fieri non posſit; his tamen reſpondetur: juxta opinionem Veterum, qvi fœtum ex materiali utriusqve Seminis in Uterô factâ commiſcelâ generari ſtatuebant, eqvidem Seminis virilis in Cavitatem Uteri injaculationem utiqve neceſſariam videri; Cùm ve-

verò ſecundum recentiores Conceptio non tam in Uterô, qvàm in Ovariô muliebri perficiatur, ut adeò nulla fiat ſeminum materialis vel craſſa commixtio, ſed Semen virile tantummodo vi qvadam plaſticâ ad ovuli imprægnationem fœtusqve formationem concurrat, hocqve modo ſeminis poſt prima tantùm vulvæ labia injectio, uti in Atretis accidere ſolet, ſufficiat; facillimè etiam ſibi qvis imaginari poſſet, in Hermaphroditô perfectô, ſemen maſculinum, à qvacunqve causâ in Orgaſmum venereum redactum magisqve ſpirituoſum redditum etiam absqve Coitu, (qvi potiùs ad ejaculationem, qvàm, Seminis ſpirituaſcentiam facit,) ratione Spiritûs plaſtici totam humorum maſſam permeando, ad Ovulum pertingere illudqve imprægnare poſſe.

§. 34.

Dubius etiam circa hanc Qvæſtionem videtur Paulus Zacchias, *Quæſt. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. n. 30. fol. m. 599.* ubi negativam defendendo variis objectionibus reſpondet; ſcilicet ad objectionem, quod idem Semen in tali Hermaphroditô non poſſit habere duos contrarios motûs, ille regerit, duplicem Sexum habentem habere etiam utrumque Semen à propriis vaſis elaboratum, item concedit equidem, quòd impoſſibilè ſit, idem Semen habere duos motûs contrarios, ad extra nimirum & intra, nimirum hoc verum eſſe in unô eodemque tempore; attamen habere eos motûs viciſſim & ſucceſſivè, nequaquam impoſſibile eſſe, dicit. Huic Zacchiæ reſponſioni, meâ quidem ſententiâ, adhuc annecti poſſet, quòd talis contrarius Seminis motus ad Hermaphroditicam conceptionem minimè requiratur; ſiquidem, quamvis aliàs in Coitu ordinariô Seminis virilis ejaculatio ad intra, ſeu in arvum muliebre, neceſſaria ſit, nulla tamen ſecundum recentiores ſimul in Coitu datur Seminis muliebris motus ad

P. Zacchiæ Sententia.

ex-

extra; & licet quandoque in aut post coitum à fœminâ liqvor qvidam excernatur, minimè tamen talis pro Semine muliebri habendus, cùm non ex ipsô Uterô, multò minùs ex Ovariô, sed tantummodò ex glandulis & lacunis Vaginæ uterinæ excernatur & effluat: verum autem Semen muliebre, tanqvam fœtûs materia, in Ovulô detentum, nullum in Coitu sentiat motum localem, sed aliqvot adhuc dies post imprægnationem in Ovariô moretur, demumqve locum mutet, atqve per tubas Fallopianas ad Uterum deferatur. Si proinde in Coitu ordinariô non datur seminum contrarius motus, uti veteres statuebant, multò minus ad Conceptionem Hermaphroditicam talis motus contrarius fingendus vel necessarius erit, sed potiùs Spiritus plasticus seminis virilis in Vasis suis jamjam elaborati & conservati, tempore Orgasmi venerei, à qvacunqve causâ sufficienter excitati, per vias nobis incognitas, (sive fiat per porositatem totius corporis, sive per totam massam humorum,) Ovulo communicari poterit; imprimis præsertim si peculiaris partium genitalium internarum conformatio & communicatio accederet, qvale exemplum in Hermaphroditô annotavit Realdus Columbus, *Anat. Lib. 15. p. m. 493.* Fœminam scilicet vidit, qvæ præter vulvam Membrô qvoqve virili prædita erat, qvod tamen non admodum erat crassum. Qvamobrem in ejus Anatome generationis vasa accuratè admodum perverstigavit: Vasa seminalia testesqve considerans, numqvid ulla inter hæc communio & consensus adesset: tandem hoc comperit, Vasa qvidem præparantia ab aliarum fœminarum præparantibus vasis non differre: nam bipartita erant & ex binis qvaterna natura genuerat, ex qvibus duo, qvæ etiam majora erant, ad matricis concavum destinabantur, reliqva duo ad Penis radicem, qui glandularum prostatarum expertferat. Hoc tam admirabile visu & speculatu erat, qvàm quod

quod maximè, quô pactô natura prudens ſagaxqve locum ſatis tutum ſelegerat; per qvem Vaſa hæc ad penem deferri poſſent, &c. Et qvis qvæſo omnes Naturæ luſûs indagabit?

§. 35.

Qvantum autem exempla, qvibus hæc opinio confirmari poſſe videtur, attinet, tam ex Regnô Vegetabili, qvàm animali peti ſolent; Inqvit enim Ariſtoteles *de Generat. animal. Lib. I. cap. 20. fol. m. 543.* In Plantis facultates miſcentur, nec mas à fœmina ſeparatur, qvam ob rem ex ſe ipſæ progenerant, nec genituram emittunt, ſed conceptum, qvod ſemen vocatur, afferunt, &c. Putat etiam Johannes Benedictus Sinibaldus, *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 1. cap. 6. pag. m. 106.* naturam ſuperfluam fuiſſe in diſtinctione Sexûs, qvando ſimul utrumqve commodè & utilius coagulare poterat, absqve eâ multiplicatione entium, qvam tantopere debet & ſolet illa eadem evitare. Id autem probari poſſet ex eô, qvòd in plantis eſt ſimul conjuncta activa & paſſiva virtus. Qvin etiam commodiùs hæ virtutes unitæ propagationem diffunderent: videmus enim plantas fructificare magis, & liberiùs luxuriare, eò qvod virtus activa à paſſiva nunqvam ſejungitur. De Spinachiâ & Urticâ Androgynis, *v. M. N. C. Dec. III. An. 596. Obſ. 211. p. 484.* *Exempla. Ex Regnô vegetabili,*

§. 36.

Ex Regnô animali exempla Conceptionis Hermaphroditicæ deſumi ſolent, v. g. à Cervô cornigerô hermaphroditô, in cujus eviſcerati uterô, juxta Joh. Lang. *Epiſtol. medicin. Lib. 1. Ep. 70. pag. m. 376.* Hinnulus fuit repertus, qvi absqve alterius Cervi congreſſu ortus præſumitur; De Hyæna, animali feroce & aſtutô, qvod humanos ſermones aſſimilare, *Ex Regnô animali.*

alteriusqve annis Sexum commutare ac sine mare gignere olim credebatur, ait Ovidius Metamorph. *Lib. ult.*

Alternare vices & quæ modò fœmina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam.

Ut de Leporibus, qvi omnes Hermaphroditi atqve sine coitu ex se ipsis generare vulgò creduntur, hoc loco nil dicam, cum hanc sententiam Autores supra à nobis allegati refutent. Sic Conchas fluviatiles non modo hermaphroditos esse, ovaria & vesiculas seminales habentes, sed etiam speciem suam per se ipsas multiplicare, juxta annotationem Domini Mery pariter supra ex *Act. Erudit. Lipsiens. An. 1714. Mens. Maj. p. 196.* annotavimus. Qvò referri aliqvatenus potest supra adducta Observatio Johannis Petri Albrechti, *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obs. 11. pag. 26.* de Insectorum Ovis sine præviâ maris cum fœmellâ conjunctione nihilominus nonnunqvam fœcundis. Stephanus Blancardus habuit araneam, qvæ qvatuor annos peperit ova, ex qvibus iterum araneæ sunt productæ, qvamvis nullus masculus adfuerit. v. *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obs. 55. p. 65.*

§. 37.

Inter homines.

Imò inter homines repertum hermaphroditicæ conceptionis exemplum recenset Fortunius Affaytatus, Physicus atqve Theologus Italus insignis in suis Considerationibus Physicis atqve Astronomicis, Venetiis Anno 1549. impressis, ubi asserit, dari Hermaphroditos, utriusqve Sexûs, munus egregiè absolventes, & alterum tantummodo Sexum foris ostendentes, fœminea genitalia exterius conspicua esse, virilia intus latere, semine prolificô prædita, & per certum seminis ductum, qvotiescunqve opus sit, semen ad matricem deferre, vehementi aviditate illud excipientem; illudqve penetrare il-

illæsâ etiam virgineâ membranâ in loca ad generationem accommodata, illicqve residere, & ita Conceptionem fieri, eôdem modô, ac si cum virô rem habuisset; & hoc plerumqve solere per somnum usu venire, qvô tempore sagax Natura ad venerem excitandam varia simulacra confingere facile potest. Servatis igitur naturæ legibus, satis constare arbitratur, mulierem sine virô, foris adhibitô, concipere posse; qvâ in re providæ & almæ naturæ gratias ingentes agendas esse censet, qvæ nullô pactô genus humanum perdi aut exstingvi voluerit, etiamsi viri non invenirentur, aut fœminas prorsus odissent. Imò, omnia procurâsse naturam statuit, ut humanum genus tueretur & conservaret, illudqve, homine etiam invitô, latiùs propagaret. Item refert idem, Merlinum Britannum divinum Vatemanno à Christô natô 446. ex eâ matre natum esse, qvam constabat sine virô concepisse, cum fortè se cum virô jacere somniâsset; Id Sabellicus, Scriptor historiarum diligentissimus, aliiqve Historici & Chronologi, præsertim apud Anglos, literis prodiderunt. Averrhoës asserit, hujusmodi Casum suo tempore accidisse, hoc est, Virginem sine virili Concubitu concepisse & peperisse. Divus qvoqve Thomas ait, suô seculô idem evenisse: Nostrates etiam paucis abhinc annis testantur idem Cremonæ contigisse. Vivuntqve adhuc dum Obstetrices boni nominis, tum probatissimæ qvædam matronæ, cum qvibus hac de re sæpe longos ipse sermones feci, qvæ jurant, se huic spectaculo interfuisse. Hæc Assaytatus, v. Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. II. cap. 73. fol. m. 1174. M. N. C. Dec. I. An. 2. Observat. 203. pag. 303. seq.* Aliis Merlinus ex Jacobo genitus dicitur. v. Joh. Wier. *Oper. Lib. 3. de Lamiis cap. 30. p. m. 253.* De aliis ejusmodi fabulis, vid. Casp. à Reies, *Camp. Elys. Qv. 41. §. 13. seq. p. 498.*

§. 38.

Adamum fuisse androgynum.

Talem Hermaphroditum, utrumqve Sexum indivisum habentem, primum hominem, Adamum, ante lapsum fuisse, atqve nisi ipse peccasset, semper ita constitutum permansurum, nec non ex se ipso, absqve sociâ, liberos procreaturum fuisse, nonnulli somniarunt; siqvidem prisci Hebræorum Scripturæ locum, *Gen. 1. vers. 27. seq.* (Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum; marem & fœminam creavit eos; sive juxta Sebastiani Schmidii Versionem: Creavit Deus hominem in imagine suâ, in imagine Dei creavit eum: masculum & fœminam creavit eos. v. etiam *Genes. cap. 5. v. 1. & 2.*) ita intellexerunt, qvasi Deus Adamum ab initiô crearit geminô vultu & Corpore, priore parte marem, alterâ fœminam referente, sic, ut Androgynos fuerit, sed postea corpus fuisse divisum & separatum, faciem anteriorem in marem, posteriorem in Evam mulierem, &c. vid. Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. 1. cap. 34. pag. m. 348. seq.* ubi plura reperies. Deinde etiam Gentiles & Veteres Philosophi, v. g. Protagoras apud Platonem & Aristophanes, absqve dubio ex Judæorum Scholâ fabulantur, primum hominem â naturâ factum fuisse Androgynum, anticâ parte virum, posticâ fœminam, divisum postea â Prometheô. *vid. ibid. pag. 305. sq.* Aristophanis verba vid. apud. Joh. Bened. Sinibald. *l. a. Lib. 2. Tr. 1. cap. 6. p. m. 106. seq.* Imò inter ipsos Christianos nonnulli eandem foverunt sententiam, siqvidem sub Innocentio III. hæresis orta, qvæ affirmabat, Sexus non futuros divisos, si peccatum Adæ non intervenisset, uti refert Martinus Polonus in Innocentii tertii vitâ, vid. Simon. Majol. *Dier. Canicular. Colloqv. 3. fol. m. 37.* Alii verò hanc Opinionem ipsi Martino Polono, fortasse falsò adscribunt, v. g. Caspar. â Reies, *Qvæst. 48. pag. m. 593.* in-

inqvit, Martinus Polonus existimavit, Sexûs non fore divisos, si Adamus non peccâsset, tenetqve primos Parentes utriusqve Sexûs fuisse participes: Item Johannes Benedictus Sinibaldus, *l. a. pag. m. 105. seq.* inqvit: Fuit qvorundam ac præcipuè Martini Poloni sententia, fuisse Adam in suæ Creationis primordiô Androgynum, illiqve utrumqve sexum insitum fuisse; idqve, ajunt, ex Verbis Geneseos apertè colligi: nam *cap. 1.* legitur: Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos: qvod pariter capite qvintô expresse repetitum habetur, & confirmari posse videtur ex eô, qvòd Protoplasta idem, dum fœminam produxit ex ipsomet virô, exantlavit, nil aliud ferè molitus, nisi separationem: ut propterea diceret Adam: hoc nunc Os de Ossibus meis, & caro de Carne meâ; qvin etiam videntur militare argumenta, qvod utilior & commodior futurus fuisset indiscretus Sexus. Huic opinioni de Adamô Androgynô faventes rationes adducit etiam Paulus Zacchias, *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qv. 8. n. 26. seq. fol. m. 598. seq.* Mirum, inqviens, in modum ad comprobandum dari in Naturâ Hermaphroditum utroqve sexu potentem & generantem, videtur facere id, qvod in sacrâ Genesis historiâ in principiô habetur, & mox capite qvintô, ubi primâ fronte apertissimè apparet, Deum creâsse primum hominem Marem simul & fœminam; ita enim *cap. 1. v. 27*: Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos; & deinceps *cap. 5. v. 1.* Hic est liber generationis Adam in die, qvâ creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis, & vocavit nomen eorum Adam in die, qva creati sunt. Ex qvibus videtur evidenter colligi posse, Adamum, cum primum crea-

tus eſt, fuiſſe marem ſimul & fœminam, qvod longioribus explicat Leo Hebr. Dial. 3. de Amor. qvi & Platonem Androgyni fabulam non aliunde intexuiſſe dicit, qvàm ex hac ſacri textûs enarratione. Favet etiam vel favere poſſe primâ fronte videtur huic opinioni de Adamo Androgynô ratio ſubſeqvens: Cùm enim ante Evæ formationem fœmina in Viro eſſet & ab ejus latere fuiſſet deſumpta, unde *Geneſ. cap. 2. verſ. 23.* ipſe Adam, cùm primam Evam videret, hoc, inqvit, nunc Os de Oſſibus meis & Caro de Carne meâ, certè Adam utramqve in ſe naturam continebat, fœmininam, inqvam, & maſculinam: in qvam ſententiam videtur ire Hucher. *de Sterilit. lib. 3. cap. de Hermaphrod.* in his verbis: Hæc ſexuum mixtio in Adamo non fuit, tametſi ſexto die creatus ipſe ſit mas & fœmina, de cujus latere fœmina avulſa ſit. Adde qvod omninò palam eſt, Adam primò ſolum fuiſſe creatum abſqve fœminâ, non ut alia animalia, qvæ omnia in diſtinctos Sexûs creata ſunt: unde illicò illis communicata eſt â Deo Virtus generativa, cùm illicò poſt eorum creationem ſeqvatur in ſacro textu: Benedixit eis Deus, dicens: creſcite (juxta Seb. Schmidii verſionem, fructûs facite) & multiplicamini. Si ergo cœtera animalia Deus voluerat per generationem propagari, & idcircò efformaverat ea diſtincti Sexûs, non erat conveniens, ſolum hominem procreaſſe generativâ facultate orbatum, qvi ob id neqve creſcere, (ſeu fructûs facere) neqve multiplicare poſſet; dicendum ergò, Adamum ita creatum, qvi in ſe & ex ſe generare & multiplicare poſſet. Unde eâ de re in ſacrâ Hiſtoriâ apparet, Adamum abſqve fœminâ creatum, maſculum & fœminam extitiſſe, & creſcere ex ſe ac multiplicare potuiſſe, ſic enim habet litera in enarratione ejus creationis. Apparet inſuper, poſt creationem Adamum ſolum in Paradisô poſitum, eiqve ſolum præceptum

da-

datum, non comedendi de lignô scientiæ boni & mali: dehinc Deum, qvòd non esset bonum, Adamum esse solum, formâsse Evam. Unde videtur concludendum, Androgynum, & ea verba, masculum & fœminam fecit eos, de solô Adamo tunc primum à Deo creatô esse intelligenda. Neqve frustrà illud appositum in sacro textu censendum, ad imaginem Dei fecit illum, qvia, sicuti Deus qvamlibet virtutem habet formandi & creandi animalia, ut mas & fœmina simul mixti, sic Adam ad ejus similitudinem creatus est mas simul & fœmina, Sexusqve indistincti, ut haberet potentiam ex se & in se generandi, non ut alia animantia, qvæ nullam habent potestatem hujusmodi per se, sed tantùm cum compare mixta. Hactenus Zacchias. Imò notus ille Sutor Gœrlicensis, à nonnullis dictus Theosophus Teutonicus, Jacobus Böhme, homini primo, Adamo, ante lapsum neqve animalem carnem, neqve ejusmodi membra genitalia, sed cœlestem & spiritualem propagationem tribuit, *Tract. de trib. Princip. Essent. Divin. cap. 10. pag. 130.* suo more inqviens: Unser Fleisch war fürm Falle himmlisch, nach dem himmlischen Limbo; als aber der Ungehorsam kam, sich in einem andern Centro zu gebähren, in Lust dieser Welt, so ward es irrdisch. Denn mit dem irrdischen Apffel-Bisse im Garten Eden fieng das irrdische Reich an, 2c. Et pag. 131. Adam hatte nach seinem Fall den ersten Menschen selber nicht mehr gekannt, darum schämete er sich seiner monstrosen Gestalt, und versteckte sich hinter die Bäume im Garten. Denn er sahe sich an, wie er eine Viehische Gestalt an sich hatte, da hat er auch alsbald Viehische Glieder zu seiner Fortpflantzung bekommen, 2c. Item: Es soll niemand wehnen, daß der Mensch habe für seinem Falle Viehische Glieder zur Fortpflantzung gehabt, sondern himmlische, und auch keine Därmer, 2c. Qvam sententiam etiam fovit Virgo

satis

satis nota, Antoinette Bourignon, inqviens: Nachdem sich Adam von GOtt abgewandt, da hat er seinen herrlichen Leib verlohren, und da hat GOtt aus ihm das Weib gemacht. Item: Adam für dem Sünden-Fall war kein Mann noch Weib zertheilet, sondern beyde Naturen in eines; Und er hätte beyde Naturen gezeuget, die ihm ähnlich wären, nehmlich Mann und Weib zusammen. vid. Gottfr. Arnold. **Kirchen- und Ketzer-Histor.** *Tom. III. cap. 16. fol. m. 159.* Item Arnold. etiam ex communicatione doctissimi cujusdam viri, in Tractatu Germanico, **von dem ehelichen und unverehelichten Leben der ersten Christen**, *pag. m. 351.* prolixè de hac materia agit, qvò benevolum Lectorem remitto; ex qvô tamen aliqvot paragraphos inserere liceat: Inqvit enim §. 6. sq. Es bezeuget die H. Schrifft ausdrücklich, daß der Mensch anfänglich nicht in zweyen, sondern in einem Subjecto oder Person sey erschaffen worden. §. 7. Und zwar ist das Weibliche zuerst mit dem Männlichen in demselben einem Subjecto oder Persohn vereinbahret gewesen. Weil ja das Weib nachgehends in der Scheidung der beyderley Eigenschafften aus und von dem Manne genommen worden, Genes. 2. v. 21. - 24. §. 8. Ist derohalben der Locus Genes. 1. v. 27: Und er (GOtt) schuff sie (die Menschen) ein Männlein und Weiblein, (dafern anderst auff die Art und Weise der allerersten Schöpffung hiermit gezielet wird, davon sonst eben dieser Vers in denen unmittelbahr-vorhergehenden Worten, wie auch der siebende Vers im 2. Capitel klärlich reden,) nicht sowohl von männlich und weiblichen Personen in zweyerley Subjectis, als vielmehr von männlich- und weiblicher Essenz und Eigenschafft in einer Person und Subjecto zu verstehen; oder es würde mit dem vorangezogenem Loco aus Genes. 2. v. 18. 20. - 24. sich schwer conciliiren lassen, &c. vid. etiam Scriptoris Anglici, Thomæ

Brom-

Bromley, Tract. mystic. von Vereinigung und Gemeinschafft der Geister, *pag. m.* 88. Item, vom Gesetz der Beschneidung, *p.* 6. 12. 25. 29. 39. *l. a.* vid. etiam Anonymi Tractatus Germanicus, das Geheimniß der Boßheit und Gottseligkeit, *Lection.* 2. *pag.* 32. *seqq.* & 40. Item, Jan. Huart. *Scrutin. Ingenior. pag. m.* 574. Imo fabulatur Plato in Symposio, initiò mundi nullum Sexus discrimen inter homines apparuisse, qvia tum omnes Hermaphroditi erant, sed ob fastum & arrogantiam Deum hominem in duas partes, Virum scilicet & fœminam, dissecuisse, & utrumqve Sexum à se invicem ita discrevisse, ut alter sine alterius adminiculo nihil qvicqvam ad sui conservationem moliri aut præstare posset. vid. Johann. Riolan. *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 27. *pag.* 257. *seq.*

§. 39.

Hanc tamen sententiam ceu fabulam Judaicam cum adductis rationibus atqve exemplis non immeritò alii rejiciunt, ex qvibus vid. Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. I. cap.* 34. *pag. m.* 350. *seq.* 355. *seq.* Casp. a Reies, *Camp. Elys. jucund. Qvæst.* 48. *pag.* 593. Paul. Zacch. *l. a. fol. m.* 600. *n.* 32. *seq.* & ex eo Jacob. Moller. *de Hermaphrodit. cap.* 1. *p.* 146. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib.* 2. *Tr.* 1. *cap.* 6. *p. m.* 108. *seq.* Phil. Jacob. Sachs à Lewenh. *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Observat.* 103. *Schol. p.* 305. Nic. Venette, *Tr. de la Generat. del' Homme Part.* 4. *cap.* 4. *pag. m.* 621. 628. *seq.* Ott. Phil. Zaunschliffer. *Oper. Jurid. Tr.* 10. §. 10. *pag.* 152. Laurent. Strauss. *Lib. ad Ant. Deusing. de Fæt. Mussipont. p. m.* 59. Gottlieb. Wernsdorff, *Disp. de primo primi Hominis Statu, Thes. II. c.* 20. *seq.* ubi plura. Qvò brevitatis gratia benevolum Lectorem remittimus.

Quam sententiam alii rejiciunt.

De Sexum mutantibus.

§. 40.

Sexûs permutatio.

Hactenus de primô hujus Capitis membro, nimirum de Hermaphroditis egimus, pauca nunc etiam de alterô, de Sexum scilicet mutantibus, qvi Hermaphroditis interdum sunt satis affines, annectenda restant. Siqvidem apud Veteres Autores multa satis exempla Sexûs fœminei in masculinum, & nonnulla masculini in fœmineum mutati hinc inde leguntur, qvorum aliqva ex iisdem recensere volumus. Inqvit scilicet C. Plinius, *Histor. natur. Lib. 7. cap. 4. fol. m.* 107. Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in annalibus P. Licimo Crasso, C. Cassio Longino COSS. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus jussuqve Aruspicum deportatum in Insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremqve duxisse; Ejusdem sortis & puerum à se visum. Ipse in Africâ vidi, mutatum in marem, nuptiarum die, L. Cossicium Civem Tisdridatanum, &c. Spoleti ex muliere virum factum refert Julius Obseqvens, *de Prodig. n.* 34. *p. m.* 30. Seqventia refert Joannes Jovianus Pontanus, *de Reb. cœlest. Lib.* 10. *cap.* 5. *pag. m.* 290. Cajetana muliercula viro piscatori nupta, cum qvô annos complures Veneris res miscuerat, ut Antonius Panhormita, piscatoris amicus, referre adolescentibus nobis solitus est, post qvartum decimum annum è muliere in Virum transiit, exortô repente in mulieribus naturæ locô virili Pene. Qvô factô, qvòd conditionis perpuderet suæ, ut, qvi à viris pariter mulieribusqve rideretur, è civili vitâ ad vitæ genus religiosum transiit, vixitqve in Monasteriô (in qvô ipsi eam novimus) vitæ suæ reliqvum, sepultusqve est

Exempla, Fœminarum in viros mutatarum.

est Romæ in Mariæ ad Minervam Templô. Mulier altera, nomine Æmylia, nupsit Antonio Sponsæ, Civi Ebulano, post duodecimum nuptiarum annûm in Melium mutata est, hodieqve cum Viris conversatur, artesqve viriles exercet in patriâ, utqve relatum est, nuper etiam uxorem duxit. Masius Aqvosa, cúm qvô vetus mihi consvetudo est, exortâ inter eos, de restituendâ dote, controversiâ, testificatur, Ferdinandi se Regis jussu, prospexisse restitutioni. Item, biennio, anteqvam hæc scribimus, ut ab Umbro nostro A. Colotiô gravissimô qvidem Virô accepimus, puellæ rusticanæ, qvæ villico nupserat, ubi puerum ex illô genuisset, virile membrum intra muliebrem naturam sese extulit, ineratqve illi, qvæ non multis post mensibus diem obiit, ex eo partu maris atqve fœminæ natura promiscua. Aliud exemplum puellæ in virum versæ refert Amatus Lusitanus, *Curat. med. Cent. 2. Curat. 39. fol. m. 168.* In Oppidô, inqviens, Esgueira novem leucis à Conybricâ, nobili apud Lusitanos Civitate, puella qvædam genere nobilis erat, cui nomen (si recte teneo) Maria Pacheqva, erat, qvæ cùm ad ætatem pervenisset, in qvâ mulieres menstrua primùm emittere solent, vice Mensium Priapum, usqve ad id tempus intus latitantem, extra ejecit. Et sic ex fœminâ factus est masculus & virili togâ indutus, ac sacrâ aqvâ respersus, Manuel fuit vocatus. Qvi ad Indos proveniens & dives ac clarus factus, postea ad suos rediit, & uxorem duxit, sed, an liberos genuit, non satis compertum habeo. Conscii tamen sumus, imberbem hunc semper mansisse. Huc pertinet etiam Aromatarii seu Pharmacopolæ Romani, qvi tabernam habuit à Torre Sangvigna riscontro l'hosteria del Cavalletto, filius, ex fœminâ circiter menstruorum eruptionem factus masculus, qvem Romæ imberbem, vestitu masculinô indutum, pectus tumens habentem se vidisse scribit M. Anto-

nius Ulmus, *Physiolog. Barb. Sect. III. Cap. 11. fol. m. 313.* Hujus aromatarii filii etiam ex propria Observatione meminit Paulus Zacchias, *Quæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qu. 9. n. 8. fol. m. 602.* inqviens, Anna dictus hîc Romæ ex fœmina, vel cùm fœmina appareret, decimô tertiô ætatis annô Mas apparuit. Illud non conticebo, credibile nullô modô esse, hunc, anteqvam virilia foras illi prosilirent, per uterum urinam reddidisse, qvô penitus caruisse illum, tam certum est, qvàm qvod certissimum; Erat enim hic Anna mas, sed imperfectus. Pene autem latente & virilibus, Uteri species apparebat, unde per uterum mingere videbatur, cum per easdem vias semper minxerit. Hic ut norunt omnes, imberbis semper permansit, ac â ruinâ suffocatus interiit. In tantam autem molem ejus corpus excreverat, ut duo mediocris crassitudinis humana corpora simul, qvalia tunc natura producit, mole æqvaret, neqve jam locô se dimovere posset. Ambrosius Paræus *Chir. Lib. 24. cap. 5. fol. m. 552.* seqventes historias narrat: Antonius Loqveneus, Indictionum ad S. Qvintini apud Veromanduos fanum Regius Qvæstor, nuper affirmavit mihi, vidisse se Virum Rhemis in hospitiô, cui Cygnus pro insigni est, Anno Domini 1560. qvi pro fœminâ ad annum usqve ætatis decimum qvartum habitus fuerat. Tum enim contigisse, ut cum ludibundus cum ancillâ, cui eodem in lectô accubabat, lasciviret, virilia ipsi hucusqve implicita se explicarent & erumperent. Qvod cùm parentes rescivissent, interveniente ecclesiasticâ potestate ipsum, nomine mutatô, Joannem pro Joannâ nominarunt, & virili habitu induerunt. Aliud exemplum idem Autor his verbis refert: Superioribus annis, cum essem in Caroli noni Regis comitatu, in Vitriacô Francicô ostensus est mihi vir Germanus Garnierus, qvibusdam Germanus Maria dictus, qvod olim fœ-

fœmina, Maria vocaretur, ſtatura mediocri, qvadratô corporis habitu, barbâ denſâ & ruffâ. Is ad qvintum usqve decimum ætatis annum pro virgine habitus fuerat, qvod virilitatis in ejus corpore nulla veſtigia apparerent, & qvod fœmineô veſtitu indutus inter fœminas muliebria obeundo aſſiduè verſaretur. Decimô qvintô igitur ætatis annô, dum in agris porcos ſuæ curæ demandatos & in meſſem irruentes, acriùs perſeqveretur, foſſam obviam magnô impetu tranſilivit: qvô factum eſt, ut ruptis velut involucris & vinculis abdita virilia derepente & haud ſine dolore emergerent. In caſam regreſſus, apud Matrem ejulans conqveſtus eſt, ſibi ab alvô inteſtina proſilire. Qvô ſpectaculô attonita Mater Medicis Chirurgisqve in conſilium adhibitis, audit, eum in virum evaſiſſe. Itaqve re totâ ad Cardinalem Lenuncurnum Epiſcopum delata, convocata concione Viri nomen habitumqve recepit, &c. Puella qvædam annô ætatis ſuæ ſextô fluxionem menſtruum paſſa erat diuturnam & vehementem, atqve ubi ea deſierat, Pleuritide correpta fuerat, ac diu colluctata cum febribus, eam ordinariè comitantibus & diu eam ſeqvacibus, tandem in regione pubis vehementiſſimos ſenſit dolores, parsqve ea paulatim intumeſcens, annô ætatis ſeptimô non puerum, ſed Penem produxit, qvi perfectus & perforatus erat; ita, ut urinam commodè per eum redderet, Teſticuli jam etiam ſui prodebant initia, &c. uti jam ſupra ex Avtopſia Theodori Kerckringii *Spicileg. Anat. Obſerv. 12. pag. m. 32.* recenſuimus. Alexandri Sexti Pontificatûs tempore Virginem qvandam cum Juvene deſponſatam, in veſpere præcedente noctem, qvâ Matrimonium conſummare decreverat, inter cantûs, ſonos ac ſaltationes choreasqve derepente in virum verſam fuiſſe, ex Raph. Volaterano refert Marcellus Donatus *de Med. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 2. p. m. 602. ſeq.* Se-

cundum qvem etiam Anno 1574. in Urbe Spoleti, in Umbria posita, vulgo Spoletto vocant, puella octodecim annorum filia cujusdam vocati Totaccia, & Soror Johannis Francisci d' Angvillo de Norcia, in virum evasit, prodeunte membrô virili, qvemadmodum à pluribus illius loci affirmatum fuit. Auseis in Vasconiâ Virum plusqvam sexagenarium, canum, fortem & hirsutum, qvi ad annum decimum qvintum ante puella fuerat, ex casu ruptis tenuibus ligamentis, Sexum mutatum habuisse, refert Andreas Laurentius, *Anat. Lib. 7. Qv. 8. f. m. 274.* Regnante Ferdinandô Ludovici Guarnæ Salernitani ex qvinqve fœminis filiabus duæ, Francisca & Carola, post qvintum decimum annum nuptui traditæ sunt, & thori usu ambabus genitalia membra in marium morem erupere, mutatoqve habitu publicè pro maribus habiti sunt, Franciscus & Carolus nuncupati. Eubuli qvoqve sub eodem Rege puellæ Viro desponsatæ primô thori usu effractis membranis, virilia membra prodierunt, qvæ domum repetens, dotemqve recuperans, judiciô publicô inter viros pro virô habitus est, uti ex Baptista Fulgosô & Andreâ Eborensi recenset Simon Majolus, *Dier. canicular. Tom. I. Colloq. 3. fol. m. 38.* Refert etiam Antonius Torqvemada, se ab amicô, virô magnæ autoritatis & fidei plenô, accepisse: non procul ab Urbe Beneventana Hispaniæ, uxorem rustici cujusdam fortunæ mediæ, qvæ, qvòd sterilis esset, minùs à maritô benignè habebatur, pertæsam malæ tractationis, qvadam nocte aufugisse, sumptô vestitu famuli domestici: sic ornata, virumqve mentita, variis in locis operâ servili vitam sustentavit: post aliqvod tempus, sive, qvòd calor in eâ naturalis tam efficax foret, sive qvòd imaginatio nata & confirmata continuô habitu & ministerio virili, eam efficacitatem nacta sit: certè ipsa se in virum mutatam deprehendit; statuit ergo, qvæ diu fuerat uxor, mari-

tum

tum agere: fœminam sibi matrimoniô copulat: diu res latuit illô non audente cuiqvam rem narrare; donec qvidam, ei priùs optimè notus, cernens tam similem esse facie uxori profugæ rustici illius, interrogavit: num fortè frater esset talis mulieris? huic rem omnem, uti contigerat, narravit. Sic res in lucem venit. vid. Mart. Delrio, *Disqvisit. magic. Lib. 2. Qvæst. 22. pag. m. 222.* ubi adhuc plura exempla reperies. Qvalia etiam collegit Johannes Schenckius, *Observ. medicin. Lib. 4. fol. m. 521. seq.* Item Casp. à Reies, *Camp. Elys. Qv. 57. p. m. 710. seqq.* Dan. Sennert. *Pract. med. Lib. 3. Part. 9. Sect. 1. cap. 13. p. m. 937.* Zacut. Lusit. *de Med. princ. histor. Lib. 3. Qvæst. 16. fol. m. 467.* Franciſc. Torreblanc. *de Magia Libr. 2. cap. 17. p. m. 210. seqq.* Dan. Hartnacc. *Admirand. phys. Lib. 9. cap. 3. p. m. 660. seqq.* Joh. Georg. Simon. *Præsid. Academ. Tom. I. Disp. 14. cap. 4. Thes. 3. pag. 833. seq.* Christoph. Neandr. *Histor. Bacchananal. pag. m. 60. seq.*

§. 41.

Hactenus allegata exempla tantummodo de fœminis in mares mutatis loqvuntur, pauca etiam marium in fœminas mutatorum reperiuntur, qvæ tamen plerumqve fide poëticâ nituntur. Canit enim Virgilius Æneid. Lib. 6. *Exempla virorum in fœminas mutatorum.*

- - *& juvenis qvondam, nunc fœmina Cæneus*
Rursus & in veterem fato revoluta figuram.

Scilicet Cæneum Elati filium à primâ ætate puellam fuisse, narrant Poetæ, formâ venustissimam, adeò, ut marinus Deus illius pulchritudine tactus, cum eâ concubuerit; à qvô etiam, ipsâ petente, in concubitus mercedem in virum mutata est, qvæ cum Sexu nomen qvoqve mutavit & ex Cænide Ceneus dictus est: hanc Plato divinâ virtute ex fœminâ in virum, &

tur-

rurſus ex virô in fœminam commutatam ait. vid. Caſpar. à Reies, *Camp. Elyſ. Qu. 57. n. 1. p. m. 710.* Et Ovidius, *Lib. 4. Metamorphoſ.* de Scythone ſcribit:

Nec loqvor, ut qvondam Naturæ jure novato
Ambiguus fuerit modò Vir, modò fœmina Scython.

Item de Tireſiâ, Thebanô Vate:

- - Venus huic erat utraqve nota,
Nam duo magnorum viridi coëuntia Sylvâ,
Corpora Serpentum baculi violaverat ictu,
Deqve Virô factus, mirabile, fœmina, ſeptem
Egerat Autumnos - -

Et Empedocles Agrigentinus Pythagoricæ Philoſophiæ aſſecla de ſeipſo dixit:

Et puer ipſe fui, nec non qvandoqve puella.

Huc pertinet etiam, qvod Auſonius Burdegalenſis Gallus, Vir conſularis, Poeta & Medicus eleganti Epigrammate ita expreſſit:

Valle Banæ res nota & vix credenda poëtis,
Sed qvæ de verâ promitur hiſtoria.
Fœmineam in ſpeciem converti maſculus ales,
Pavaqve de Pavo conſtitit ante oculos.
Cuncti admirantur monſtrum: ſed mollior agna
Adſtitit in tenerum de grege verſa marem.
Qvid ſtolidi ad ſpeciem notæ novitatis habetis?
An vos Naſonis Carmina non legitis?
Cænea convertit proles Saturnia Conſus,
Ambiguoqve fuit corpore Tireſias.

Vidit

Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum,
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiqvum, qvod Campana in Benevento,
Unus Epheborum virgo repente fuit;
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ,
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

vid. Joh. Lang. *Epistol. medicin. Lib.* 1. *Ep.* 70. *pag. m.* 377. An autem fide historicâ dignum sit, qvod P. Rochanski, ad Godofredum Gvilelmum Leibnitium perscripsit, benevolus Lector judicet, scilicet in Urbe Senensi vir erat qvadragenarius, aliqvot filiorum parens, qvorum postremus anno superiore in lucem editus est Androgynus. Pater illius post febrim & Calculum è Vesica protrusum cœpit ita mutari, ut barbâ defluente ac voce in muliebrem mutata in hunc tandem sexum commigraverit. Agebat uterqve conjugum de novo conjugio ineundo, donec vir, qvi per anni decursum fœminam egerat, terrore qvodam improviso alteratus ad priorem Sexum virilem rediisset. Res est in ea urbe decantata, nec dubito viri cujuspiam eruditi publico scripto publicandum, vid. Joh. Frider. Feller. *Otium Hanoveran. sive Miscellan. Godofred. Gvielm. Leibnit. p.* 432. *seq.*

§. 42.

Talis utriusqve Sexûs mutationis possibilitatem nonnulli Autores variis rationibus confirmare nituntur, & qvidem primò, qvia partes genitales, viriles atqve muliebres maximè inter se conveniant, solùmqve ratione loci vel situs inter se differant. Prolixè de hac materiâ agit Janus Huartus, Medicus Hispanus, *Scrutin. Ingenior. cap.* 18. *p. m.* 577. *seqq.* inqviens, qvod mas, licet ita videatur nobis ex constitutione *An Sexus mutatio possibilis? affirmatur.*

 ejus

ejus, qvam contuemur, externâ, tamen aliter â fœminâ non differat, qvemadmodum Galenus (*Lib.* I. *de Dissect. Vulv.* & *lib.* 2. *de Semin. cap.* 5.) inqvit, nisi qvòd illud, qvô est, qvod audit, extra corpus positum habet. Qvodsi enim puellæ alicujus instituamus Anatomiam, reperiemus, duos eam intra se globulos habere, duo vasa seminaria atqve eugium ejusdem constitutionis ac formæ, ejusmodi viri vomis est, adeò, ut nulla delineationis pars ei desit. Et usqve adeò illud verum est, ut, si natura, posteaqvam perfecti maris absolvit fabricam, in fœminam ipsum convertere cupiat, aliô ipsi labore opus non sit, qvàm ut suppellectilem introrsum retrahat: ac, si mulierem jam absolutam in marem convertere velit, non reqviratur aliud, nisi ut tum modulos, tum id, qvo fœminæ nuptiarum tuentur titulum, foras protrudat. Atqve hoc qvidem sæpenumerò naturæ ita usu venit, tam nunc, ubi creatura etiamnum in uterô existit, qvàm postqvam in auras prodiit. Cujus rei pleni sunt historiarum libri: licet qvidam fabulosum id esse autumârint, moti eô, qvòd Poëtæ hanc materiam intra manûs habere tractareqve soliti sint. Sed revera ita se res habet, qvòd qvàm sæpissimè natura fœmellam produxerit, eamqve talem unius duorumqve mensium spatiô in Uterô Matris conservârit: sed postqvam per occasionem aliqvam genitalibus magna Caloris copia supervenit, omnia ea, qvæ infra umbilicum sunt, extrorsum proruperint, ac creatura illa, Mas postea semper manserit. Eqvi illi sint, qvibus hæc transmutatio intra uterum matris acciderit, manifestò cognoscitur pòst ex certis qvibusdam motibus gestibusqve, qvi in his talibus deprehenduntur, Sexum virilem parum decentes; qui ideò muliebres sunt, effœminati, vocem blandam habentes ac svavem, inclinati ad facienda mulierum opera, ac regulariter in peccatum nefandum illud atque abomi-

mi-

minabile incidunt. Contrà sæpè natura, postquam marem aliquem cum peculio suo foris positô formavit, si post frigiditas aliqua superveniat, introrsum eam partem, quâ mas fuerat, vertit; atqve inde partus exstitit mansitqve fœmina. Atqve hæc talis post nativitatem ex eô cognoscitur, si marem & voce & motibus gestibusqve suis atqve aliis operibus referat. Videtur eqvidem probatu hoc esse difficile, sed si consideremus, qvot qvantiqve sint historici avthentici, qvi id confirmant, creditu difficile non est. Ac qvòd fœmellæ in mares conversæ sint, postqvam jamtum natæ fuerant fœminæ, jam amplius non miratur admodùm vulgus. Præterqvam enim, qvod pro verô id nobis referunt multi auctores antiqvi: etiam id paucos admodùm ante annos in Hispaniâ accidit: Id verò, qvod experientia monstrat, nec disputationem nec argumenta in contrarium admittit. Hæc Janus Huartus, *l. a.* juxta Versionem Æschacii Majoris Dobreborani. Et juxta versionem Gallicam Amstelodami sub titulo: L'Examen des Esprits, traduit de l'Espagnol par François Savinien d'Alqvie, Anno 1672. editam, *cap. 15. pag. m. 430. seq.* Nonnulli etiam statuunt, qvòd, si qvando Natura ex Virô mulierem facere intendat, pluribus, qvàm solâ penis virilis retractione, opus non habeat. vid. Joh. Georg. Simon. *Præsid. Academ. Part. 1. Disp. 14. cap. 4. Th. 3. pag. 836.* Item alii, qvi generationis membra non aliter, nisi, situ differre, atqve naturam ad perfectiorem gradum pervenire semper intendere credunt, non esse impossibile putant, si in calidiorē aliqvâ fœminâ, juvene præsertim ac Virgine, coitûs vehementiori desideriô genitalia adeò turgescant & pruritûs ardore calefiant, ut suô locô divulsa, inconsvetô naturæ opere (qvaliter monstrositates alias parit,) foras propellantur, siqvidem constet, viduis & virginibus hoc accidisse calidioribus sanè, dum Veneris cupidi-

 pidi-

pidine & œstrô percitæ de illius amplexu attentiùs cogitâssent, & tantum hoc prodigium, qvod in multis visum sit, omnibus ferè, aut saltem plurimis in ipsô nuptiarum die evenisse, uti ex historiis pateret, cum ad coitum jam instantem vehementius incenderentur, animumqve ad illum inducerent; qvòd imaginationis vis in membris generationis summè potens aliqvid novum moliretur ac stupendum. Ajunt qvippe in talium fœminarum conformatione naturam masculum intendisse, sed ob materiæ in dispositionem & inobedientiam, qvæ foris propendere debebant partes, intus fuisse derelictas, aut ob caloris inopiam, qvi ætate vegetior ac intensior factus, opus illud, qvod in Uterô absolvere non potuit, extra asseqvatur & perficiat. v. Casp. Reies, *l. a. Qu. 57. p. m. 715.* vid. etiam Simon Majol. *Dier. Canicular. Tom. I. Colloqu.* 3. *fol. m.* 38.

§. 43.

Exempla in brutis.

Hanc suam opinionem etiam exemplis ab animalibus brutis Sexum mutantibus, desumptis confirmare solent, uti jam supra de Hermaphroditis monstravimus, e. g. Cervos qvosdam naturam Sexûs variare, juxta Johannem Langium, *Epistol. medicinal. Lib.* 1. *Ep.* 70. *pag. m.* 376. Cornua, virilia cervorum arma, attestantur, qvæ Cervas qvandoqve gestare observatum est, &c. In Brasilia Sues reperiri, non solum hermaphroditas, sed etiam, qvæ Sexum mutent de fœminâ in marem, & qvod majus est, econtrà de mare in fœminam. De Hyæna Sexum mutante ita scribit Claudius Ælianus, *de Animal. Lib.* 1. *cap.* 25. *fol. m.* 12. Hyænam si videas unô qvidem annô Marem, alterô videbis fœminam: si verò nunc fœminam, postea marem; utriusqve enim Sexûs particeps est, eundem marem, cui antea nupserat, uxorem ducit, qvotannis autem genitalia immutat, &c. Plura de Hyænâ Sexum mutante, vid. Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 2. *cap.* 3. *p. m.*

pag. m. 416. seq. Qvod idem lepus aliqvando mas, aliqvando fœmina sit, & naturas transmutet, & qvandoqve velut masculus generet, qvandoqve, ut fœmina pariat, manifestum esse, tradit Democritus, vid. Conrad. Gesner. *Histor. animal. de Qvadruped. Lib. 1. fol. m. 685.* Gallinam in marem, gallum verò in Gallinam versum annotavit Julius Obseqvens, *de Prodig. n. 31. pag. m. 27.*

§. 44.

Porrò pro stabiliendâ hac, de Sexûs mutatione, sententiâ alias adhuc nonnulli Autores asserunt rationes, v. g. qvia nonnullæ fœminæ post mensium suppressionem factæ fuerint barbatæ, hincqve tam ratione barbæ totiusqve ferè corporis hirsutiei, qvàm ratione vocis & roboris qvasi viris similes evaserint, qvalia exempla hinc inde sufficienter, præprimis in Trichologia nostra, d. v. reperies; Deinde qvia interdum Vetulis, qvibus ob senectutem jamdudum defecerant Menses, & tempestivi in Vertice provenerint Cani, omnesqve ferè ceciderint molares, uterum nullô aut parvô apparente vestigiô, rugisqve in facie observatis profundissimis; nihilominus Capilli nigri repullularint, dentes iterum exierint, uti in infantibus, Menstrua denuo fluxerint, mammillæ, veluti in virginibus, sint elevatæ, rugæ evanuerint, faciesqve pulchræ factæ sint, uti de religiosâ & honestâ moniali Priorissâ ex Valesio de Taranta refert Zacutus Lusitanus, *de Medicor. princip. Histor. Lib. 3. Quæst. 16. Oper. Tom. I. fol. m. 467.* Qvalia exempla etiam congessit Caspar. à Reies, *Camp. Elys. Quæst. 26. pag. m. 297. seqq.* Item qvia alia magis monstrosa in rerum naturâ oriantur, dum non solùm viris, sed etiam mulieribus decrepitis, seu in ultimâ ætate constitutis, dentes interdum renascantur; qvalia exempla Zacutus dicto locô allegat, exindeqve ita concludit: Nonne virtus formatrix dentes in Utero

Alia rationes.

tero Matris generat, qvos postea variis temporibus extra emittit natura? Qvid ergo prohibet, qvò minus & mulieri membrum virile in primâ formatione efficiat, qvod postmodum temporis tractu statutô perfectum prodeat? Siqve in rerum naturâ monstra apparent & ex hujus errore multa admiranda cernuntur, cur ex muliere virum posse fieri denegabimus. Item, si ex retentione Menstrui aut ex viscerum robore & calore immensô, fuliginum copiam ad superas partes emittente, in fœminis barbitium contingit, extrà promimentibus pilis: cur pudendum intus latitans in fœminis, calore foràs trudente, in ætatis processu extra prodire posse negabimus? Deniqve ex his rationibus variisqve Autorum exemplis, fœminas in Viros verti posse defendit, num autem viri in fœminas verti possint, fabulosum putat *Zacutus*, *l. a.*

§. 45.

Fœminam in virum non autem virum in fœminam mutari.

His fortasse vel similibus rationibus persvasi quoque alii Autores eandem fovent sententiam; Sexûs scilicet fœminei equidem in masculinum, minimè vero hujus in illum mutationem concedentes, siquidem Henricus Kornmannus, *de Virgin. Jur. cap. 116. pag. m. 250.* scribit: Contingit interdum, fœminas in mares mutari: nunqvam verò mares in fœminas mutantur, repugnante scilicet natura, qvæ semper expetit dignius & indigniori resistit, nec fabulosum hoc est, qvia mulieres æqve suos habent testiculos & genitalia, atqve viri, atqve ob id non minus etiam, qvàm viri, castrari possunt, &c. Et juxta Christoph. Neandri, *Histor. Bacchanal. p. m. 63.* Fonseca, marem in fœminam divinâ virtute, fœminam verò in marem non tantùm divinâ virtute, sed per causas etiam naturales, transformari, particulari substantiâ individui, identitateqve ejus numerali non mutatâ scribit: Prolixè etiam

Jo-

Johannes Wierus, *Oper. Lib. 4. cap. 24. pag. m. 337. seq.* post aliqvot Sexûs mutati exemplorum recensionem, ita pergit: Hæc eô à me adducuntur studiô, ut probem, non solùm hanc Sexus permutationem & verissimam esse, & naturalium rationum basi inniti; sed etiam fœminas solùm transire in masculos saltem adversus inanem Ausonii assertionem, qvi duorum exemplorum autoritate etiam tueri conatus est Conversionis hujus oppositionem. Verum ubi causa incredibilis, istius effectûs fuerit cognita & perspecta, illicò conseqvutionis necessitas alterius falsitatem deteget. Qvæ ut investigatione acqviratur, duo ponenda sunt fundamenta, demonstrationi naturæ prorsus convenientia. Primum est post animantis productionem, virtutem conformatricem non esse otiosam: alterum particulæ alicujus prærogativô jure dotatus mulieres; hujus præsentia subministrabit generationi materiam, illius confessiò efficientis actionem. Qvæ si vera sunt, ut profectò sunt, oportebit circa pudendum muliebre latitare aliqvod membrum, priapi figuræ persimile: qvia ex physicæ speculationis certitudine constat, operationem naturæ non exerceri in subjectô qvolibet, sed idoneò & prædisposito: qvemadmodum etiam vis conformatrix, animante jam editô in lucem, non procreat de novo partes ob materiæ convenientis & reliqvarum occasionum defectum, sed imperfectas adimplere facile potest: Proinde his ita constitutis, pergit Wierus, sciendum est, ejusmodi particulam reperiri in κόλπῳ γυναικείῳ, qvæ cunctis mentulæ virilis conditionibus prorsus respondet, adeò ut prædita sit ligamentis, nervis, venis, arteriis, musculis, præputiô, glande, ne qvid omninò desideretur. Ejus exqvisita Observatio hactenus ferè fuit neglecta, ob pingvedinis velamen, à recentioribus: at ab Avicennâ describitur sub nomine Albathara, vel Albaudar: & à Ruffô Ephesio κλειτορὶς vo-

vocatur, unde obscænum verbum κλειτωρίζειν, vel κλειτωριάζειν derivatur: nec non Nympha, Myrton, ὑποδερμίς. Atqve exigua hæc caruncula paulatim molis augmentatione exsurgit tandem in Priapum, omnibus suis numeris absolutum. Qvod contingit præcipuè aut menstruæ expurgationis initiô, aut connubii tempore, qvoniam in eô Naturæ impetus incrementum molitur; in hôc verò, propter primi coitûs vehementiam effringuntur particulæ istius carceris, qvibus exonerata virtus formativa dein elaborat in promptiore expulsione. Ita etiam fit, qvòd tunc corpus & hirsutius evadat propter mensium suppressionem, & robustius ob Sexûs virilis successionem. Hoc autem membrô qvum saltem mulier dotetur (unde omnes fœminæ, licet actu tales sint, potentiâ tamen masculos nominârim,) necessariò elicitur, hunc mutationis ordinem progredi tantùm à sexu fœmineô ad masculum, non è converso, &c. Hæc Wierus.

§. 46.

Talis mutatio ab aliis negatur.

Alii tamen Autores, tum Veteres, tum recentiores, non modò virorum in fœminas mutationem, cum Wierô, sed etiam fœminarum in Viros factam Metamorphosin variis rationibus negant; dum Andreas Laurentius, *Histor. Anat. Corp. human. Lib. 7. Qvæst. 8. fol. m. 275.* ad qvæstionem: qvid de fœminis in mares conversis sit sentiendum? respondet: se portentosum hoc & vix credibile judicare. Qvòd si aliqvando contingat, verisimile esse, in illis utriusqve sexûs adesse genitalia, primâ qvidem ætate ob caloris imbecillitatem latentia, qvæ tandem ob caloris ἐκλάμψεις, emicatûs & effulgescentias erumpant. Aut existimandum esse judicat Laurentius, mulieres esse qvasdam à primò ortu calidissimas & ita à Naturâ conformatas, ut earum Clitoris Mentulæ formam referens ita promi-

mineat, ut, qvia penis instar distenditur, moxqve flaccescit, virilem Priapum mentiatur, & rudioribus imponat. Sed & sæpe falluntur Obstetrices ob vitiatam genitalium conformationem, penis scilicet brevioris & penitius tanqvam in rimâ reconditi, testiumqve latitantium, ut sexum vix possint internoscere. Neqve etiam, qvæcunqve barbam emittunt mulieres, vocem edunt asperiorem & virile corpus habent, mares propterea dici debent, iisqve genitalia foras erumpere existimandum. Et Severinus Pinæus, *de Virgin. Notis Problemat. 2. p. m. 73. seq.* eorum opinionem mirari non desinit, qui fœmellas mutari posse in masculos contendunt, qvum nulla sit ratio aut argumentum satis validum, qvibus id probari possit, præsertim in hominibus, seu maribus. Etenim sunt, pergit idem, utriusqve sexûs partes genitales adeò inter se dissimiles in substantiâ, magisqve in compositione, situ, figurâ, actione & usu, ut dissimilius qvicqvam vix reperiri possit, & qvantò magis inter se similes sunt cæteræ omnes totius reliqvi corporis partes, exceptis mammis, tantò minus genitales partes, unius Sexûs cum alterius partibus conveniunt, si conferantur, maximè verò earum usus, &c. Unde autem error iste tam diu perseveraverit, perseveretqve adhuc, idem Autor hanc quoque reddit causam, Obstetrices scilicet qvasdam, aliasve ejusmodi mulieres, deceptas duplici modô fuisse olim; existimantes primò, ex infantibus qvibusdam recenter in lucem editis, qui cùm filii essent, filias tamen fuisse; & secundò ex iisdem filiabus filios evasisse. Quod etiam exemplo probat: Lutetiæ nimirum circiter annum millesimum qvingentesimum septuagesimum septimum in Vico sancti Dionysii mulier quædam noctu peperit filium, qui festinanter propter virium imbecillitatem baptizatus fuit pro filiâ, qvæ Joanna vocata est, quam paucis post diebus pro masculô mater primò,

 deinde

deinde alii viri & mulieres agnoverunt, non ſine magna omnium admiratione & applauſu, Johannemqve ex tempore puerum appellaverunt. Erroris cauſa fuit mala conformatio partium genitalium, Penis videlicet brevioris & penitius tanqvam in ſupernâ parte rimæ maximæ reconditi, Clitoris more inter duo labra & nymphas pudendi fœminei latitare ſoliti, &c. Inqvit etiam Johannes van Beverwyck, *van de Wtnementheyt des Vrowelicken Geslachts*, *cap. 2. pag. m. 17.* Saodanigh is in deſe Stadt Dordrecht een geweeſt, eenige Dagen in de Kraem, als voor en Dochter bewonden, die daærna hier Schepen geweeſt, ende Raetsheer in de Hage ſonder Kinderen by twee Vrouwen, geſtorven is. Martinus Delrio, *Diſqviſit. Magic. Lib. 2. Qv. 21. p. m. 213.* exiſtimat, non tam ex fœminis ita viros factos, ut fœminæ deſierint eſſe, qvàm ad fœmineum Sexum maſculinum acceſſiſſe, ut androgyni efficerentur, Sexu tamen hoc poſteriore prævalente, & ideò tales pro Viris habitas fuiſſe dicit. Hieronymus Cardanus, *de Rerum Varietat. Lib. 8. Cap. 43. p. m. 548.* de Sexûs mutatione ita ſcribit: Qvod de puellis in pueros mutatis referunt, haud fabuloſum eſt, dicente Plinio: Imò ne mirum, ſi qvis rectè rem intelligat. Nam verè contingere omninò impoſſibile eſt, juxta autem hominum opinionem facillimum. Naſcuntur pueri contractô genitali membrô, obductâqve membranâ, qvaſi ſinu qvodam, atqve in eâ foramine anguſtô; ob id puellam, qvi non attrectaverint, exiſtimant: aliis autem ſponte, ubi penis erigitur adoleſcentiæ initiô, fractâ membranâ, penis erumpit: pluribus in conatu viri, dum cum ſponsâ rem habere ſe putat, disfractâ membranâ & attritu erectô Pene, maſculus prodit maximô miraculô & prorſus nullô: Nam majus eſt, anô haud perforatô naſci, & tamen naſcuntur qvidam, & absqve miraculo, &c.

Et

Et de Exemplis Sexus mutati â Plinio recensitis ita scribit Leander Alberti, *nella descrittione di tutta l'Italia pag. m. 274.* Invero altrevolte parue à mè qvesta cosa una favola, mà poi intendendo essere occorso tale accidente ne' tempi di Alessandro Papa VI. cio è che una fanciulla essendo sposata ad un giovane, la sera precedente alla notto, che si doveano accompagnare, fraballi, canti & suoni incontinente diventò maschio, hò creduto esser vero, qvel che dice detto Plinio. Et ciò narra Rafael Volaterrano ne' Commentarii Urbani. La onde io poi considerando tal' accidente, non pare a me favola qvesta, nè anche cosa impossibile; imperòche prima stava nascosto il membro genitale, per la debolezza della complessione, la qvale essendo ajutata, fortificata & eccitata, tanto dai convenevoli cibi, qvanto dai canti, suoni, balli & altre cose, che si sogliono usar nelle nozze, apertamente poi si dimostrò. Ejusmodi personæ, in qvibus partes genitales viriles post tempus aliqvod, inprimis circa pubertatem, prorumpere dicuntur, à qvibusdam ad tertiam Hermaphroditorum speciem referuntur, proprie tamen per se nil, nisi mares sunt. Hinc Nicolaus Venette, *de la Generation de l'Homme Part. 4. cap. 4. p. m. 617. seq.* scribit: Lors qv'il ne se trouve guere de Matiere pour faire les parties genitales d'un garçon, on ne sauroit dire qvelle Oeconomie l'intelligence prend pour former ces parties. Elle epargne la matiere, elle menage le lieu & dispose si bien toutes choses, qv'elle forme parfaitement les parties genitales d'un garçon, mais elle le forme en dedans, manqvant de force, de chaleur & de matiere, pour les faire sortis au dehors. C'est decette sorte, qv'elle agit en formant les parties naturelles dela troisieme espece d'Hermaphrodites, qvi sont estimez des filles, bien qv'ils soient de Veritables garçons. Ce sont ceux-cy,

qvi changent de Sexe, & qvi de filles, qv'ils estoient estimez auparavant, deviennent hommes, qvi se marient en suite, & qvi sont les Peres de plusieus enfanrs. La challeur naturelle & genitale devenant tous les jours plus forte pousse au dehors à l'âge de qvinze, de vingt ou de vingt-cinq ans les parties amoureuses, qvi estoient demeurées cachées jusqv' àce temps là, comme il arriva à cette fille Italienne, qvi devint homme du temps de l'Empereur Constantin, comme Saint Augustin nous le rapponte? Ce peut estre aussi qvelqve effort violent, qvi fait sortir ces mémes parties, temoin Marie Germain, dont parle Paré, qvi ayant fait un grand effort en sautant un fossé, devient homme à la mesme heure par la sortie des parties naturelles. Item Scipio Mercurius nella Commare, *Lib. 2. cap. 35. pag. m. 303. seq.* de allegatis Plinii exemplis ita scribit: Qvesti essempi mi servono più per dichiarare, che possano annoverarsi tra i portenti, che perche io creda, che siano veri. Non li credo, & non li nego; imperoche può essere, che sia in un subito uscito fuori della natura delle dette fanciulle qvalche eminenza di carne longa, prodotta da flati, ò da rilassatione fatta in qvelle parti, ce che perciò il volgo habbia ampliato la verità dell' Historia, con la vanità della favola, facendo, che tale eminenza fosse membro virile, e che qvei tali pigliassero moglie. Harei udito da Plinio volontieri, se le mogli di coloro generarono mai figli senza lo ajuto d'altri. Deinde idem Autor Jani Huarti rationes pro sexûs mutatione supra ex eodem allegatas prolixè ibidem refutat. vid. etiam Editio Germanica, vulgo sub nomine Gottfried Welschens Hebammen-Buch, veniens, *p. m. 527. seqq.* De omnibus ejusmodi Sexûs mutati exemplis juxta Christiani Vateri, *Physiolog. Sect. 4. cap. 5. Quæst. 8. pag. m. 318.* sciendum, transmutationes istas non fuisse veras, quod veri & per-

perfecti mares abiissent in fœminas, & contra; sed tantum apparentes & in subjectis monstrosis hermaphroditicis factas, ubi utriusqve qvidem Sexûs organa genitalia primùm apparuere, vera tamen & perfectiora primum latuerunt, qvousqve crescente demum ætate se manifestârunt, & cui potissimum sexui hermaphroditus deberetur, docuerunt. Imprimis etiam Casp. a Reies *Camp. Elys. jucund. qvæst. 57. n. 7. p. m. 718. seqq.* plerisqve Objectionibus respondet, talemqve eventum in humanâ specie dari posse aut possibilem esse, naturæ ordinationibus alienum & rationi contrarium videri, dicit: & juxta Paul. Zacch. *Qvæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 1. Qvæst. 7. fol. m. 597.* horum Doctorum vanâ ac ridiculâ opinione non obstante, dicendum id naturaliter neqvaqvam posse succedere.

§. 47.

Prolixè etiam qvorundam opinionem, mulieres scilicet *item*, in viros mutari posse, refutat Isbrandus de Diemerbroc, *Anatom. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 155. seq.* Qvantum, inqviens, ad qvæstionem, an mulieres in viros mutari possint? attinet, illud tanqvam certissimum, videtur persvadere experientia, & historiographorum auctoritate confirmari. Nam variæ extant historiæ mulierum, postea in Viros mutatarum, &c. Verum si rem penitius inspiciamus, satis apparet, omnes historicos, qvi tales historias conscripserunt, rumore vulgi fuisse deceptos, propterea qvod rem ipsam non satis prudenter ipsimet inqvisiverint; unde autem hic error processerit, adscribam. 1.) Contigisse legimus, nonnullis masculis, sed rarissime, ab ipso ortu, penem intus in abdomine delituisse, (sicut testes in ingvinibus delitescere non semel ipsimet vidimus) atqve hinc obstetrices & mulierculas, ob Penem tanqvam in rimâ reconditum, judicâsse, infantem natum esse filiam, &

 pro

pro filiâ baptisari curâsse, cum tamen postmodum circa Juventutem, occultus Penis in libidine inturgescens, ex angusto locô eruperit: tales autem Viri non fuerunt primò fœminæ, licet à sciolis mulierculis aliisqve imperitis hominibus, tales fuisse, judicati, & tandem prorumpentibus per libidinem genitalibus, ex fœminis viri facti crediti fuerint. Atqve tales fuerunt omnes illi casus ex Plinio & aliis commemorati, in qvibus nuptiarum tempore, propter summam libidinem, tumefactus delitescens Penis erupit. 2.) Nonnullis fœminis Clitoris ad Penis virilis magnitudinem postmodum, ætate jam adultâ, excrescit, ita, ut eâ parte Venerem cum aliis sui Sexûs exercere possint, & cum illud contingit, haud mirum est, sciolum vulgus (qvod reliqvas hujus casus circumstantias non admodum curiosè inqvirit, neqve superstes pudendum muliebre considerat,) hinc sibi persvadere, tales fœminas in viros esse mutatas. 3.) Non semel contigit, præcipuè inter Magnates, matres, propter aliqvod periculum, qvod vel ab inimicis, vel ab hæredibus, filiis suis intendi metuebant, vel sciebant, prudenti consilio Sexum masculinum celasse, & illos fœmellas esse simulasse, ac muliebri vestitu per totam adolescentiam induisse: tandem verò filios, rejecto muliebri amictu, virilia vestimenta assumsisse, atqve sic à vulgaribus exclamatum fuisse, filias in filios esse mutatas. Ita tempore Ferdinandi primi, Neapolitanorum Regis, dicuntur Carola & Francisca, duæ filiæ Ludovici Gverna, qvinto decimo ætatis annô Sexum, vel potius vestitum mutâsse. 4.) Contingit interdum, hermaphroditos nasci, & qvia vulgo abominabile censetur, si qvis utriusqve Sexus particeps esse dicatur, hinc solent matres ab ipsis incunabulis vitium illud celare & tales liberos in muliebri vestitu educare: qvibus si forte circa juventutem barba circum os excrescat, coguntur,

tunc

tunc vestes etiam mutare, atqve sic fœminis in viros mutari dicuntur. 5.) Contingit interdum propter magnam temperamenti mutationem, mulieribus barbam circum os excrescere, & vocem ingravescere, unde vulgus tunc facile dicit, illas in viros mutatas esse. Ita, ut certissimum sit, nullam fœminam unqvam Sexum mutâsse, aut mutare potuisse, sed qvæcunqve hac de re scripserunt historici, esse qvidem non malevolas, sed insontes fallacias, nam illi ipsimet nimis creduli rumore vulgi fuerunt decepti, atqve sic rei veritatem non satis accuratè perscrutantes, præter suam intentionem lectoribus falsa obtruderunt, qvibus fama aliqvam veritatis speciem adjecit, &c. vid. etiam Joh. Nicol. Pfizer. *de Natur. Mulier. Libr. 1. Part. 3. cap. 30. p. m. 232.* & juxta Gverner. Rolfinc. *de Partib. Generat. dicat. Part. 1. cap. 3. pag. m. 26.* Mutatio Sexûs fœminei in virilem fabulosa verè, apparenter vera solùm agnoscitur: Masculi omnes fuêre, qui pro fœminis habiti sunt & in viros mutati recensentur. Et licet aliquam fissuram habuerint, quâ etiam virile membrum admittere potuerint, uterum tamen non habuisse, sed virilia genitalia intus latuisse, & post, vel naturæ conatu, vel accedente aliquô violento motu, prodiisse certum est: Item Johannes Georgius Simon, *Præsid. Academ. Tom. I. p. 883.* fœminas in masculos mutatas reverà mares fuisse defendit.

§. 48.

Præcipuæ etiam Sexûs mutationem defendentium rationes nullius valoris esse videntur; Qvantum enim primò illam, qvòd nimirum Natura semper perfectius, ideoqve etiam in generatione masculum desideret seu intendat, & fœminæ per qvandam resultationem & primarii finis frustrationem sint productæ, attinet, non immeritò rejicitur. Ut enim, qvô modô tales Autores naturæ intentionem explicare velint, hoc lo- *Rationes refutantur. Vir non est perfectior fœminâ.*

co

co nihil moneamus, credibile non est, naturam sic dictam naturantem, seu sapientissimum & omnipotentem Opificem, fœminam, dimidiam totius generis humani partem, imperfectam reliqvisse, qvam tamen generationis propagationisqve gratiæ fabricavit, viroqve adjunxit. Absit itaqve, secundum Gregor. Horst. *Institut. med. Disp. 3. Coron. 1. Exercit. 7. Qu. 11 Oper. Tom. I. fol. m. 67.* ut affirmemus præter intentionem naturæ, instar monstri, fœmellas generari; absit, inquam, hoc tanquam ἄτοπον & impium, propterea, quòd ad Vitæ societatem ac posterorum propagationem ex singulari intentione beneplaciti uterque Sexus, mas & fœmina, à Naturâ naturante, â Deô optimo maximo, conditus sit. Jam, quod Natura naturans intendit, illud naturæ naturatæ est instar finis, utpote, quæ cognitione atque intellectione destituta solùm propter finem agit, quatenus à summô intelligente ad eum est directa. De hac quæstione, nimirum an fœmina Virô imperfectior sit? vid. etiam Georg. Horn. *Histor. natur. Lib. 3. cap. 1. p. m. 159. & cap. 3. pag. 156.* Roderic. à Castr. *de Natur. Mulier. Lib. 3. cap. 8. pag. m. 126. seq.* Et secundum Johan. Riolan. *Anthropograph. Lib. 2. cap. 31. pag. 290.* Mulier non est monstrum aut prævaricatio Naturæ mares cogitantis, qvoniam æqvè necessaria est fœmina, ut maris opera ad generationem, ipsaqve fœmineitas nostræ speciei perfectionem ostendit, qvæ defectu fœminæ foret imperfecta. Atqve ut præstantius existeret corpus muliebre non ex luto, ut Adami corpus, fictum formatumqve fuit, sed ex Costa & carne Adami productum, qvò formæ venustate spectabili & veneranda Mulier viro præcellens ab eo magis diligeretur. *Et cap. 27. p. 259.* scribit idem: Ridicula est Chrysippi sententia, qvi naturam sic virilem Sexum exornasse censuit, ut fœminam adjunxerit tanqvam appendicem & pavoni caudam. Nec minore contume-

lia

lia Aristoteles fœminam marem imperfectum appellat, vel animal occasionatum, accessorium qvid. Iniqvior adhuc fuit, dum fœminas monstra vocat prævaricationes naturæ mares cogitantis. Nos existimamus, naturam in fœminæ non minus, qvam maris generationem intendere; omnis siqvidem rerum naturalium perfectio ex fine petenda est. Variis etiam rationibus fœminarum perfectionem defendit Laurentius Strauss. *v. Histor. Fœtus Mussipont. in Joh. Bened. Sinibald. Geneanthrop. p. m. 57.*

§. 49.

Deinde etiam contra Veterum opinionem, teste avtopsiâ virorum & fœminarum partes genitales tam externæ, qvàm internæ, non solùm situ, sed etiam figurâ, substantiâ, magnitudine, numerô & structurâ maximè inter se differunt, proqve aliô scopo & usu inserviunt, dum Viri Organa genitalia ad cohabitationem activam seu ingressum uxoris, effusionem seminis & imprægnationem; fœminæ verò membra ad Seminis receptionem, Conceptionem, fœtûsqve in Uterô nutritionem & ad partum idonea atqve necessaria sunt, ut adeò fœminæ pari perfectione ratione Sexûs, uti Viri, gaudeant, atqve Vir non tam ratione perfectionis, qvàm dignitatis fœminæ præferendus sit, uti jam suprà de Hermaphroditis diximus. vid. etiam Greg. Horst. *l. a. f. 68.* it. Isbrand. Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 155.* *Partes genitales discrepant,*

§. 50.

Porrò â Penis retractione Virum in fœminam mutari, Anatomia, avtopsia & sana ratio refutant, qvibus addenda retracti penis, supra Capite tertio, recensita exempla. Pari mo-

dô etiam ſe res habet cum longiore Clitoride: Qvamvis enim in nonnullis fœminis ejusmodi excreſcentiam peniformem reperiri, vel Johanni Wiero, talem carunculam molis augmentatione paulatim in nimiam longitudinem excreſcere, concedamus, minimè tamen exinde fit Priapus omnibus numeris abſolutus; Et qvamvis etiam in hôc vel aliô Vulvæ locô verus Penis procreſceret, minimè tamen talis ſtatus ad Sexûs mutationem, ſed potius ad Hermaphroditiſmum referri debet, ſiqvidem in ejusmodi fœminâ partes genitales neqve externæ, neqve internæ mutantur, vel diſparent, ſed omnes præter Clitoridem in ſtatu naturali permanent; hinc etiam taliter conſtitutæ non deſinunt eſſe fœminæ, licet etiam perfectus Sexus maſculinus, atqve ita utriusqve Sexûs membra genitalia appareant. Imò ratione Clitoridis monendum, Johannem Wierum, *l. a.* Hermaphroditos cum Sexum permutantibus confundere. Interim negandum non eſt, dari qvandoqve hermaphroditos vel pro hermaphroditis habitos, in qvibus adhuc infantibus certus Sexus dignoſci non poteſt; tempore tamen alter prævalere incipit, ut ita creſcentibus annis Sexum mutâſſe videantur. Nonnullis etiam â pravâ conformatione & ab infantiâ pro fœminis habitis, reverâ tamen maribus tantum exiſtentibus, membrum virile membranâ qvadam, ita tamen perforatâ, ut Urina perfluere potuerit, obtectum & incluſum tempore pubertatis, vel â ſaltu, vel lapſu, vel ab aliâ causâ, factâ ſcilicet illius membranæ dilaceratione, ex carcere qvaſi proſilit; unde etiam ejusmodi perſonæ Urinam non amplius ex illô foramine, ſed tantummodò per Penem emittunt, neqve poſt pubertatem ex priori foramine Menſtruationem vel aliam excretionem patiuntur.

§. 51.

§. 51.

Neqve etiam ex barbâ vel hirſutie totius corporis, in nonnullis fœminis poſt menſium ſuppreſſionem proveniente, Sexus mutatio petenda erit, ſiqvidem barbatæ mulieres, mutatâ etiam voce clarâ in graviorem ſeu virilem, ſemper fœminæ permanſerunt, parteſqve genitales muliebres tam externas, qvam internas retinuerunt, hinc etiam exemplum, qvod nonnulli Autores, pro Sexûs mutatione, ex Hippocrate allegare ſolent, (ſcilicet Phætuſæ cuipiam Pythei uxori anteà per juventam fœcundæ, viro ejus exulante, diu Menſes defecerunt, ex qvo poſtea dolores & rubores ad articulos exorti ſunt. Qvæ ubi contigerunt, tum corpus virile, tum in univerſum hirſutum eſt redditum, barbaqve eſt enata & vox aſpera reddita, &c. v. Hippocr. *de Morb. epidem. ſeu vulgar. Lib. 6. Sect. 8. §. 55. fol. m. 297.*) talem mutationem non probat, ſed ſolummodò ſymptomata à Menſium defectu exorta, corpus ſcilicet virile & robuſtum, barbæ & hirſutiei proventum recenſet, minimè verò dictam mulierem, ratione partium genitalium internarum & externarum, vere in virum fuiſſe mutatam, addit. *A barba &c.*

§. 52.

Ejusdem valoris eſt etiam argumentum à Sexûs mutatione in brutis deſumptum, cum varii Autores eandem dubiam reddant, v. g. de Hyæna vid. Gregor. Horſt. *l. a. fol m. 68.* Caſp. à Reies *Quæſt. 57. §. 17. pag. m. 721.* De Lepore ita ſcribit Wolffgangus Waldungus, *Lagograph. cap. 25. pag. m. 42.* Plantas mutari nullum eſt dubium: ut populus, pinus, acymum, triticum, ſiſymprum, ervum, braſſica, ſorbi & aliæ plures; ſed leporem mutare ſexum omni caret ratione. *A brutis.*

Xx xx 2

tione. Et juxta Christian. Francisc. Paullin. *Lagograph. cur. Sect. 1. cap. 3. p. m. 85.* fallunt, qvi putant, leporem mutare Sexum. Imò non solùm de brutorum Sexûs in Sexum mutationis Veritate Autores dubitant, sed etiam supra allegatas historias de hominibus in dubium vocant; siqvidem Volateranus eqvidem Romæ duarum Virginum prodigia accidisse commemorat, qvarum altera ex canis concubitu semicanem enixa esset, alteri verò in nuptiarum die subitò mentula erupisset, & utrumqve casum expiationis gratiâ à Mariô Volaterani fratre reconciliante ad Pontificem Romanum Alexandrum VI. fuisse relatum, tradidit; nihilominus tamen Johannes Langius, *Epistol. medicin. Lib. 1. Epist. 70. pag. m. 377.* Veterum Pontificum decreta has Sexûs & animalium metamorphoses, ut falsas, refellere, scribit. Et Wolffgangus Wardungus *l. c.* dicit: Qvod magni Autores scribunt, fœminas in mares mutatas, fide caret. Licet enim qvidam putent, nymphas in fœminis, cristis gallorum similes, ad ipsum Uteri os carnosas nonnunqvam augeri, ut alieni Sexûs partem referant. Alii verò opinantur, ad pudendi alas musculosam carnem sic excrescere posse, ut, si qvocunqve modô fricetur, instar colis erigatur: itaqve propter hoc Medici excogitârunt Nymphotomiam. Non desunt etiam, qvi dicunt, hoc totum ex Uteri prolapsione fieri. Sed omnia hæc apparenter tantùm, non verè contingunt. Mutatio enim Sexûs absolutè fieri non potest ex ordine naturæ, præsertim viri in fœminam, nisi causâ violentâ & convulsione præcedente. Qvomodo enim partes efformatæ & calore consolidatæ recrudescere & trahi possunt? In qvolibet animalium genere Sexus est distinctus, semperqve distinctus manet, nec idem individuum modò mas est, modò fœmina. Sic Rodericus à Castro, *de Natur. Mulier. Lib. 1. cap. 3. pag. m. 11.* dicit: Illud, qvod Schenckius

ex aliorum autoritate scribit, fuisse, qvæ & conceperint & postea in Viros versæ in aliô generârint, commentitium omninò esse. Item Casparus a Reies *l. a. Qvæst. 57. n. 14. pag. m. 720.* Constanter, inqvit, asserendum est, nullam ex prædictis, qvæ in relatis historiis referuntur, fœminam fuisse, nec Sexum verè unqvam mutâsse, commentumqve esse illud affirmare velle, &c. Et *pag. 721.* inqvit: Historias mulierum, qvas, postqvam conceperunt & pepererunt, in viros evasisse ajunt, fabulas esse credimus, aut Diabolici commenti vafriciem aliqvam interfuisse, cùm tale sit illius ludificandi studium, ut non solùm Sexum, sed in belluas aliqvando homines mutâsse legamus. Et Gregorius Horstius *Institut. med. Diss. 3. Coron. 1. Qv. 1. fol. 68.* Relationem illam historicorum suprà citatorum aut portentosam, aut vix credibilem esse dicit.

§. 53.

Ut demum, qvid de hac materiâ sentiam, paucis annectam, mihi hæc Sexûs in Sexum mutatio planè impossibilis atqve tota tota fabula videtur, & qvidem vel à falsis Historicorum relationibus, vel ab Obstetricum ignorantiâ exorta; siqvidem facillimè evenire potuit, ut, observatâ, in qvodam infante recens natô, vitiosâ qvadam & extraordinariâ partium genitalium conformatione, imprudentes Obstetrices absqve intimiore, in ejusmodi Casu non immeritò à Medicis instituendâ, perscrutatione dubium seu unum vel alterum Sexum eligunt, atqve in Baptismate hujus vel illius Sexûs nomen falsò imponi causantur. Qvodsi autem suprà adducta Sexûs mutati exempla aspicimus, in plerisqve personis, pro puellis, seu fœminis, judicatis, tempore pubertatis certam qvandam circa pudenda hactenus observatam membranam aliqva- *Autoris sententia.*

 te-

tenus perforatam, (tanqvam ſignum ſeqvioris Sexus,) vel poſt ſaltum, vel vehementem motionem, vel poſt orgaſmum venereum, ex improviſo diſruptam, ſtatimqve membrum virile ad extra propulſum fuiſſe, reperimus. Interdum etiam poſt incisionem ejusmodi imperforatarum membranæ membrum virile apparet, qvale exemplum de puellâ imperforatâ in virum versâ recenſet Zacutus Luſitanus, *de Prax. medic. admir. Lib. 3. Obſervat. 116. fol. m. 118.* Fœmina, inqviens, nobilis ad filiæ ſuæ imperforatæ curationem me vocat. Totam curam Chirurgis committendam prædixi. Hi, purgato bene prius corpore, ſolum chirurgicâ Ope, hoc eſt ferro, abſciſſâ vulvâ curationem celebrari poſſe rati ſunt. Sed qvô eventu, audi! Aperitur Uteri oſculum, me præſente, ſcalpelli ope. Poſt incisionem ſecuta hæmorrhagia, ruptis veluti involucris & vinculis, virile pudendum perfectum hucusqve latitans proſiliit. At reſtricto ſangvine eam Chirurgis, rei novitatem admiratus, curandam reliqvi. Circa qvem Caſum monendum, qvod, qvamvis hæc puella atreta ſeu imperforata dicta externè circa locum ordinarium nullum Signum Penis, ſed tantummodo foramen pro excernendâ Urinâ, habuerit, minimè tamen credendum, hoc foramen, ſi â Medico inſpectum fuiſſet, veram vulvam repræſentaſſe, multo minus reliqva Mulierum, generationi inſervientia, Organa præſentia fuiſſe, cùm Membrum virile à nativitate tantummodo qvâdam fuerit obtectum & qvaſi incarceratum membranâ, in medio paululum perforatâ, vel etiam penitus clausâ; qvâ ope ſcalpelli apertâ vel incisâ perfectum pudendum virile hucusqve latitans prorupit, unde in hoc & aliis ejusmodi Caſibus nulla penitus Sexûs mutatio ſtatuenda mihi videtur.

§. 54

§. 54.

Qvod absqve dubio seqvens ab Ambrosio Stegmanno, *Observatio* *M. N. C. Dec. III. An. 4. Observat. 104. pag. 219. seq.* communicatus Casus de Pene & Testiculis intra cavum Abdominis latescentibus & percusso podice in publicum prodeuntibus, magis dilucidabit: Annotatas qvidem legimus observationes, in qvibusdam masculis, tum penem, tum testiculos intra cavum Abdominis latuisse & pubertatis tempore, vel naturæ qvodam conatu, vel accedente aliqvo motu violento, prorupisse in lucem: Ast observationes has superat omnes illa, qvæ ante aliqvot annos Halæ Magdeburgicæ contigit, cujus me Advocatus qvidam ejusdem loci non infimus participem fecit seqventibus verbis: Nuper, inqvit, Ancilla rustica ex vicinô pagô, Trotta, me convenit, vehementerqve petiit, ut defensor ipsius starem parte, cùm ex actione rei in rem ab opilione qvodam gravida sit facta. Petitis Ego ejus satisfacturus, stupratorem in Consistorio ad contrahendum matrimonium urgebam. Apparebat, qvi adesse erat jussus, nullô stipatus defensore: Impotens sum, dicebat & membris careo, qvibus viri gaudere solent, hinc invisus pudicitiæ: niqve verbis meis fides habeatur, ventrem ad inspiciendum denudabo. Inspectis itaqve genitalibus, pronunciabatur â Chirurgo & idem, qvi præter fissuram magnam nullum penitus Penem exterius esse conspicuum, in interiori verò hujus fissuræ cavitate excrescentiam saltem genitalia aliqvô modô repræsentantem apparere, referebat. Hinc jure Opilio absolvebatur, innocens Nos verò actione injuriarum tenebamur meritò: cùm in Corpore Juris *l. 2. H. de Ædil.* jamdudum sit decisum: Illum esse morbosum & ad generandum planè impotentem, cui tam necessa-

ria

ria pars Corporis penitus abſit. Et juxta mentem Riolani aliorumqve Medicorum, in divortiis omnes illos viros eſſe declarandos impotentes, qvibus genitalia intra abdomen ſcateant.

§. 55.

Iratus hinc ego meretrici, pergit Advocatus, gravibus illam verbis compellabam: qvod impotentem ſine datâ causâ de Ingravidatione accuſaverit. Eſt meus hic, reſpondebat meretricula, ex pudore diu hæſitabunda, omnium bipedum neqviſſimus, hôc enim dolô & me decepit miſeram, cum verbis ipſoqve rerum teſtimonio Hermaphroditum ſe diceret, & mutilus me ab initio comprimeret; hinc ex hac ratione commota, datâ qvavis occaſione corporis mei uſum illi concedebam, pati apta nata. Aderat autem aliqvando in hortô qvodam mecum ſolus, ubi, detrusô prius podice in arborem, virili me membro titillabat, qvâ poſtea dulcedine ineſcata toties illius podicem compreſſâ manu feriebam, qvoties coire deſiderabamus, â qvovis enim podicis ictu tota ſupellex prodibat in publicum ſtrenuè parata ad ſua officia exeqvenda, exſatiatâ verò libidine contrahebatur membrum & rurſus abſcondebatur in cavitatem dictæ fiſſuræ. Auditis his Opilio notabiliter expallebat, qvamvis palleat ſemper, & confuſis tremuliſqve verbis ingerebat: Negare qvidem penitus non poſſum, qvod ſolus cum ſolâ ſæpius habitaverim & laſcivum femori ſuppoſuerim femur, ſed ſemper

Truncus iners jacui ſpecies & inutile lignum,
Nec ſatis exactum eſt, corpus an umbra forem.

For-


Forsitan tertius qvidam intervenit, qvi meliùs circa genitalia conformatus fuit ac Ego, & fecit, qvod mihi Natura negavit. Ego verò, pergit Advocatus, hac Objectione non contentus, Chirurgum denuò ad inspicienda genitalia cogebam, qviqve mandato citius ad novam exercendam praxin pronus aderat, & exoptatissimo successu compressam manum natibus Opilionis ita applicabat, ut Notarius una cum testibus prosiliret in publicum, & virilitatem stupratoris attestaretur in formâ probante. Ex qvô Casu sufficienter patet, dictum Opilionem neqve Hermaphroditum fuisse, neqve Sexum fœmineum in masculinum mutasse; sed solummodo totum membrum virile membranâ qvadam perforatâ seu fissâ, absqve tamen aliò partium genitalium muliebrium signo, obtectum delituisse.

§. 55.

Qvid autem deniqve de Qvæstione, apud Dominos Jurisconsultos qvandoqve occurrente: An nimirum personæ Sexum mutantes, pro mutatione Sexus, tanqvam ratione prioris Sexûs in posterum impotentes, Matrimonium contractum rursus dissolvere possint? statuendum sit, ipse Benevolus Lector judicet. Et qvamvis Johannes Georgius Simon, *Prælud. Academ. Part. I. Diss. 4. cap. 4. §. 3. pag. 836.* respondeat: qvòd maxime, & qvidem qvoniam mutentur essentialia Conjugii; qvibus sublatis omninò illud rescindendum, tollendum & annihilandum sit; nihilominus tamen idem Autor, talem Sexus mutationem maximè dubiam atqve suspectam esse, cum aliis Autoribus ibidem fatetur.

An Sexum mutantes matrimonium solvant?

(o)



SYLLABUS AUTORUM
in hoc Opere allegatorum.

A.

ACademiæ regiæ Scientiarum Parisiensis Historia, in 8. Lipsiæ 1715. seq.
Acta Anglicana Philosophica Henrici Oldenburgii, 4. Lips. 1675.
Acta Eruditorum Lipsiensium, 4. Lipsiæ 1682. seq.
Acta Hafniensia Thomæ Bartholini, 4. Hafniæ 1680. seq.
Acta Medicorum Berolinensium, 8. Berolini 1717. seqq.
Æginetæ, Pauli, Opera, Basil. 1535.
Æliani, Claud. Opera, fol. Tiguri.
Aetii Opera, fol. Basil. 1535.
Agrippa, Henr. Cornel. de incertitudine Scientiarum, 8. Lugdun.
Alberti, Leandri, Descrittione d' Italia, 4. in Venet. 1581.
Alberti, Michaelis, Introductio in universam Medicinam, 4. Halæ 1718.
Albini, Bernh. Disputatio de Elephantiasi, 4. Francof. 1683.
Aloisiæ Sigeæ Satyra de Arcanis Amoris, 12.
Amati Lusitani Curationum Centuriæ quatuor, fol.
- - Curationum Centuriæ septem, 4. Burdigalæ 1620.
Ammanni, Pauli, Parænesis, 12. Lips. 1677.
Medicina Critica, in 4. Stadæ 1677.
Irenicum Numæ Pompilii, in 8. Francof. & Lips. 1689.
Praxis vulnerum lethalium, 8. Francof. 1690.
ab Aqvapendente, vid. Fabricius.
ab Amelunxen, Isibordi, Breviarium, vid. Misc. Nat. Cur. Dec. II. An. 4. App.

B.

Bauſchius, Laurent. de Lapide Hæmatite & Ætite, 8. Lipſ. 1665.
Becke (David van der) Experimenta circa Rerum naturalium principia, 8. Hamburg. 1684.
Beckheri, Daniel, Medicus Microcoſmus, 4. Lugd. Bat. 1633.
Beckmanni, Chriſtiani, Manuductio ad Lingvam latinam, 8. Francof. 1672.
Behrens, Conr. Barth. Selecta Diætetica, 4. Francof. & Lipſ. 1710.
Bellefontaine, Louis, Medecine dogmatiqve, 12. à Amſterd. 1712.
Bellonii, Petri, Obſervationes Rerum memorabil. fol. Antwerp. 1605.
Benedictus, Alexander, de Re medica, fol. Baſil. 1549.
Benivenii, Ant. Obſervationes de abditis rebus. v. Remberti Dodonæi Obſervat.
Bergeri, Joh. Godofr. Phyſiologia medica, 4. Witteb. 1702.
Beringeri, Joh. Barth. Adam. Idæa Inſtitutionum, 8. Hellipol. 1708.
Bertrucci Compendium ſeu Collectorium Medicinæ, 4. Colon. 1537.
Beverwyck, Joh. de, allgemeiner Schatz der Geſundheit/ fol. Franckfurth/ 1674.
- - Epiſtolæ & Reſponſa doctorum Virorum, 8. Roterod. 1665.
- - Encomia Medicinæ, 8.
- - Wtnementheyt des Vroulichen Geslachts, 8. Dordrecht 1643.
Bibliotheca anatomica Mangetti & Clerc. fol. Genev. 1685.
Bicaſſii, Honorat. Manuale Medicorum, 24. Londin. 1659.
Bierlingii, Caſp. Theoph. Adverſaria curioſa, 4. Jenæ 1679.
- - - Theſaurus Theoretico-Practicus, 4. Jenæ 1694.
Blancardi, Steph. Anatomia reformata, 8. Amſtelod. 1687.
- - Lexicon medicum, 8. Lugd. 1690.
- - Collectanea medico-phyſica, 8. Leipzig 1690.
- - Opera medica & chirurgica, 4. Lugd. 170..

Blaſii

Blasii, Gerardi, Anatome Animalium, 4. Amstelod. 1687.
- - Observata Anatomico-Practica, 8. Lugd. 1674.
- - Observationes medicæ, 8. Amstelod. 1677.
Blegny, Nicolai, Zodiacus Medico-Gallicus, 4. Genev. 1680.
- - L'Art de Guerir les maladies Veneriens, 12. Amsterd. 1696.
Bodinus, Joh. de Dæmonomania, 4. Basil. 1581.
Bœhme, Jacob. de tribus Principiis, 8. Amsterd. 1662.
Boerhavi, Hermann. Institutiones medicæ, 12. Francof. 1710.
Bohnii, Johann. Circulus Anatomico-Physiologicus, 4. Lips. 1686.
Bonaciolus, Ludov. de fœtus Formatione, vid. Severin. Pinæus de Notis Virginitatis.
Boneti, Theoph. Medicina Septentrionalis, fol. Genev. 1685.
- - Sepulchretum, fol. Genev. 1679.
- - Polyalthes, fol. - - 1691.
- - Labyrinth. Medici extricati, 4. Genev. 1687.
Bontekoe, Cornel. Chirurgie, 8. Hanover 1687.
Borelli, Petri, Historiæ & Observationes, 8. Franc. & Lips. 1676.
Boselli, Franc. Amaltheum Medico-Historicum, 4. Patav. 1668.
Bottonus, Otto, de Morbis Mulierum, 4. Patav. 1585.
Boyle, Robert. de utilitate Philosophiæ experimentalis, 4. Lindew. 1693.
Brœckhuysen, Benjamin, Rationes Theoretico-Practicæ, 4. Hagæ 1687.
Burrhi, Joseph. Epistolæ de Cerebro & Oculis, 4. Hafn. 1669.
Busbeqvii, Gisleni, Opera, 24. Amstelod. 1660.
Buxbaum, Andr. Catechesis medica, 12. Martisburg. 1695.

C.

Cælii, Rhodig. (Ludov.) Lectiones antiqvæ, fol. Basil. 1550.
Calvini, Johann. Lexicon Juridicum, fol. Genev. 1665.

Camerarii, Eliæ, Dissertationes epistolicæ, Physico-med. 8. Tubing. 1712
- - Medicina Conciliatrix, 4. Francof. 1714.
Camerarii, Philippi, Horæ subcisivæ, 4. Francof. 1658.
Campanellæ, Thom. de Sensu rerum, 4. Francof. 1620.
- - Medicinalia, 4. Lugdun. 1635.
Cardanus, Hieron. de Rerum varietate, 8. Basil. 1581.
Carpzovii, Bened. Jurisprudentia Consistorialis, fol.
Castellus, Petr. de Hyæna odorifera, 12. Francof. 1668.
à Castro, Roder. de Natura Mulierum, 4. Colon. 1688.
Cattieri, Isaac. Observationes. vid. Petri Borelli Observationes.
Celsus, Cornel. de Medicina, 12. Lugd. Batav. 1665.
Chabræi, Dominici, Icones Stirpium, &c. fol. Genev. 1666.
Charas, Mosis, Pharmacopœa regia Galenica-Chymica, 4. Genev. 1683.
Charleton, Gvalter. Oeconomia animalis, 12. Hagæ 1681.
Charriere, Joseph, de la Nouvelles Operations de Chirurgie, 12. à Paris 1692.
Christiani Wolffg. Manes Baglivani v. Ephem. Acad. N. C. Cent. V. & VI. App.
Clauderus, Gabriel, de Tinctura universali, 4. Altenburg. 1678.
Claudini, Jul. Cæsaris, Responsiones & Consultationes, 8. Francof. 106.
Clerc, Daniel le, Histoire de la Medicine, 4. à Amsterd. 1702.
- - la Chirurgie complete, 12. à Paris 1695.
Clusii, Caroli, Historia Plantarum rariorum, fol. Antwerp. 1601.
Cockburn, Gvilhelm. Oeconomia Corporis animalis, 12. August. 1696.
Coiteri Volcheri Observationes Anatom. in Anatomia, fol. Norib. 1573.
Columbus, Realdus, de Re anatomica, 8. Francof. 1601.
Comiers Kunst lange zu leben / 8. Leipzig 1694.
Comitis, Nathan. Mythologia, 8. Genev. 1651.
Connor, Bernh. Evangelium Medici, 8. Amstelod. 1699.
Cornelii, Consentini, Thom. Progymnasmata Physica, 12. Francof. 1665.

Coschwitzens/ Georg. Dan. Pharmacopœa Schrœderiana, fol. Nürnberg 1693.
Cosmopolitæ Historia naturalis, 12. Lugd. 1686.
Costeri, Joh. Theoria & Praxis, 4. Francof. 1664.
Courtial, Jean Joseph, Nouvelles Observations sur les os, 12. à Leide 1709.
Cozzandus, Leonard. de Magisterio antiqvorum Philosophorum, 12. Genev. 1684.
Craanen, Theod. Oeconomia animalis, 8. Amstel. 1703.
Cremoninus, Cæsar, de Calido innato & Semine, 24. Lugd. 1634.
Cypriani, Abrah. Epistola de fœtu tubario, 8. Amstelod. 1700.

D.

Dauth, Johann. de Testamentis, fol.
Dale, Samuel, Pharmacologia, 8. Bremæ 1696.
Dedekenni Consilia, fol.
Dekkers, Frid. Exercitationes practicæ, 4. Lugd. Bataph. 1699.
Deliciæ Medicæ & Chirurgicæ, 8 Leipzig 1703.
Delrio, Martini, Disqvisitiones magicæ, 4. Colon. 1679.
Deodati, Claudii, Pantheum hygiasticum, 4. Bruntruti 1628.
Diemerbrock, Isbrandi, Opera omnia Anatomica. fol. Ultraj. 1685.
- - - de Peste.
Dionis Cours d'Operations de Chirurgie, 8. à Bruxelles, 1708.
Dioscorides, Pedacius, de Materia medica, fol. Venet. 1569.
Dodonæi, Remberti, Observationes medicæ, 8. Colon. 1581.
Dolæi, Joh. Encyclopædia medica, 4. Francof. 1684.
- - Chirurgica, 4. Francof. 1613.
Donatus, Marcellus, de Historia medica mirabili, 8. Francof. 1613.
Drelincurtius, Carolus, de Conceptu Conceptus. vid. Bibliotheca Anatomica.

E.

Elsholzii, Joh. Sigism. Anthropometria, 8. Francof. 1663.
- - , Destillatoria curiosa, 8. Berolin. 1674.
Entii, Georg. Opera medico-physica, 8. Lugd. Batav. 1687.
Ephemerides Academiæ Naturæ Curiosorum Cent. I. & II. seq. 4. Norib. 1712.
Ettmülleri, Michael. Opera Medica, Tomi II. Francof. 1697.
Ettmülleri, Mich. Ernest. Epistola ad Fr. Ruysch. de Ovario Naboth ano, 4. Lipf. 1716.
Euth. Joh. Ægid. Anatome Umbilici, 8. Lugd. Batav, 1697.
Exercitationes Successivæ Francofurtenses, 8. Francof. 1717.

F.

Fabri, Basilii, Thesaurus Eruditionis seu Lexicon, fol. Lipf. 1692.
Fabri Honorati Tractatus de Plantis & Generatione animalium, 4. Noriberg. 1677.
Fabricii, Gvilielmi, Hildani Opera, fol. Francof. 1646.
Fabricii, Hieron. ab Aqvapendente Opera, fol. Patavii 1666.
Fallopii, Gabriel. Opera, Tom. I. & II. fol. Francof. 1600.
Faventini, Leonell. de Victoriis, Practica medicinalis, 12. 1593.
Felleri, Joh. Frid. Otium Hannoveranum, sive Miscellanea Godofredi Gvilelmi Leibnizii, 8. Lipf. 1718.
Fernelii, Joh. Opera cum notis Heurnii, 4. Traject. 1656.
Fidelis, Fortunatus, de Relationibus Medicorum, 8. Lipf. 1674.
Fieni, Thomæ, Libri chirurgici, 4. Francof. 1669.
Fischeri, Joh. Andr. Consilia medica, &c. 8. Francof. 1704. seq.
- - Principia Philosophiæ naturalis, 12. Francof. 1702.
Fludd de Fluctibus, Robert, Catoptron Catholicum, fol. Francof. 163?.
Fonte, Lælii à, Consultationes medicæ, 8. Francof. 1609.
Forbigers / Samuel / vernünfftiger Medicus, Leipzig / 1718.

Fo-

Foresti, Petri, Observationes medicinales, fol. Francof. 1602.
Fracastorii, Hieron. Opera, 8. Lugd. 1591.
Franci, Johannis, Herba Alleluja, 12. Ulmæ 1709.
Francus, Georg. Frider. de Succo Nervorum nutritio, 12. Lipſ. 1696.
Francofurtenſium Exercitationes ſubceſivæ, 8. Francof.
Freitagius, Joh. de Opio, 8. Grœning. 1632.
Fricci, Melchioris, Icon. Podagræ, 12. Ulmæ 1693.
Frommannus, Joh. Chriſt. de Faſcinatione, 4. Norimb. 1675.

G.

Galeni Opera, fol. Venet. 1562.
Garmanni, Chr. Frid. Diſſertatio de Homine ex Ovo, 4. Chemniz. 1672.
- - Oologia curioſa, 4. Cygneæ 1691.
- - de Miraculis Mortuorum, Dresdæ 1709.
- - Epiſtolæ, Roſtoch. & Lipſ. 1714.
Garzon, Tomaſo, Piazza univerſale, 4. in Venetia 1617.
Geheimniß der Boßheit und Gottſeeligkeit/ 8. 1712.
Gehema, Joh. Abrah. Obſervationes medicæ, 12. Bremæ 1686.
- - Diætetica vera, 12. Sedini 1690.
Georgiewiz, Barthol. Epitome de Turcarum moribus, 12. Lugd. 1578.
Gerbezius, Marc. Intricatum extricatum medicum, 8. Labac. 1692.
- - Chronologia Medico-practica, Francof. 1713.
v. Gersdorff, H. F. Notabilia Venatoris, oder Jäger und Weidwercks-Anmerckungen/ fol.
Geſnerus, Conradus, de Qvadrupedibus, fol. Tiguri 1551.
Genderus, Melch. Frid. de Fermentis, 8. Amſtelod. 1689.
Geyeri, Joh. Dan. Triga Medica, de Cantharidibus &c. 4. Francof. 1687.
Gladbacchii, Joh. Bernh. Praxeos Medicæ Idea, 8. Herborn. 1694.
Gliſſonii, Franc. Anatome Epatis, 12. Amſtelod. 1659.
Gockelii, Eberhard. Conſilia & Obſervationes, 8. Auguſt. 1683.
Gœdartus, Joh. de Inſectis, 8. Medioburg.

Gœlicke, And. Ottomanni Historia anatomica, 8. Halæ 1713.
Gorræi Definitiones medicæ, fol. Lutet. 1564.
Graaf, Regnerus de, Opera omnia, de Virorum Organis, 8. Lugd. Bat. 1677.
Grabæ, Joh. Andr. Descriptio Cervi, 8. Jenæ 1668.
Grand, Anton le, Curiosus rerum Perscrutator, 12. Francof. 1681.
Grube, Hermann, de Transplantatione morborum, 8. Hamburg. 1674.
Grülingii, Philipp. Medicina practica, 4. Lipf. 1673.

H.

Hagendornii, Ehrenfr. Historiæ medico-physicæ, 8. Rudolph. 1690.
Hannemanni, Joh. Ludov. Fasciculus Epistolarum, 4. Francof. 1694.
Harderi, Joh. Jac. Apiarium seu Observationes, 4. Basil. 1687.
Hartmanni, Joh. Opera medico-chymica, fol. Francof. 1684.
Hartnacci, Daniel, Admiranda Physica, 8. Franc. & Lipf. 1688.
Harveus, Gvilelm. de Generatione animalium, 12. Hagæ 1680.
Havers, Clopt. Osteologia nova, 8. Franc. & Lipf. 1692.
Heer, Henr. ab, Observationes, 12. Lugd. Bat. 1685.
- - Spadacrene, 12. Lugd. Bat. 1685.
Heer, Mart. Introductio in Archivum Archei, 4. Laubæ 1703.
Heinsii, Nicol. von der Milch-Cur / 8. Leipzig / 1694.
Heisteri, Laurentii, Chirurgie, 4.
Helvetii, Joh. Frid. Diribitorium medicum, 8. Amstelod. 1670.
Helwigii, Joh. Observationes medico-physicæ, 4. August. 1680.
Hellwigs / Christoph. Casus & Observationes, 8. Franckf. und Leipzig 1711.
Herfeld, H. G. de Origine Morborum, 8. Amstelod. 1706.
Hermanni, Pauli, Hortus Academicus Lugduno-Batavus, 8. Lugd. Batav. 1687.
Hertodt, Joh. Ferdin. Tartaro-Mastix, 8. Viennæ 1669.
Highmori, Nathan. Anatomia Corporis humani, fol. Hagæ 1651.

Hippo-

Hippocrates, fol. Francof. 1595.
Historia di Giovanni Papa, stampata nel LVI. 8.
Historia Morbi Curiosorum Vratislaviensium, 4. Francof. & Lipf. 1706. 1710.
Historia Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis, 8. Lipf. 1715.
Hœchstetteri, Philippi, Observationes medicinales, 8. Francof. 1674.
Hœferi, Wolffg. Hercules medicus, 4. Norib. 1675.
Hoffmanni, Frid. Clavis Schrœderiana, 4. Halæ 1681.
- - Fundamenta Medicinæ, 8. Halæ 1695.
Hoffmanni, Joh. Maur. Idea Machinæ humanæ anatomico-physiologica, 4. Altdorff 1703.
- - - Disqvisitio Corporis anatomico-pathologica, 4. Altdorf 1713.
Hoffmannus, Laurentius, de vero usu & ferô abusu Medicamentorum chymicorum, 4. Halæ 1611.
Hollerius, Jacob. de morbis internis, 8. Parif. 1567.
Horne, Joh. van, Opuscula anatomico-chirurgica, 8. Lipf. 1707.
Hornii, Georg. Historia naturalis, 12. Lipf. 1671.
Horstii, Gregor. Opera medica omnia, fol. Norib. 1660.
Huarti, Jani, Scrutinium Ingeniorum, 8. 1637.
- - L' Examen des Esprits, 12. à Amsterd. 1672.
Hünerwolffs/ Joh. Aug. Frauenzimmer-Geheimnüsse/ 8. Franckf. und Leipzig 1690.

I.

Jacobæi, Oligeri, Observationes de Ranis & Lacertis, 8. Hafn. 1686.
Janson, Sam. J. S. von Erzeugung der Menschen/ 8. Franckf. 1700.
Jessen, Jessenii à, Institutiones Chirurgicæ, 8. Witteb. 1581.
Joëlis, Franc. Opera medica, 4. Rostoch. 1630.
Jonstonii, Joh. Thavmatographia naturalis, 12. Amstelod. 1632.
Josephi, Flavi, Opera omnia, 8. Francof. 1617.
Journal des Sçavans, 12. à Amsterd. 1669. seq.

Juncken, Joh. Helffr. Medicus præsenti Seculo accommodandus, 8. Francof. 1681.
- - Praxis medica, 8. Francof. 1689.
Juvenalis.

K.

Kaempfferi, Engelberti, Amœnitates exoticæ, 4. Lemgoviæ 1712.
Keckermanni, Barthol. Systema Physicum, 8. Hanov. 1617.
Kerkringii, Theod. Spicilegium anatomicum, 4. Amstelod. 1670.
Klobii, Justi, Historia Ambræ, 4. Witteb. 1666.
Kœnig, Eman. Regnum animale, 4. Colon. 1682.
Kormannus, Henr. de Virginitate, 12. Francof. 1629.
Kozack, Sophron. de Sale, 4. Francof. 1663.
Kramers/ Theod. Valent. Medicina docens & ducens, 8. Lipſ. 1710.
Kyperi, Albert. Anthropologia, 4. Lugd. 1660.

L.

Lactantii, Cælii, Opera omnia, 8. Lugd. Bat. 1652.
Lairitzens/ Joh. Georg/ Pabst-Thron/ 4. Baireuth 1685.
Lamzweerde, Joh. Bapt. Historia naturalis Molarum, 8. Lugd. 1686.
- - - Appendix ad Sculteti Armamentarium, 8. Amstel. 167.
Langii, Christiani, Pathologia animata seu Opera, 4. Francof. 1688.
Langii, Johannis, Epistolæ medicinales, 8. Hanov. 1605.
Langii, Christiani Johannis, Opera omnia medica, fol. Lipſ. 1704.
Laurembergii, Petri, Pasicompse nova, 8. Kilon. 1672.
Laurentii, Andreæ, Historia anatomica, fol. Francof. 1600.
Laurentii, Georg. Frid. Exercitationes in Aphorismos Hippocratis, 4. Hamb. 1647.
Lealis, Lealis, Epistola de Partibus Semen conficientibus. v. Eustach. de Renibus.
Leauson, Frideric des Operations en Chirurgie, Genev. 1674.

Leeu-

Matthiæ, Christiani, Theatrum historicum, 4. Francof. 1684.
Matthioli, Petr. Andr. Opera in Dioscoridem, fol. Basil. 1674.
Mauriceau, François, Observations sur la Grossesse, à Paris 1695.
Meara, Edmundus de, de Morbis hæreditariis, vid. in ejusdem Examine Diatribæ Willisii de Febribus, 8. Londin. 1665.
Meekren, Jobi à, Observationes Medico-Chirurgicæ, 8. Amstel. 1682.
Meibomii, Heinrici, Epistola de Longævis, 4. Helmstad. 1664.
- - Disputatio de Calculo, 4. Helmst. 1679.
Meibomii, Joh. Henr. de Usu flagrorum in Re venerea. vid. Thom. Bartholinus de hac materia, 8. Francof. 1670.
Memoires concernans les arts, 12. à Bruxelles 1672.
Mercklini, Georg. Abrah. Sylloge de Incantationibus, 4. Norimb. 1698.
- - Medicinisches Thier-Buch/ 8. Nürnb. 1696.
Mercurialis, Hieron. de Decoratione, 4. Venet. 1601.
- - de Morbis cutaneis, 4. Venet. 1628.
- - de Venenis & Morbis Venenosis, 4. Venet. 1588.
- - Medicina Practica, fol. Francof. 1601.
- - Prælectiones Patavinæ, fol. Venet. 1597.
- - de Morbis Mulierum, vid. in Spach. Gynæc. fol.
di Mercurio, Scipione, la Commare oricoglitrice, 8. in Milano 1618.
Methode nouvelle d'Operations de Chirurgie, 12. à Paris 1693.
Michaelis, Joh. Opera medica, 4. Noriberg. 1688.
Miscellanea Naturæ Curiosorum ab Anno 1670. 4. & seqq.
Mizaldus redivivus, 12. Norimberg. 1681.
Mocqvet, Joan, Reise-Begebnüsse in Africa/ Asia/ rc. 4. Lüneburg.
Mœbii, Godofr. Physiologia, 4. Jenæ 1661.
Mœllenbroc. Valent. Andr. de Varis, 8. Lips. 1672.
Moinichen, Henr. Observationes medico-chirurgicæ, 12. Dresd. 1691.
Mollerus, Jacob. de Cornutis & Hermaphroditis, 4. Berolin. 1708.
Montani, Arnoldi, Gesandschafft nach Japan, fol. Amsterd. 1670.
Montani, Joh. Bapt. Consultationes medicæ, fol. 1583.

Mon-

Montui, Hieron. Parasceve Morborum, 8. Lugdun. 1560.
Morton, Richardi, Opera medica, 8. Amstelod. 1696.
Müllers/ Joh. Wilhelm/ Beschreibung der Landschafft Fetu, 8.
Muralti, Joh. Collegium anatomicum, 8. Nürnberg 1687.
Musitani, Caroli, Trutina chirurgica, 4. Colon. 1698.
Muys, Joh. Podalirius redivivus, 12. Lugd. 1686.
Mynsicht, Hadriani à, Armamentarium medico-chymicum, 8. Lugd. 1664.

N.

Neandri, Christoph. Historia Bacchanaliorum, 12. Francof. 1660.
Neandri, Johann. Natalitia Medicinæ, 4. Bremæ 1623.
Neuhof, Joh. Ost-Indianische Reise/ 4. Amsterd. 1666.
Nicolai, Joh. Georg. Tractatus de Repudiis & Divortiis, 4. Dresd. 1685.
Nitzschii, Frid. Ephemerides Eruditorum, 8. Lips. & Francof. 1671.
Nova Literaria Germaniæ, 4. Hamburg. 1704. seq.
Nouvelles de la Republiqve des Lettres, 12. à Amsterd. 1686.
Nouvelle Methode des Operations de Chirurgie, 12. a Paris 1693.
Nuck, Anton. Operationes & Experimenta chirurgica, 8. Lugd. 1692.

O.

Obseqventis, Julii, Prodigiorum Liber, 8. Basil. 1552.
Oldenburgii, Henrici, Acta Philosophica Anglicana, 4. Lips. 1675.
Ortlobii, Joh. Frider. Historia Partium, seu Oeconomia humana, 4. Lips. 1697.
Overkamps, Heydentr. Oeconomia animalis, 8. Leipz. 1690.
Ovidius.

P.

Pæonis & Pythagoræ Exercitationes, 8. Basil. 1682.
Palfyn, Jean, Description anatomiqve, &c. de Monstres, 4. a Leyde 17-5.

Pal-

Palmarius, Julius, de morbis contagiosis, 8. Hagæ 1664.
Panaroli, Dominici, Observationes medicinales, 4. Hanov. 1654.
Pancirolli, Gvidonis, Res memorabiles, 4. Francof. 1660.
Pancovii, Thomæ, Herbarium, 4. Cölln/ 1672.
Paracelsi, Theophrasti, Opera, fol. Straßburg 1616.
Paræi, Ambros. Opera chirurgica, fol. Francof. 1610.
Paschii, Georg. Inventa nova antiqva, 4. Lips. 1700.
Pauli, Joh. Guglielm. Annotationes in Johannis van Horns Opuscula medico-chirurgica, 8. Lips. 1707.
Pauli, Simonis, Qvatripartitum Botanicum, 4. Argentor. 1665.
Paullini, Christ. Franc. Cynographia curiosa, 4. Norib. 1685.
- - - Anmuthige Langeweile/ 8. Franckf. 1703.
- - - Observationes medicæ, 8. Lips. 1706.
- - - Philosophische Lust-Stunden/ 8. Franckf. und Leipzig 1706.
- - - de Salvia, 8. August. 1688.
- - - de Asino, 8. Francof. 1696.
- - - Lagographia, 8. August. 1691.
- - - Lycographia, 8. Francof. 1694.
- - - de Theriaca, 8. Francof. 1701.
Perdulcis, Barthol. Universa Medicina & de Morbis animi, 4. Lugd. 1649.
Pernumia, Joh. Pauli, Philosophia naturalis, fol. Patav. 1547.
Petermanni, Benjamin. Bened. Observationes medicæ, 8. Lips. 1707.
Petræi, Henr. Nosologia Harmonica, 4. Marpurg. 1615.
Petronii, Titi, Satyricon, 24. Amstelod. 1677.
Peyeri, Joh. Conradi, Merycologia seu de Ruminatione, 4. Basil. 1685.
Peyeri & Harderi Exercitationes, 8. Basil. 1682.
Pfizerus, Joh. Nicol. von der Weiber Natur / 8. Nürnberg 1673.
Pfuels, Joh. Ernest. Electa Physica, 8. Berolin. 1685.
Pharmacopœa Augustana, fol. Aug. 1684.

Phy-

Phrygii, Joh. Ant. Prognosticorum Hippocratis Explanatio, 8. Ticini 1608.
Pierii, Joh. Hieroglyphica, 4. Francof. 1678.
Pigræi, Petri, Chirurgia, 8. Parisiis.
Pinæus, Severinus, de Notis Virginitatis, 12. Amstelod. 1663.
Piso, Gvilelm. de Medicina Brasiliensi, fol. Amstelod. 1648.
Plateri, Felic. Praxis medica, 4. Basil. 1625.
- - Observationes, 8. Basil. 1641.
Plazzonus, Franc. de Partibus Generationis, 12. Lugd. 1644.
Plempii, Vopisci Fortunati, Fundamenta Medicinæ, fol. Lovan. 1644.
Plinii, C. Historia naturalis, fol. Basil. 1554.
Pontanus, Joh. Jovianus, de Rebus cœlestibus, 4. Basil. 1530.
Poterii, Petri, Opera omnia, 4. Francof. 1698.
à Pratis, Jason, de Sterilitate & Uteris, 12. Amstelod. 1657.
Primerosii, Jacobi, Enchiridion medicum, 12. Amsterd. 1650.
Psalmanaazaars, Georgii, Beschreibung der Insel Formosa, Franckf. und Leipzig 1716.

R.

Raji, Joh. Methodus Plantarum emendata, 8. Londin. 1703.
Rallius, Georg. Frid. de Generatione animalium, 12. Stetin. 1669.
Ranccii, Melchior. Mundi immundi vana desideria, 12. Halæ Svevor. 1673.
Reies, Caspari a, Campus Elysius jucundarum Qvæstionum, 4. Francof. 1670.
Reinesii, Thomæ, Epistolæ ad Nesteros, 4. Baruth. 1669.
Remigii, Nicolai, Dæmonolatria, 4. Lugdun. 1590.
Rhodii, Joh. Dissertatio de Acia, 4. Hafn. 1672.
- - Mantissa Anatomica. v. Borelli Observationes, 8.
Rhyne, Wilhelmus ten, de Promontorio bonæ Spei, 8. Schafhus. 1686.
Riedlini, Viti, Lineæ medicæ, 8. August. 1691. seq.

Riolani, Joh. Opuſcula anatomica, 4. Londin. 1649.
- - Commentarius in Fernelium, 8. Monſpel. 1588.
- - Enchiridion anatomicum & pathologicum, 8. Lipſ. 1674.
- - Ars ſeu Methodus bene medendi, 8. Pariſ. 1601.
- - Anthropographia, 8. Pariſ. 1618.
Riverii, Lazari, Praxis medica, 8. Hagæ 1658.
- - Obſervationes, 8. Hagæ 1656.
Rolfincius, Gvernerus, de partibus Generationi dicatis, 4. Jenæ 1664.
- - Epitome Methodi cognoſcendi & curandi particulares Corporis affectus, 4. Jenæ 1675.
Rönſei, Balduini, Opuſcula medica, Epiſtolæ, 8. Lugd. 1618.
Roonhuyſen, Heinr. von/ Hiſtoriſche Heil-Curen/ 8. Nürnberg 1674.
Roſſetus, Franc. de Partu Cæſareo, 8. Francoſ. 1601.
Rulandi, Martini, Curationes empiricæ, 8. Rothmag. 1650.
Rumleri, Joh. Udalr. Obſervationes. vid. G. Hier. Velſchii Obſervat.
Ruyſchii, Frid. Obſervationes, 4. Amſtelod. 1691.
- - Theſaurus anatomicus, 4. Amſtelod. 1701. ſeqq.

S.

Saars/ Joh. Jac. Oſt-Indianiſche Reiſe-Beſchreibung/ fol. Nürnb. 1672.
Sachſii, Phil. Jacob. Gammarologia, 8. Franc. Lipſ. 1665.
Salmuthi, Henrici, Commentarius in Pancirolli Res memorabiles, 4. Francoſ. 1660.
Salmuthi, Philippi, Obſervationes medicæ, Brunſvig. 1648.
Salzmanni, Joh. Rudolph. Obſervata anatomica, 12. Amſtelod. 1669.
Sammonicus Qvintus Serenus, de Re medica, 4. Tigur. 1540.
Sandris, Jacobus de, de Sangvinis Statu, &c. 8. Francoſ. 1712.
Scaliger, Jul. Cæſ. de Subtilitate, 8. Hanov. 1634.
Schefferi, Johann. Memorabilia Sveticæ Gentis, 8. Hamburg. 1671.
Schelhammeri, Günth. Chriſt. Anatome Phocæ, 4. Hambur. 1707.
Schenckii, Joh. Obſervationes medicæ, fol. Francoſ. 1665.
Schenckii, Joh. Georg. Monſtrorum Hiſtoria memorabilis, 8. Francoſ. 1609.

Schir-

Schirlæus, Thom. de Causis Lapidum in Macrocosmo, 8. Hamburg. 1675.
Schmidii, Sebastiani, Biblia latina, 4. Argentorat. 1708.
Schola Salernitana, 12. Hagæ 1683.
Schraderus, Frid. de Microscopiorum usu, 8. Götting. 1681.
Schraderi, Justi, Observationes de Generatione animalium, 12. Amsterd. 1674.
Schreyeri, Johann. Scrutinium de Aqva, Vino, & Cerevisia, 8. Hamb. 1690.
Schrœderi, Joh. Thesaurus Pharmacevticus, 4. Ulmæ 1685.
Schultzens/ Walther/ Ost-Indische Reise/ fol. Amsterd. 1676.
Schwenckfeldi, Casp. Theriotropheum Silesiæ, 4. Lignicii 1603.
Sculteti, Joh. Armamentarium chirurgicum, 4. Ulmæ 1666.
Sebizius, Melch. de Alimentorum facultatibus, 4. Argent. 1650.
Seidelius, Bruno, de Morbis incurabilibus, 8. Lugd. Bat. 1662.
Sennerti, Danielis, Practica Medicinæ, 4. Witteberg. 1654.
- - - de Consensu & Dissensu Chymicorum, 4. Witteb. 1655.
Septalius, Ludov. de Nævis. v. Theoph. Boneti Labyrinthus medicus.
Severini, Marc. Aurel. Zootomia Democritea, 4. Norib. 1645.
- - de efficaci Medicina, fol. Francof. 1646.
Simonis, Joh. Georg. Præludium Academicum, 4. Jenæ.
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropia, &c. 4. Francof. 1669.
Smetii, Henr. Miscellanea medica, 8. Francof. 1611.
Salenandri, Reineri, Consilia medica, fol. Hanov. 1609.
Salingen, Cornelii, Operationes chirurgicæ, 4. Franckf. 1693.
Spachii, Israel. Libri Gynæciorum, fol. Argent. 1597.
Speckhan, Eberh. Qvæstiones Juris, fol.
Spindleri, Pauli, Observationes medicinales, 4. Francof. 1691.
Sprengeri, Jacobi, Malleus Maleficorum, 8. Francof. 1580.
Stahlii, Georg. Ern. Disputatio de Impotentia virili, 4.

Stalpart, Cornelius, van der Wiel, Observationes, 8. Lugd. 1687.
Steeghii, Godofr. Ars medica, fol. Francof. 1606.
Sterre, Dionysius de, de Generatione ex Ovo, 12. Amstelod. 1687.
Straussius, Laurent. de Fœtu Mussipontano, vid. Sinibaldi Geneanthropia.
Sylvi, Franc. Opera medica, fol. Avenion 1680.

T.

Tabernæmontani, Joh. Theod. Kräuter-Buch/ fol. Franckf. 1613.
Tableau de l'amour, teutsch, 8. Cölln 1692.
Tachards Reise nach Siam/ 8. Hamburg.
Talentonii, Joh. Thesaurus variarum rerum, 8. Francof. 1605.
Taranta, Valesci de, Philonium Pharmaceuticum, 4. Fr. & Lips. 1680.
Targiri, Joach. Medicina compendiaria, 8. Lugd. 1698.
Taverier, Joh. Bapt. Reise-Beschreibung, fol. Nürnberg 1681.
Tauvry, Danielis, Anatomia rationalis, 8. Ulmæ 1694.
Tenzelii, Andreæ, Medicina diastatica, 12. Jenæ.
Thevenot Reisen in Europa/ Asia/ Africa/ 4. Franckf. 1695.
Thoneri, Augustini, Observationes medicinales, 4. Ulmæ 1651.
Tilingius, Matthias, de Placenta uterina, 12. Rinthel. 1672.
— — Prodromus Praxeos chymiatricæ, 8. Rinthel. 1674
Timæi, Baldas. à Güldenklee/ Opera medica, 4. Lips. 1677.
Tolet, Franc. vom Blasen-Stein-schneiden/ 8. Hanover 1694.
Torreblanca, Franc. de Magia, 4. Lugd. 1678.
Tulpii, Nicolai, Observationes medicæ, 8. Amstelod. 1652.

U.

Uffenbachi, Petri, Thesaurus chirurgicus, fol. Francof. 1610.
Ulmi, Marci Anton. Physiologia Barbæ, fol. Bonon. 1603.

V.

Valentini, Mich. Bernh. Pandectæ medico-legales, 4. Francof. 1701.
— — Novellæ medico-legales, 4. Francof. 1715.

Va-

Valentini, Mich. Bernh. Polychresta exotica, 4. Franc. 1700.
- - Praxis Medicinæ infallibilis, 4. Fr. 1711.
- - Chirurgia - - 4. Francof. 1715.
Valerius Maximus, 8. Lugd. Batav. 1655.
Valleriolæ, Franc. Observationes medicæ, 8. Lugd. 1588.
Varandæi, Joh. Opera omnia, fol. Lugd. 1658.
Vateri, Christiani, Physiologia experimentalis, 4. Viteberg. 1701.
Velschii Georg. Hier. Curationes propriæ, 4. August. 1698.
- - Curationes & Observationes, 4. Aug. 1668.
Velthuysii, Lamberti, Opera omnia, 4. Roterod. 1680.
Venette, Nicolas, de la Generation de l'homme, 12. a Cologne, 1696
Verduc, Jean Baptiste, des Operations de la Chirurgie, &c. 8. à Paris 1691.
Verheyn, Phil. Anatomia Corporis humani, 8. Lipf. 1699.
Vesalii, Andr. Anatomia, fol. Venet. 1604.
Veslingii, Joh. Syntagma anatomicum, 4. Patav. 1677.
Vicarii, Joh. Fr. Basis universæ Medicinæ, 8. Ulmæ 1700.
Vidii, Vidi, Ars medicinalis, fol. Francof. 1596.
Vintheri, Phil. Jacobi, Dissertatio inauguralis, περὶ τ ἀπεάκτων μορίων, 4. Argentor. 1678.
Viridetus, Joh. de prima Coctione, 8. Genev. 1691.
Vogleri, Valent. Henr. de Diæta, 4. Helmst. 1674.
Vratislaviensium Curiosorum Historia Morbi, 4. Franc. & Lipf. 1706. 1710.

W.

Waldschmied, Joh. Jac. Praxis medica, 8. Francof. 1690.
Waldungi, Wolffg. Lagographia, 4. Amberg. 1619.
Warlizii, Christian. Valetudinarium senum Salom. 4. Lipf. 1708.
- - de Morbis biblicis, 8. Viteberg. 1714.
Weckeri, Joh. Jacob. Medicinæ utriusque Syntaxes, fol. Basil. 1681.
Wedelii, Georg. Wolffg. Physiologia medica, 4. Jenæ 1682.



INDEX

INDEX RERUM.

An-

Bbbbb Bra-

Ca-

D.

Di-

F.

Fer-

G.

Hy-

Jon-

Ma-

Mor-

Ova

Pe-

Penis

Sar-

Seleu-

à cc-

Spon-

V.

Vi-

Uri-

Errata sequentia typographica, ob Autoris ab impressionis loco distantiam commissa, posteaque oculô fugitivò ab ipso observata, Benevolus Lector, ut ante Tractatus lectionem corrigat, obnixe rogatur.

Pag. 5. lin. 16. leg. sponsos. lin. 17. libidinosos. p. 7. lin. 11. étroits. lin. 20. voisines. lin. 24. douleur. p. 8. lin. 24. cavam. p. 10. l. 27. æstrô. p. 14. lin. pen. & ult. leg. hanc autem partem. p. 16. l. 6. intrinsecam. l. 15. Wird. l. 18. Tenzel. p. 21. l. 10. seq. ullam vol. p. 23. l. 12. Quoad. p. 24. l. 6. Falop. l. 22. suprà all. p. 28. l. 14. & 15. Kabbeljauw. p. 29. l. 7. peutétre. l. 8. entreroient-ils. l. 15. decouvre. p. 30. l. 27. vivi. p. 31. l. 18. dele punctum. p. 36. l. 13. μορίων. it. phantasiæ. p. 38. l. pen. Nesteri literis. p. 42. l. 17. habeant, in. p. 43. l. 2. Cosmop. l. 21. dele : p. 45. l. 21. abolitam. p. 46. l. 15. relinqueret. it. Cummeno. p. 52. l. 1. aunes. l. 2. vaisseau. p. 55. l. 13. post indicia loco : pone, p. 56. l. 9. Des. Nove. p. 63. l. 18. dele . l. 20. Apiar. l. 28. Ido Wolf. p. 64. l. 20. ont. l. 21. ou. p. 70. l. 1. Agathocles. l. 4. Philelpho. l. 17. dele . p. 73. l. 7. reddidi. l. 24. Blauu. p. 79. l. 2. viginti. l. 13. Sarcocele. it. intestinali. p. 80. l. 16. Meeckren. p. 85. l. 23. post Per dele - p. 93. l. 15. Dejan. p. 96. l. 12. removetur. p. 97. l. 3. largior. l. 9. citatiorem. p. 104. l. 6. disteudebatur. p. 106. l. 24. protrahi. l. ult. huic. p. 108. l. 6. dele an. l. 7. dele ab Umbilico? (ut sensus sit: a longiori vel breviori,) p. 111. l. 19. Eribe. p. 114. l. 14. nigresc. l. 18. coxas. l. 21. Codron. p. 117. l. 23. spong. p. 121. l. 26. pone. p. 129. l. penult. pauca. p. 133. l. 19. Porcell. l. 26. Lutræ. l. 29. Seger. p. 140. l. 11. oblata; p. 142. l. 28. Urologia. p. 143. l. 4. perforatus. p. 147. l. 20. Φαλλος. p. 150. l. 14. exhalant. p. 151. l. 20. cand. p. 152. l. 13. Quod cras credam, hodie non. p. 156. l. 28. immeritò. p. 157. l. 4. Reies. l. 17. dicti. p. 161. l. 19. par un. l. pen. pore, l. ult. caneaux. p. 162. l. 6. delayant. l. 17. meus. l. 20. Tous. l. 23. selon. p. 164. l. 28. ovulis. p. 165. l. 28. transeunt. p. 167. l. 9. dele . l. 24. oblongas. p. 168. l. 1. tantopere. l. 15. amphibio. p. 171. l. ult. fœtûs. p. 172. l. 14. adhuc Ovum. p. 173. l. 19. cessante. l. 21. fato. l. 22. fluxerunt. p. 175. l. 24. muliercula scilicet juv. 177. l. 14. tenuissimá. l. 22. Harvei. p. 179. l. 2. fiat aque. l. 26. seq. voluptate. p. 190. l. 7. ut dub. p. 199. l. 16. nuchum. l. ult. Coiter. p. 200. post quiritantem adde. p. 202. l. 28. adulterio. p. 204. l. 1. ut seminium. p. 207. l. 24. sq. anter. p. 214. l. 16. & 17. confirmet. p. 219. l. 9. thocs. p. 221. l. 14. Succubis. p. 222. l. pen. Hunc actum. p. 224. l. 22. habitis. l. 30. post 53. adde) p. 230. l. 1 & 2. liberem. l. ult. laticibus. p. 233. l. 11. deffend. l. 13. debout. it. alterons. l. 17. eblouis, latate. l. 18. loco on lege en. p. 235. l. 3. s'oppose it. son. l. 4. fera t-on, l. 6. veut esteindre. p. 237. l. 5. earum. p. 238. l. 2. dignitate. p. 239. l. 5. nare. p. 240. l. 12.

hac

hæc habet: p. 245. l. 6. Botton. l. 19. dele. l. 25. quinquenni &. p. 250. l. 19. deleffate. p. 253. l. 8. dele ut. l. 27. §. 21. p. 256. l. 2. dele: l. 15. nequeat. p. 257. l. 17. Achilles. l. 20. post cornu adde, p. 261. l. 15. sponsus. l. 22. Quidam: l. pen. cogeret, sec. p. 262. l. 19. cecinisset. p. 270. l. 11. perrupta. p. 271. l. 9. & 11. Speusip. p. 275. l. 18. vamus. p. 278. l. 23. eleusinia. p. 283. l. 11. lege indices majores. Sym. p. 284. l. 6. Hn. 8. p. 291. l. 14. post volatiles {dele. p. 293. l. 8. permanebat. p. 299. l. 27. nascantur valet. pag. 300. l. 20. Vini. p. 303. l. 3. ob. l. 15. & 16. Thon. p. 304. l. 5. Penotus. l. 7. leg. 991. p. 311. l. 7. Frid. Klob. l. 29. excoptent. p. 314. l. 10. media. p. 315. l. 17. Viperas. p. 321. l. 26. loco homo lege honos. l. 28. object. p. 327. l. 3. Spermatis. l. 12. optatum se ads. l. penult. quam. p. 332. l. 3. Becke. p. 335. l. 10. Montagnana. l. 23. Belzera. l. ult. loco tt. leg. Zingib. p. 339. l. 9. lumbi. l. 10. Myns. p. 344. l. 2. Caru. p. 347. l. 6. potaveris. l. 17. illinat testibus. p. 359. l. 26. loco on lege ou. p. 369. l. 9. Spadonum. l. 14. serotent. l. pen. pue. p. 370. l. 19. tam. p. 378. l. 5. generare. pag. 383. l. 28. cavato testicoli. p. 384. l. 4. not. enter. l. 7. uyt. p. 385. l. 23. forma. l. ult. d'intorno. p. 386. l. 17. prævaluit; p. 388. l. pen. De qua materiâ. p. 390. l. 11. leg. 371. l. 13. Turcas. p. 395. l. 18. Pancirol. p. 398. l. 4. habuerint. l. 6. potuerint. p. 399. l. 22. dicunt. it. loco Leonh. leg. Laurent. p. 402. l. 14. Theologica. p. 403. l. 10. Conjugio. l. 13. potuerit vel noluerit. p. 405. l. 28. Spadonum. p. 406. l. 7. hi à nupt. p. 414. l. 16. reverà. p. 420. l. 17. etiam ha rarissime. p. 425. l. 11. consuluerant. post lineam 20. insere. §. 7. p. 427. l. 12. Inguen. l. 25. hos testiculis. p. 430. l. 25. revocet. p. 443. l. 1. sequutos. l. 19. post sublatâ dele &. p. 444. l. 28. Dolci. p. 445. l. 14. in quin. p. 447. l. 7. leprosos. p. 449. l. 2. Clopt. p. 454. l. 13. accidenti. p. 455. l. 11. tensum est &. p. 457. l. 14. loco. pane. p. 458. l. 1. lege tueris, sed idem etiam. l. penult. post posset dele. p. 462. l. 27. grosse. p. 464. l. 8. parceque. l. 13. dans toute l. 24. post ces parties, adde: il faudroit qu'il coupât plûtôt du gland que du prepuce: mais un Chirurgien adroit separe ces parties. p. 465. l. 12. & 13. exterwà. l. 18. ou. p. 468. l. 28. παρὰ. p. 469. l. 28. Idem. p. 475. l. 2. ascaldetsans. p. 476. l. 5. vû. p. 479. l. 9. alias. p. 488. l. 10. doteetur. p. 496. l. 21. majorum. p. 500. l. 3. Sterilitas. p. 502. l. 1. vaut. l. 7. enfance. p. 511. l. 8. sudoris quod spectat. p. 517. l. 13. post crassities dele. p. 519. l. 7. ad modum verrucæ. l. 26. quantumvis. p. 522. l. 9. tant. p. 528. l. 10. Uterum. p. 530. l. 17. ineptam. p. 536. l. 26. nuda. p. 539. l. pen. ἀπιστασίς. p. 543. l. 4. post sancta; p. 544. l. 11. Reprasputiatione. p. 546. l. 25. κυνοδέσμιον. p. 550. l. 14. fil. p. 552. l. 13. & 14. periculosos. p. 553. l. 7. ægris. p. 557. l. 23. Idem. p. 562. l. 3. ἀφροδίτη. p. 566. l. 13. ils ont. l. 26. moines. p. 567. l. 14. dont. l. 19. n'ont l'usa. p. 568. l. 19. Caualiculum. p. 569. l. 13. (in margine

gine pone) in Crure. l. 25. in margine : sub umbilico. l. 21. dele neque. p. 585. l. 23. evadebat. p. 592. l. 2. apicem. p. 598. l. 18. peragant. p. 599. l. 5. vetuli. p. 600. l. 28. Hujus. p. 611. l. 26. exenteravi. p. 620. l. 2. formatas. l. 28. nigred. p. 622. l. 24. loco si tunc, lege : tunc verò. p. 624. l. 15. earumque. p. 631. l. 23. easdem. p. 635. l. pen. appellativi. p. 637. l. 11. Hac quando. p. 641. l. 10. & 11. fœminci. l. 19. Viden. l. 21. Relationi. l. ult. permiss. p. 651. l. 12. post signa adde : partim supra de differentia sexus hermaphroditorum, partim in recens. p. 657. l. 15. puis qu'. p. 658. l. 16. foy. p. 660. l. 9. ehelich. *p. 662. l. 7. Zaunschliff. p. 669. l. 1. Caranza. p. 672. l. 12. muliebre. p. 680. l. 17. dele imprimis. l. ult. expers erat. p. 683. l. 14. Vatem anno. l. 28. ex Incubo. p. 688. l. 8. Idem. p. 693. l. 17. menstruam. p. 697. l. 8. Kochanski. p. 701. l. 10. afferunt. l. 15. D. v. l. 17. Cani. l. 18. Uberum. l. 23. Valesco. p. 703. l. 14. dotatas. p. 707. l. 6. notte. l. 7. frà balli. p. 708. l. 6. seq. a ce temps. l. 9. rapporte. l. 20. loco ce lege e che perciò. p. 712. l. 22. fœmina. p. 715. l. pen. sisymbrium. p. 716. l. 14. Waldung. pag. 720. l. 5. dele §. 55.* *Reliqua insuper Sphalmata tam ratione Commatum & Punctorum, quam literarum majorum locô minorum, & contra &c. Benevoli Lectoris Correctioni committuntur.*

§ (o) §







